



Digitized by the Internet Archive  
in 2010 with funding from  
University of Ottawa







*30 Nov 1914*

*650*

*vol 2*

# OEUVRES DE BOSSUET.

---

*TOME II.*

# *Se Trouveu~*

A VERSAILLES,

LEBEL, Éditeur, imprimeur du Roi et de l'Évêché,  
rue Satory, n.<sup>o</sup> 122.

A PARIS,

LE NORMANT, imprimeur-libraire, rue de Seine, n.<sup>o</sup> 8;

PILLET, imprimeur-libraire, rue Christine, n.<sup>o</sup> 5;

BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n.<sup>o</sup> 33;

BLAISE, libraire, quai des Augustins, n.<sup>o</sup> 61;

CHEZ LE CLÈRE, libraire, quai des Augustins, n.<sup>o</sup> 51;

BOSSANGE ET MASSON, imprimeurs-libraires, rue  
de Tournon;

RENOUARD, libraire, rue Saint-André-des-Arts;

TREUTTEL ET VURTS, libraires, rue de Bourbon;

FOUCAULT, libraire, quai des Augustins, n.<sup>o</sup> 17;

AUDOT, libraire, rue des Mathurins-Saint-Jacques,  
n.<sup>o</sup> 18.

ET A BRUXELLES,

LE CHARLIER, libraire.

exp

# OEUVRES DE BOSSUET,

ÉVÊQUE DE MEAUX,

REVUES SUR LES MANUSCRITS ORIGINAUX,  
ET LES ÉDITIONS LES PLUS CORRECTES.

---

TOME II.

---



A VERSAILLES,

DE L'IMPRIMERIE DE J. A. LEBEL,  
IMPRIMEUR DU ROI.

---

1815.



sp

BX

640


B675

1815

V. 2

LIBRI  
**SALOMONIS**  
PROVERBIA, ECCLESIASTES,  
CANTICUM CANTICORUM.

**SAPIENTIA.**  
**ECCLESIASTICUS.**  
CUM NOTIS.



# PRÆFATIO IN PROVERBIA SALOMONIS.

Prisci homines solebant moralem disciplinam trādere brevibus absolutisque sententiis, quā animis insīxāe, ac per omnium ora vulgatāe, Proverbia vocarentur. Quae cūm passim ac nullo auctore ferrentur, non defuere postea qui, deditā operā, talia dictata conscriberent: hinc illae apud Græcos γνωμὲ, sive sententiæ, prodierunt; quo in genere apud illos princeps Phocylides; apud nostros Syrus, atque alii claruere. Sed profectò, verum istud est, optima quæque instituta ab antiquâ et piâ Hebræorum gente manasse, omnibusque sententiarum scriptoribus præisse Salomonem; cuius sententiæ, cūm maximè comparationibus constent, ideo hebraicè, *misle*, sive parabolæ ac similitudines appellantur.

Cur autem illis sententiarum auctoribus, ipsique Salomoni utilius visum sit, brevia quæ diximus decreta figere, quām de morum disciplinâ, ordine quodam, ac longâ oratione disserere, ea statim causa occurrit, quòd memoriam adjuvare vellent. Quo sanè adjumento maximè indigebat puerilis aetas imbecilli judicio, firmâ promptâque memoriam. Quæ cūm sententias ore priùs quām mente recoleret, accedente rationis luce, patrum sapientiâ atque experientiâ fruebatur, tenerisque pectoribus incolam inolitamque vivendi regulam altè retinebat. Quo etiam factum est, ut Sententiæ seu Proverbia Salo-

I.  
Proverbiorum  
sive sententiarum origo, ratio,  
institutum: cur dicantur Parabolæ, sive similitudines.

II.  
Proverbiorum  
sive sententiarum tradendarum methodus, juvandæ memoriae apta.

monis sæpe dirigerentur ad pueros , ac matris etiam nomine commendarentur , ut piâ sanctâque et blandâ auctoritate ab ipsis etiam incunabulis repetita tenacius inhærerent.

Nec minùs erat utilis maturiori ætati , illa sententiarum nullo ferè nexu concisa et absoluta brevitas . Neque enim necesse erat , multa perlegendō longo se labore conficere , quòd infirmis animis sæpe sit oneri ac cædio , sæpe etiam incommodo , aliis laboribus pro hujus vitæ conditione nimis urgentibus . Sententias autem brevi versiculo comprehensas , quovis dato spatio facilè arripias ; unamque aut alteram , velut aliquot decerptos ex ornatissimo horto flosculos , seligas . Licebit uno ictu oculi in unaquaque sententiâ explendescentem haurire veritatis lumen , et quocumque perrexeris , parabilem circumferre sapientiam , hâc alere mentem , hunc viæ dum , hoc ingentibus curis habere solatium .

III. Neque tam congruum videbatur definiundo , dividendo , argumentando jejunam et exsuccam philosophiam tradere , vivendique regulam ad certainam quamdam methodum revocare , quām adhibere stimulos , brevibusque et aculeatis sententiis , crebris velut ictibus , incitare ; quod etiam Apostoli frequentarunt , uti videre est , *Rom. xii. 1. Thess. v.* et alibi passim . Sic enim præcepta morum instimulandis animis varia congeruntur . Utile Salomoni visum ipsâ varietate oblectari lectorem , diversisque imaginib[us] decreta sapientiae iterari inculcarique , ne ad usum facilem comparata , rationcationum ac verborum circuitu frigescerent ; quòd etiam spectabat ipse Salomo dicens : (Eccles. xii. ii.) *Verba sapientiae*

*tium sicut stimuli, et quasi clavi in altum desixi: quibus verbis doceremur, et quam acriter impellerent, et quam altè hærerent, nec se avelli sinerent.*

Hujus rei gratiâ, quod non modò Hebræorum magistri, verùm etiam S. Hieronymus Praefatione ad Isaiam docuit, versibus alligatæ Salomonis sententiæ prodierunt: quod etiam extranei sententiarum auctores imitati sunt; eò quòd id genus scriptioñis, et aciores stimulus adhibere, et memoriæ firmius insfigi soleat.

Tanta autem pio Regi sententiarum cura inerat, ut *locutus sit parabolas* ad usque tria millia; III. *Reg. iv. 32.* quarum selectissimas in hunc librum ipse composuit; alias per vulgi ora dispersas, sub pio rege Ezechiâ, *viri ejus*, hoc est, viri eruditi ab ipso præpositi, collegerunt: *Prov. xxv. 1.* Capite verò xxx. memorantur alii sententiarum auctores, quas quidem, ut ab ipso Salomone mutuatas, certè eodem spiritu scriptas Salomonicas addiderunt. Aliæ denique ipsius Salomonis, sub Lamuelis nomine, ad calcem libri appositæ, quas inter, egregia illa mulieris fortis commendatio reperitur: totaque ista collectio, ut par erat, Salomonis titulo celebratur.

Multas autem sententiarum collectiones factas indicare videntur multa iisdem verbis repetita, variantesque interdum ejusdem sententiæ lectiones, quæ lectori obvia admonere tantum, non etiam singillatim commemorare oportet. Quòd etiam pertinere videtur illa Parabolarum in Hebræo et LXX. haud uno loco discrepans series, quòd dissolutæ sententiæ, neque uno tempore aut auctore collectæ, non eodem semper ordine ferebantur.

IV.  
Prover-  
biorum  
ac Para-  
bolarum,  
sive sen-  
tentia-  
rum auc-  
tores, ea-  
rumque  
collectio-  
nes va-  
riæ.

V.  
Universa mo-  
rum dis-  
ciplina  
his tradi-  
ta Pro-  
verbiis :  
œcono-  
mica, po-  
litica,  
monasti-  
ca, sive  
quæ ad  
privatam  
vitam  
pertin-  
nent.

Has ergo sententias à tanto auctore , Spiritu sancto dictante , conscriptas , tantoque studio à viris eruditissimis conquisitas , si perdidicerimus , nihil erit quod ad moralem philosophiam desideremus . Et œconomica quidem multa reperiemus , quale illud : *Præpara foris opus tuum , et diligenter exerce agrum tuum ; ut postea ædifices domum tuam* : Prov. xxiv. 27. tum illud : Ne usuris pecunias coacerves ; sed labore , parcimoniâ , agroque colendo et alendis gregibus , xxvii. 25 et seq. xxviii. 8 , 19. Quem ad locum pertinet tota illa mulieris fortis institutio , multaque in hunc modum de bonâ piâque uxore conquirendâ , de liberis , de servis in officio continendis , de non fidejubendo temerè , de diligentia regendæ familiæ , servandisque et colendis paternis possessionibus adhibendâ , ipsâque re amplificandâ per beneficentiam amoto sordido quæstu , aliisque seduli patrisfamilias muniis . Politica verò , hoc est , ea quibus regum , regnorumque robur , dignitas , felicitas , publicorumque consiliorum ratio commendatur , tanta sunt , tam illustria , ut regem maximum atque optimum , eumdemque sapientissimum , et regnandi artium peritissimum sapiant . Caput illud : *Misericordia et veritas custodiunt regem* , xx. 28. grande et nobile satellitium : tum illud : *Firmabitur justitia thronus ejus* , xxv. 5. en stabile fundamentum : et illud , *In multitudine populi dignitas regis* , xiv. 28. et illud : *Justitia elevat gentem* : ibid. 34. et : *Rex justus erigit terram* : illud denique , quo tota pene tenendi gubernaculi cautio continetur : *Princeps qui libenter audit verba mendacii , omnes ministros habet impios , iniquos , insidios , reipublicæ hostes*,

xxix. 4, 12. Hæc ad experimentum sufficiant. Quæ autem ad privatam vitam, quam vocant monasticen, pertinent, eorum copiam, varietatem, plenamque et ad intima virtutum, vitiorumque arcana penetranda, sapientiam verbis assequi non possumus. Ponamus exempli loco desidiam. En ejus indoles: *Vult et non vult piger*, xiii. 4. jacentem, somnolentum, neque quidquam sedulò cogitantem vides. Vis hujus vitii incommoda? *Desideria occidunt pigrum*: neque enim huic unquam firma et certa voluntas, sed vani conatus, velut in somniis: *totâ die concupiscit et desiderat*; unde infirmus ac torpens animus, pravis cupiditatibus in mortem ipsam rapitur, xxI. 25, 26. Vis vana suffugia omnia metuentis, atque ideo ad facillima quæque cunctantis? *Dicit piger: Leo est foris*: in plateis sicarii, xxII. 13. Vis denique incitamenta et remedia veterni? *Ad formicam, piger..... usquequo, piger, dormies? quando consurges è somno?* en egestas ad fores: vi. 6, 9, 10. et illud: *Consurgit diluculo qui querit bona*, xi. 27. aliaque in hunc morem, quibus haec animæ pestis eliditur. Quid aliud vitium æquè totam vitam insufficiens, morumque emendationi inimicissimum, sibi placere? En ipsa res: *Non recipit stultus verba prudentiae*, neque quidquam, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus, xvIII. 2. tum hujus rei turpitudo ex virtute oppositâ: *Via stulti recta in oculis ejus*: *qui autem sapiens est, audit consilia*, xII. 15. hinc admonitio tam gravis quam brevis: *Ne sis sapiens apud temetipsum*, iii. 7, etc. Tum ubique inculcata correptionis atque increpationis utilitas: ab adulacione verò laquei, pestis: hinc ficta oscula,

illinc salubre et expetendum vulnus, xxvii. 5, 6. xxix. 5. excitique amici, ut præsente offensâ, veram sibi in futurum gratiam parent: *Qui corripit hominem*, inquit, *gratiam postea inveniet apud eum magis*, quâm ille qui per linguae blandimenta decipit. xxviii. 23. Quid deinde supererat; nisi ut ille sibi placens, atque adulatoribus deditus moneretur ne malo suo doctus, serò saperet, frustraque inclamareret illud: *Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum?* v. 12. quo nihil est efficacius, ut suî amore perditus à pessimo mentis errore revocetur.

VI.  
Docen-  
di ratio  
per simi-  
litudines,  
per op-  
posita;  
sententi-  
arum bre-  
vitas, ele-  
gantia,  
vis.

Docendi autem ratio ea est, ut ad vivum pingat, et coram oculis ponat rerum imagines. En piger iterum, complicitis brachiis, manu sub ascellâ, quam vel ori admovere pigeat, ut cibos è cœlo velut exspectare videatur, xix. 24. xxvi. 15. Aliæ ejusmodi imagines, uno verbo; aliæ paulò fusiores: qualis inventura recunda mulier cum suis sagittis, retibus, venenatisque blanditiis, passim: ubi etiam videre est cæcum juvenem, bovis aut agni lascivientis instar, ducatum ad victimam, ad vincula, nescientem; vii. 21, 22, 23. En vini in vitro splendentis colorem vividum, ingredientis blanditiis, ingressi diffusa venena, excitas libidines, mentem ab arce dejectam, dimissum clavum à manibus, edormitâque crapulâ rursus ad compotores et vina properatum, xxiii. 31. Illud egregium, contrariorum imagines plerumque ex adverso oppositas, ut in conspectu mutuo clarius innotescant; qualis est sapiens composito vultu: *In facie prudentis lucet sapientia: ac statim; Oculi stultorum in finibus terræ, vagi, instabiles, in diversa*

distracti. xvii. 24. Præclarum etiam illud : *Totum spiritum suum profert stultus* : fanda infandaque effusit :: *Sapiens differt et reservat in posterum*, neque ejus pectus facilè exaurias, xxix. 11. Neque illud conticescam : *Sapientia callidi*, sive prudentis, est intelligere viam suam : et *imprudentia stultorum errans*, xiv. 8. unde illud consequitur, ibid. 16. *Sapiens timet, et declinat à malo* : *stultus transilit et confidit*. Mitto brevitatem, quam nulla interpretatio repræsentare possit ; mitto similitudines, easque concitas, queis totus liber scatet. Huc accedit elegancia summâ cum gravitate conjuncta, ut in illo : *Lingua mollis confringit duritiam* : id est, responsa militia quamvis exasperatos animos : xxv. 15. Affectus præsto sunt. En sapientiam omnes invitantem, omnibus obviam, et ab ipso patérno sinu ad nos descendenterem : cui oblectamentum et lusus, orbis terrarum ornatus; deliciæ, genus humanum; unicum, ut ita dicam, studium, bonis omnibus cumulare amatores, viii. Tu quoque responde amanti : *Dic sapientiæ : soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam*, vii. 4. Nec deest vehementia : *Cui vœ? cuius patri vœ? cui rixœ? cui foveœ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio, seu rubor oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* xxiii. 29. Sed illud copiosius : istud uno verbo quām vehemens ! *Statue cultrum in gutture tuo* : xxiii. 2. et istud : *Ne attingas parvolorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas* : *propinquus enim illorum fortis est*, Deus scilicet : xxiii. 10, 11. Denique multæ sententiæ suâ se simplici-

tate, suo yeluti candore commendant, ut ipsa per se veritas valeat.

VII.  
Quo Sa-  
lonon  
cæteris  
sententi-  
arum au-  
ctoribus  
præstet.

His igitur evincimus, ut noster Salomon non modò dīvinâ auctoritate, verùm etiam acumine, copiâ, gravitate, cæteris in sæculo sententiarum auctoribus facilè antecellat. Cùm præsertim etiam illud accedit, quòd est omnium optimum, ut veram sapientiam, cultum scilicet, ac timorem Dei, veramque pietatem, et fundamenti loco ponat, et ubique commendet, quam alii sapientes nec fando noverint, aut primoribus tantùm, ut aiunt, labiis degustaverint. Summa autem pietatis est, Dei mandata noctu diuque meditari: quod ipse legislator Moses inculcat his verbis: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: et narrabis ea filiis tuis: et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tuâ: eruntque et movebuntur inter oculos tuos: scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ:* Deut. vi. 6. quò spectabat Salomon noster, cùm diceret: *Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo: cùm ambulaveris, gradiantur tecum: cùm dormieris, custodiant te: et evigilans loquere cum eis:* quo quid utilius aut suavius? additque: *quia mandatum lucerna est, et lex lux; et via vitæ, increpatio disciplinæ,* Prov. vi. 21, 22 et seq. Quo ex loco, aliisque similibus ad Moysen perspicuè alludentibus, ab eoque deductis, grave existit argumentum adversùs eos qui per summam imperitiam aut inverecundiam, Mosaicorum voluminum antiquitati detrahunt: quorum auda-

cibus scriptis duos antiquissimos et maximos Israelitarum reges ex adverso opponimus , Davidem , de lege ac Moyse memorantem , quæ universa plebs caneret ; Salomonem etiam scribentem sententias quæ omnium manibus tererentur : nihil ut Mose , ejusque scriptis , notius ac celebratius esse potuerit.

Hæc igitur nostri Salomonis vera sapientia est , ut Dei lege præceptisque nitatur ; quo sit etiam illud , ut à Deo parente optimo non modò doceri , verùm etiam castigari æquo animo feras : *Quem enim diligit Dominus , corripit , et quasi pater in filio complacet sibi ,* iii. 12. cuius rei fons est , quòd omnia bona , malave , hoc est , res prosperæ et adversæ , Deo auctore proveniunt , dicente Salomone : *Sortes mittuntur in sinum , sed à Domino temperantur ,* xvi. 33. ut profectò res humanæ , quantâcumque obscuritate versentur , misceantur , in finem à Domino præstitutum exeant : verumque illud sit : *Cor hominis disponit viam suam , sed Domini est dirigere gressus ejus ,* ibid. 9. Quin etiam *cor ipsum in manu Domini ,* xxi. 1. unaque est ratio expediendæ salutis , si Deo nos nostraque omnia permittamus . Quæ et alia id genus , sapientissimus Salomon tantâ auctoritate , veritate , profunditate exequitur , ut in illius parabolis facilè agnoscas illius Spiritûs magisterium , qui *omnia scrutatur etiam profunda Dei ,* I. Cor. ii. 10.

Interim meminisse nos oportet , pro veteris Testamenti ratione , hîc ubique adhiberi promissiones , minasque temporales ; caeterùm spiritualis homo , hoc est , christianus , à terrenis divitiis ad cœlestis regni opes se eriget , cùm et ipse Salomon divitia-

VIII.  
De pro-  
missis ac  
minis  
tempora-  
lia spec-  
tantibus.

rum vanitatem vel hoc uno verbulo tam perspicue retegat: *Quid enim prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* xvii. 16. cui super illud: *Melius est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam dives insipiens;* xix. 1. et illud: *Est quasi dives, cum nihil habeat; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit;* xiii. 7.

IX. Superest ut dicamus aliquid de antiquis versionibus. Antiquissima autem est quæ LXX. dicitur. Ea, quam longè ab Hebræo deflectat, omnes eruditini norunt, cujus rei causas singulas inquire immensius esset operis, et à nostro instituto penitus alieni. Suficiat nobis ex LXX. proferre, quæ veræ interpretationi constituendæ lucem afferant. Causas autem generales easdem afferimus, quas in Psalmorum Præfatione fusiūs memoratas, in lectoris gratiam contrahere hīc libet: prima est, antiquissimæ linguae et pridem obsoletæ ingenium, atque indeoles brevitatis amans, atque, ut ita dicam, alieni cuiusvis sermonis præsertim laxioris ac fusioris impatiens, qualem linguæ nostræ postulant; tum ejusdem linguæ non satis perspecta concinnitas, atque proprietas, verborumque et phraseon ac particularum virtus; quo mirum in modum interpretes variant; postea variantes jam inde ab antiquo, atque ab ipso, ut ita dicam, initio lectiones, librariorum nonnunquam dormitantium errore aut incuriâ; sæpe etiam mutatione levissimorum apicum in simillimis litteris; postremò quod LXX. interpretes obscura, ambigua, suspensa supplent, in his quidem libris maximè, sæpe etiam commentatoris magis quam interpretis funguntur officio; quod interdum, sed parciùs et temperatiùs

Vulgatae nostrae contigit, ut suis locis indicamus. Quidni autem suspicemur, siquidem id verum est quod doctiores putant, lxx. illos eruditos senes ad Ptolemæum missos, solius Pentateuchi versionem edidisse; alios interpretes, non omnes æquè eruditos, interdum ab hebraici sermonis virtute deficere potuisse? utcumque est, certum illud, nihil occurrere noxiæ diversitatis. Imò verò in Proverbiis harum varietatum hunc fructum capimus, quòd multas, easque egregias, atque analogiae fidei congruentes habeamus sententias, quibus Scripturæ ubertas maximè commendetur, nullo ipsius summæ damno, ut alibi monuimus. (*Diss. in Ps. cap. iv et v.*)

Septuaginta versionem ipsa primùm commendat antiquitas, quòd diutissime, ante Christum natum, per omnes ferè synagogas obtinuit; quòd ab Apostolis frequentata, plerisque etiam Proverbiorum locis inde mutuatis, ut suo loco notabimus; quòd ab Ecclesiâ orientali perpetuo usu retenta; à latinâ quoque tamdiu, donec tot licet fulta præsidiis, egregiâ S. Hieronymi operâ hebraicæ veritati cessit. Et quidem veterem illam latinam versionem ex lxx. deductam rivulis, innumerabiles Patrum latinorum loci repræsentant, maximè S. Ambrosii, ac præser-tim in Officiorum libris, apud quem etiam ejusdem versionis integra capita, libro de Salomone, repe-rimus. A sancto Hieronymo aliam ex Hebræo insti-tutam versionem, vel ille, quem huic libro præfixi-mus, prologus doceat: ex quâ versione Vulgatam nostram fere constare non est dubium. Hanc autem versionem non modò subsecutæ Ecclesiæ ac Synodi Tridentinæ, verùm etiam jam indè ab initio, sancti

Augustini , inde specula sua compingentis , commendat auctoritas . Cur autem Hieronymus nonnunquam ab Hebræo differat , in Ecclesiaste commodior erit dicendi locus : resque omnis patebit clariùs , edito , quem eruditii piique Benedictini apparant , Hieronymi canonē.

X.  
Nota-  
rum nos-  
trarum  
excusa-  
tur in ple-  
risque  
brevitas ;  
in qui-  
busdam  
prolixi-  
tas.

De notarum nostrarum ratione dicere superfluum videretur , nisi quidam amicorum nonnihil ab earum brevitate metuerent tardioribus ingenii , ne dicam indiligentioribus , si tales futuræ essent , quales in Psalmos fuerunt . Nos autem , quantum assequi datum est , concisâ perspicuitate contenti , ita lectorem adjuvandum suscipimus in obscurioribus sive profundioribus locis , ut ipse ex aliis per sese aliquid extundat , et quæ notis desint , attentione suppleat ac diligentia ; neque curiosa aut longè accersita sec tamur , sed necessaria . Studiosis certè clavim in manus damus , quam non ipsam magni fieri , sed quæ eâ reserarentur , Scripturam nempe ipsam pulchram ac splendidam videri volumus : neque opprimere aggredimur commentariorum mole vividos Scripturæ sensus . Sua certè grandioribus scriptis constet utilitas ; nos verò non id agimus , neque cibos ad satietatem oggerimus , sed acuere nitimur meditandi quærendique cupiditatem , ipsâ Scripturæ copiâ ac veritate satiandam . Ne quid tamen negligamus , quod ad excitanda et juvanda pro nostrâ facultate Scripturarum studia pertineat , en paulùm amplificamus notas , et quasi liberiore campo currimus : exempla memoramus ; Salomonis , eumque securi Ecclesiastici , et libri Sapientiæ sententias usui accommodamus ; scripturas scripturis copiosius illus-

tramus ; interim lectorem optamus tam diligentem sieri , ut notis quām minimūm indigeat.

Rursus autem non deerunt qui prolixitatem reprehendant , universim quidem in Canticum Cantorum , speciatim verò in quosdam Ecclesiastæ atque Ecclesiastici locos . Ac de Cantico quidem , æqui judices facilè concedent ut dicatur copiosius , cùm ubique geminus afferendus sit sensus , historicus alter sive proximus de Salomonis ac sponsæ Ægyptiacæ , alter allegoricus et mysticus de Christi et Ecclesiæ sanctarumque animarum beato conjugio castisque deliciis ; uterque reconditissimus , allegoricus verò quām maximè , quem in hoc libro non modò dignitate ac veritate potiorem , verūm etiam à Spiritu sancto præcipuè spectatum uno ore consentiunt . In hâc autem allegoriâ prosequendâ , non nostri , sed Patrum sensus exponendi erant , ne in tam gravi argumento , nostris arbitriis , sine fine modoque ludere videremur ; quod genus interpretandi copiosum esse oportet , cùm tot ac tanta occurrant in eam rem dicta à Patribus et interpretibus , ut et in ipso delectu laboret animus , et ipsam segetem amplam esse necesse sit , tametsi optima quæque ac selectissima colligamus .

De cæteris verò notis prolixioribus alia ratio est . Aut enim historicæ , aut dogmatica quædam perse- quenda fuerunt : atque historicæ quidem in Ecclesiastico : ( xxxvi . l . li . ) quæ si paucis ageremus , nullam rebus lucem , nullam lectori studioso opem allaturi eramus . Dogmatica verò nonnulla in Ecclesiastæ atque Ecclesiastici uno vel altero loco , paulò copiosius tractari oportuit , ( Eccl . xii . 7 . Eccli . li .

14.) ubi necessariò castigandi veniebant qui in interpretandis illis à fidei regulâ aut Patrum sensibus abhorrent. Quæ quidem ut parcè fieri, ita ubi res postulabat, non prorsus prætermitti debere duximus.

XI.  
Vulgatæ nostræ glossemata: hebraismi in libris Salomonis atque aliis: nota necessaria de comparationibus.

Non pigebit autem hîc ad calcem apponere quædam Vulgatæ nostræ glossemata, eosque hebraismos, qui passim occurrant cùm in Salomonicis, tum etiam, ut semel hunc absolvamus locum, in Sapientiâ et Ecclesiastico. Atque animam quidem hebraicâ phrasi pro personâ positam omnes norunt: cor pro intellectu sumitur: callidus, versutus, astutus, in bonam fere partem, pro cauto, prudente, sapiente; derisor, illusor, contemptor, prævaricator, pestilens, impius, malum et nequam sonant; quo genere nequitiae, res subjecta determinat: disciplina, doctrinam; indisciplinatus indoctum denotat; requies sæpiissime pro cessatione ponitur; requievit pro cessavit, nonnunquam activè pro cessare fecit; infernus pro sepulcro, ut in totâ Scripturâ passim; hæreditare pro sortiri, interdum activè pro sortiri facere; ut est illud *Eccli. xvii. 9. Legem vitæ hæreditavit illos*, id est, hæreditare, sive sorti habere fecit: panis pro alimentis, atque aliis vitæ sustentaculis: confessio pro laude: minoratio pro damno, sive diminutione, atque hæc quidem pervulgata: obscuriora ista in Ecclesiastico, obductio, obductus, pro impetu hostili, immissisque sive illatis calamitatibus: alicujus rei continens, pro compote: datus pro datione ac dato sive dono: istud verò obscurissimum, natio pro nativitate, pro sobole, pro agrorum sive arborum fructu ac proventu: quo etiam sensu, generatio, generationes; ut in illo: à

*generationibus*

*generationibus meis implemini: Eccli. xxiv. 26.* hoc est, sapientiae, tanquam agri feracissimi aut arboris praecellentissimæ, fructibus ac frugibus. Quo etiam loco notanda venit præpositio *à*, ut aliae *de*, *ex*, *cum*, sæpe omissæ, sæpe superfluæ, unde in sermone, ex defectu sive redundantia obscuritas. Jam ex græcâ quoque phrasi illud frequentissimum; infinitus pro gerundio, ut illud: *posuit oculum suum... ostendere illis*, *Eccli. xvii. 7.* id est, ad ostendendum, sive ut ostenderet: tum illud, Dei nomen sæpe supplendum, quale est illud: *Deprecatio pauperis ex ore usque ad ejus aures perveniet nempe Dei: Eccli. xxi. 6.* quod est familiare Hebræis: eò quòd Deus semper debeat esse menti præsentissimus, ac facilè subintelligendus: unde etiam illud: *ibidem xxvii. 1. Qui querit locupletari, avertit oculum suum*, supple *à* Deo, seu quod idem est, *à* lege. Denique illud; in comparationibus ac similitudinibus multa supplenda, quorum exempla invenias, Proverb. xxv. imprimis, comparandi et comparationes reddendi particulæ, id est, *quemadmodum, sic*, et cæteræ, quarum loco Hebræi passim substituunt conjunctivam, *et*, ut in illo: *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem*, xxv. 23. interdum hanc etiam suppressunt: *Nubes et ventus et pluviae non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens*, *ibid. 14.* quod sæpe non levem difficultatem parit, ut in illo: *Amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo*, sive afflito, *ibid. 20.* Quæ perspicua fiunt, si particulæ comparandi supplereris, ut ad eum locum, et alibi fecimus. Sæpe etiam aliquid supplen-

dum in rebus ad quas fit comparatio ut in eodem versu : item : *ibid.* 19. *Dens putridus et pes lassus , qui sperat super infideli :* sic supplendum, qualis est qui dente. putrido ac pede lasso utitur , talis is qui sperat super infideli : et *ibid.* 16 , 17. *Mel invenisti , comedere quod sufficit tibi , ne forte satiatus evomas illud. Subtrahē pedem tuum de domo proximi tui , nequando satiatus oderit te :* tanquam diceret : Sicut qui mel nimium comedit , ad satietatem ac vomitum adducitur , ita te proximus ejiciet et evomet , si plus æquo te ingesseris. Omissum etiam interdum alterum comparationis membrum , puta ipsa redditio sive applicatio , ut in illo : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui , Prov. xxvii. 23.* omissa applicatio ad eos qui hominum sive rationalis gregis curam gerant : et apud Ecclesiasten , x. 8. *Qui fodit soveam... et qui dissipat sepem , etc.* omissa redditio , quam ad eum versum suppletam videre erit. Sic in illo *Ecclesiastici* xxvi. 15. *Sicut viator sitiens , etc.* supplenda applicatio propter eam causam quam ad eum locum diximus. Universim apud Hebræos aliosque Orientales supplenda multa : valetque id quod monemus Præfatione in Psalmos , *cap. iv. 24.* vii. 38. tenuia hæc et obvia ; sed parvulos quoque adjuvare oportet , ut sine offendiculo præclaras percurrent sententias.

---

# S. HIERONYMI PRESBYTERI

## PRÆFATIO IN LIBROS SALOMONIS,

AD CHROMATIUM ET HELIODORUM EPISCOPOS.

JUNGAT Epistola, quos jungit sacerdotium, immò charta non dividat quos Christi nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsisse, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum; notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium; quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare: aut in ratione dati et accepti, cuiquam præter vos, obnoxius sim. Itaque longâ ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus non mini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum: *Masloth*, quas Hebræi *Parabolas*: vulgata autem editio *Proverbia* vocat: *Coeleth*, quem græcè *Ecclesiasten*, latinè *Concionatorem* possumus dicere: *Sir assirim*, quod in nostrâ linguâ vertitur *Canticum Cantorum*. Fertur et panaretos Jesu filii Sirach liber, et alias pseudepigraphus, qui *Sapientia Salomonis* inscribitur. Quorum priorem, hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed Parabolas prænotatum; cui juncti erant Ecclesiastes et Canticum Cantorum: ut similitudinem Salomonis, non solùm librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est;

quia et ipse stylus græcam eloquentiam redolet : et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, et Tobi , et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia , sed eos inter canonicas Scripturas non recipit ; sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis , non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sanè septuaginta Interpretum magis editio placet, habet eam à nobis olim emandatam. Neque enim nova sic crudimus, ut vetera destruamus. Et tamen cùm diligentissimè legerit, sciat magis nostra scripta intelligi, quæ non in tertium vas transfusa coacuerint, sed statim de prælo purissimæ commenda data testæ, suum saporem servaverint.

---

# SANCTI ISIDORI PELUSIOTÆ,

LIB. IV. EPISTOLA XL.

## DE TRIBUS SALOMONIS LIBRIS.

QUONIAM ordinem trium Salomonis librorum discere cupis, scito unum illorum docere virtutem moralem; alterum ostendere quām sit vanus labor eorum, qui rebus hujus vitæ nimis attendunt, tertium denique, amorem quo erga res divinas prædicta sit illa anima, quæ superiora jam didicit. Atque hæc ratio est ordinis: quære illud quidem primo loco, istud autem secundo, hoc denique tertio collocatum sit opus. Qui autem in ethicis, probè se gessit, dum Proverbiorum scriptoris discipulus fuit, de eo metuendum non est, ne ad Canticum Canticorum delatus, in carnalem et vulgarem amorem incidat; quin potiùs futurum est, ut ad purum ac divinum illum sponsum, quasi quibusdam alis, efferatur, qui beatos pronuntiat eos, qui tali sunt amore vulnerati. Moneo itaque adolescentes, ne priùs tertium attingant opus, quām in prioribus duobus præclarè se gesserint. Absurdum enim, vel potiùs nimis temerarium, et audax est negotium, et à mysticis legibus abhorrens, ut in adyta insiliant, seseque penetrent, qui ne vestibulis quidem sint adhuc digni. Quemadmodum enim in templo, ea quidem quæ foris erant, omnibus adire licebat: quæ verò intus erant sacra, quæ velo comprehendebantur obiecta, quamvis, alioquin adiri poterant, tamen à vulgo non consecrato et profano adiri non poterant; quæ denique intima

erant Sancta sanctorum, et sacratissima sacra, ad ea nec illis quidem patebat aditus, qui vitam agerent inculpatam : sed soli fas erat ingredi summo sacerdoti, qui nimirum seipsum consecrarat, et omnem mortalem rugam deposuerat. Sic etiam erga hosce Salomonis libros affecti esse debent adolescentes; et primùm quidem omnium splendere morum virtute; deinde verò, rerum ad hanc vitam pertinentium nullitatem atque inanitatem condemnare; et sic demum ea attingere, quæ vulgus hominum assequi nequit. Nam qui extra septa esse debeant, si temerario ausu, in sacra divina, non initiati, irruere præsumpserint, pœnas dabunt extremas.

---

# LIBER

# PROVERBIORUM.

---

## CAPUT PRIMUM.

*Parabolæ utilitas : fundamentum sapientiæ , Dei timor et cultus : majorum doctrina : impiorum illecebræ , casus : sapientia blanda hominum invitatrix : ad extreum contemptores terret.*

1. PARABOLÆ Salomonis filii David , regis Israel.

2. Ad sciendam sapientiam et disciplinam :

3. Ad intelligenda verba prudentiæ , et suscipiendam eruditionem doctrinæ , justitiam , et judicium , et æquitatem :

4. Ut detur parvulis astutia , adolescenti scientia , et intellectus.

<sup>1</sup> *Parabolæ Salomonis.* Titulus antiquorum more cum ipso textu conjunctus.

<sup>3</sup> *Ad intelligenda verba prudentiæ :* intelligentiæ : Heb. *Binah.* *Et suscipiendam eruditionem doctrinæ :* disciplinam : Heb. *Mousar:* ut suprà ¶ 2. Monet eos quos imbuīt , ut non solum sapientiam , quam ipsi percepint , amplecti..... sed etiam verbis prudentiam auscultare , et hæc intelligere carent. Beda. *Justitiam , et judicium , et æquitatem :* rectitudines : Heb. In justitiâ , actio recta secundum regulam veritatis ; in judicio , discretio boni et mali , dum agimus cum proximo ; in æquitate , rectiudo mentis ; cùm sincerâ intentiōe Deo placere contendimus. Idem .

<sup>4</sup> *Ut detur parvulus :* non tantum proiectioribus et rerum experientiâ doctis ; verum etiam parvulus : juxta illud : *Testimonium Domini fidele , sapientiam præstans parvulus.* Psalm. xviii. 8. Parvulos dicit sensu simplices , et qui nuper sapientiæ aures accommodare cœperunt : Beda. *Astutia :* cautela diligens , quæ rudibus et incipientibus necessaria. *Adolescenti scientia :* puero : Heb. qui juu ali-

5. Audiens sapiens, sapientior erit; et intelligens, gubernacula possidebit.

6. Animadvertis parabolam et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum.

7. Timor Domini, principium sapientiae: sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.

quantum in eruditione profecerit. Beda. *Et intellectus: cogitatio, solertia: Heb. ut improvida ætas his instructa consiliis, senum æquet prudentiam, juxta illud: Super scnes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Psal. cxviii. 100.*

5 *Audiens sapiens, sapientior erit.* Hactenus rudimenta; nunc incrementa ponit: ut non modò imperitis, puta pueris, verùm etiam doctis, sapientiae studium necessarium esse videatur. Significat autem neminem usque adeo esse sapientem, ut non ei sapientia doctrinaque addi possit: sicut ait Paulus: *crescentes in scientiâ Dei. Col. I. 10. Gubernacula possidebit.* Tachboulot: consilia: Heb. gubernandi rationem, artem quâ, velut arrepto clavo, navem dirigat.

6 *Animadvertis parabolam:* ut intelligat: Heb. *Et interpretationem.* Alioquin fiet illud quod ait Propheta: *Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis: Is. vi. 9.* referente Matthæo, xiiii. 14. unde discipuli ad Dominum: *Edissere nobis parabolam.* Ibid. 36. Pro interpretatione, alii vertunt facundiam: lxx. verò obscurum seu tenebrosun sermonem, quem scrutari oporteat, altius latente sensu: atque his libri aperit scopum. *Ænigmata eorum.* Parabola, comparatio, ut jam diximus: ænigma verò quæstio obscurior quæsitis verborum involucris tecta. Exemplum parabolæ Iudic. ix. 8. de arboribus regem electuris: ænigma autem, ibid. xiv. 14. est Samsonis illud: *De comedente..... cibus, et de forti..... dulcedo.* Antiquos sapientes parabolis problematisque atque ænigmatis ludere solitos, habes etiam apud Græcos scriptores, præsertim, nisi fallor, in Plutarchi Convivio.

7 *Timor Domini.* Proposito egregii operis instituto, nunc rem ipsam aggreditur. Ac primum adhortatur ad sapientiam usque ad caput x. Hic autem statim ponit verae sapientiae fundamentum, qui est timor Domini, seu verus Dei cultus: sicut est apud Jonam, i. 9. *Hebræus ego sum, ac Dominum Deum cœli ego timeo:* repetitum insrà, Prov. ix. 10. et alibi sèpè. Recte etiam illud, passim apud Augusti-

8. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ:

9. Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.

10. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

11. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra:

12. Deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendenter in lacum.

13. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.

14. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.

num: quod à timore pœnae inducamur ad amorem justitiae, quæ perfecta sapientia est.

<sup>8</sup> *Audi, fili mi.* Caput veri cultūs, retinere traditam à majoribus doctrinam: sicut dicebat Moses: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi.* Deut. xxxii. 7. et infrà: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.* Proverb. xxii. 28.

<sup>9</sup> *Ut addatur gratia,* decor seu corona, *capiti tuo, et torques collo tuo:* justitia tibi gloria et ornamento erit. Vide infrà, III. vi. 21.

<sup>10</sup> *Si te lactaverint peccatores:* id est, pelleixerint. Propositiis quaerendæ sapientiae causis, nunc amoget obstacula: orditur autem ab avaritiâ, quæ malorum omnium radix, teste Paulo, I. Tim. vi. 10.

<sup>11</sup> *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra:* gratis: LXX. *ἀδίκως:* alii, impunè. Vide infrà, V. 17.

<sup>12</sup> *Sicut infernus:* sepulcrum, ut in Scripturis passim.

<sup>14</sup> *Sortem mitte nobiscum:* velut ad partiendam prædam. *Marsupium unum sit:* alia quidem sortiamur: communicemus verò pecuniam. Specie amicitiae ac fidei ducunt, communia enim amicorum omnia.

15. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.

16. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.

17. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.

18. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas.

19. Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt.

20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam :

21. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua , dicens :

22. Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti

<sup>17</sup> *Frustra..... jacitur rete : impunè : lxx. non injustè : reprehensione nullà : homines tanquam aves capiamus, nullo utrorumque discrimine.*

<sup>18</sup> *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur. Dum alios capere moliuntur , ipsi se in laqueos inducunt : canente Psalmistâ : Incidit in foveam quam fecit: Psal. vii. 16. et iterum: Qui diligit iniuriam, odit animam suam. Psal. x. 6.*

<sup>19</sup> *Sic semitæ omnis avari. Sic avari suis in semitis , sive astutiis , pravisque molitionibus comprehensi , ab ipsâ quam possidere videntur pecuniâ , possidentur , rapiunturque ad interitum.*

<sup>20</sup> *Sapientia foris prædicat. Aliud argumentum conquirendæ sapientiæ , ipsa facilitas : quòd obvia omnibus ac patens ultro occurrat quærentibus.*

<sup>21</sup> *In capite turbarum : in triviis , in locis frequentissimis. In foribus portarum ; arcium : alii murorum , et ita lxx. quòd in portis secret consensus publicus.*

<sup>22</sup> *Usquequo , parvuli , diligitis infantiam : quemadmodum infra , ix. 6. Relinquite infantiam , et vivite. Stulti ea quæ sibi sunt noxia. Recitè : omnis enim malus , stultus : stultus autem sibi noxius. At Heb. simplicius: usquequo , imperiti , diligitis imperitiam , stulti*

ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam?

23. Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.

24. Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.

25. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.

26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis, id quod timebatis, advenerit.

27. Cùm irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio et angustia:

28. Tunc invocabunt me, et non exaudiam: manè consurgent, et non invenient me:

29. Èò quòd exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non suscepserint;

30. Nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ.

31. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

stultitiam, seu derisores derisionem? quâ voce non tantum stultitia, sed etiam impietas designatur. Derisores autem, queis vita nil, nisi lusus. *Sap. xv. 12.*

<sup>23</sup> Proferam vobis spiritum meum: sensum, vocem: sicut infrà, xxix.  
ii. Totum spiritum suum profert stultus.

<sup>24</sup> Vocavi, et renuistis. Locus à comminatione. In interitu vestro ridebo: piis etiam ultro insultantibus, ac dicentibus: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum:* Psal. li. 8. Deo quoque irridente et increpante: *Ecce Adam, quæst unus ex nobis.* Gen. iii.

32. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.

33. Qui autem me audierit, absque terrore requiesceret, et abundantiam perfruetur, timore malorum sublato.

*32 Aversio parvulorum interficiet eos.* Peribunt, quod puerorum atque imperitorum exemplo, à sapientiae consilio auditum averterint. *Et prosperitas stultorum perdet illos:* tranquillitas: impunitas. Ita enim putant bené sibi omnia per nequitiam eventura.

---

## CAPUT II.

*Sapientia bona confert, arcet mala: lucem affert: abstrabit à voluptatibus et muliebribus illecebris.*

1. FILI mi, si suscepferis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te,

2. Ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.

3. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiae:

4. Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam:

5. Tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies:

*Si... mandata... absconderis penes te: quasi rem pretiosissimam: quo sensu: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Psal. cxviii. 11.*

4 *Si quæsieris eam quasi pecuniam: pari studio, pari labore, unde sequitur: et sicut thesauros effoderis illam: ut altè reconditam. Sic David: In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis: et iterum: Dilexi mandata tua super aurum purissimum: denique: Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Psal. cxviii. 14, 127, 162. Vide infrà, m. 14, 15.*

**6.** Quia Dominus dat sapientiam , et ex ore ejus prudentia et scientia.

**7.** Custodiet rectorum salutem , et proteget gradi entes simpliciter :

**8.** Servans semitas justitiae , et vias sanctorum custodiens.

**9.** Tunc intelliges justitiam , et judicium , et aequitatem , et omnem semitam bonam .

**10.** Si intraverit sapientia cor tuum , et scientia animae tuae placuerit

**11.** Consilium custodiet te , et prudentia servabit te ,

**12.** Ut eruaris à viâ malâ , et ab homine qui perversa loquitur :

**13.** Qui relinquunt iter rectum , et ambulant per vias tenebrosas :

**14.** Qui lætantur cùm malefecerint , et exultant in rebus pessimis :

**15.** Quorum viæ perversæ sunt , et infames gressus eorum.

*7 Custodiet rectorum salutem..... gradientes simpliciter.* En illa duo quæ passim Scriptura conjungit : rectitudo cordis ad normam compositi : et morum simplicitas , sine fraude , sine fuso : quemadmodum sanctus Job , 1. 1. *Vir simplex et rectus , ac timens Deum :* cùm è contra malorum hominum viæ , distortæ sive abnormes , perversæque sint : ut habes infrà , 12 , 13 , 14 , 15. et toto libro passiti.

*9 Tunc intelliges justitiam , etc. de quibus suprà , 1 , 3.*

*13 Vias tenebrosas :* luce veritatis ac justitiae destitutas : unde passim in Scripturis , filii lucis , filii tenebrarum ; dicente Domino : *Qui sequitur me , non ambulat in tenebris , sed habebit lumen vitæ.* Joan. viii. 12. Vide infrà , iv. 19.

*15 Quorum viæ perversæ sunt :* obliquæ , distortæ , tortuose ; rejectæ quippe normâ. *Et infames gressus eorum :* turpes : Heb. rece- dentes , devii.

16. Ut eruaris à muliere alienâ, et ab extraneâ quæ mollit sermones suos,

17. Et relinquit ducem pubertatis suæ,

18. Et pacti Dei sui oblita est : inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius.

19. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.

20. Ut ambules in viâ bonâ, et calles justorum custodias.

21. Qui enim recti sunt, habitabunt in terrâ, et simplices permanebunt in eâ.

22. Impii verò de terrâ perdentur, et qui iniquè agunt, auferentur ex eâ.

16 *Ut eruaris à muliere alienâ.* Aliud obstaculum à lenociniis voluptatum, atque impudicis amoribus. Idem locus pertractatur cap. v. vi. vii. ix. xxiii. 27, 28.

17 *Ducem pubertatis suæ.* Virum cui virgo nupsit : quo sensu apud Homerum : *κωριδίνη ἀλοχός.* Sic etiam animæ instabiles, seductæ ab hereticis, excidunt à simplicitate quæ est in Christo, cui ut cæsta virgo, erant traditæ. II. Cor. xi. 2, 3.

18 *Et pacti Dei sui oblita est :* legis, adulteria prohibentis. *Inclinata est :* depressa, declivis. Ch. in foveâ lubricâ.

19 *Non revertentur :* ut qui in ferarum speluncam inciderint ; neque unquam ad se redibunt, pravis inescati libidinibus, et voluptatibus mersi.

20 *Ut ambules in vid' bond.* Redi ad 8. 11. *Prudentia servabit te :* 12. *ut eruaris à vid' mal'd :* 16. à muliere alienâ; et : *ut ambules in vid' bond :* hæc enim omnia consequeris, si prudentia te regat.

## CAPUT III.

*Vita : rerum copia , veraeque divitiae , ac perfecta securitas , per sapientiam : beneficentia commendatur , 27 , 28. malos perdit Deus : bonis benefacit.*

1. FILI mi, ne obliviscaris legis meae , et præcepta mea cor tuum custodiat :
2. Longitudinem enim dierum , et annos vitæ , et pacem apponent tibi .
3. Misericordia et veritas te non deserant : circumda eas gutturi tuo , et describe in tabulis cordis tui :
4. Et invenies gratiam et disciplinam bonam , coram Deo et hominibus .
5. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo ; et ne innitaris prudentiæ tuæ .
6. In omnibus viis tuis cogita illum , et ipse diriget gressus tuos .

<sup>2</sup> *Longitudinem dierum.* Aliud argumentum conquirendæ sapientie , à divinis pollicitationibus , ac mercede promissâ : qualis illa est : *Honora patrem et matrem..... ut longo vivas tempore.* Deut. v. 16. quod et ad cætera præcepta protenditur : *ut bene sit tibi , et longo vivas tempore.* Ibid. xxii. 7. Et iterum : *Ponduis habebis justum et verum..... ut multo vivas tempore.* Ibid. xxv. 15. et alibi passim. *Et pacem :* alia merces. *Non enim est pax impiis :* et : *impii quasi mare fervens : inquieti , ac velut turbinibus acti :* et : *væ impio.* Is. iii. 11. xlvi. 22. lvii. 20, 21. *Quod etiam Salomon copiosius exequetur hic :* 23.

<sup>5</sup> *Ne innitaris prudentiæ tuæ :* quod est ḥ. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Paulus : *Nolite esse prudentes apud vosmetipso.* Rom. xii. 16. *Perdam enim sapientiam sapientium.* I. Cor. i. 19. ex Is. xxix. 14. *Unde Christus factus est nobis sapientia à Deo , et justitia , et sanctificatio , et redemptio : ut , quemadmodum scriptum est : qui gloriatur , in Domino gloriatur.* Ibid. 30, 31.

7. Ne sis sapiens apud temetipsum : time Deum , et  
recede à malo :

8. Sanitas quippe erit umbilico tuo , et irrigatio  
ossium tuorum .

9. Honora Dominum de tuâ substantiâ , et de pri-  
mitiis omnium frugum tuarum da ei :

10. Et implebuntur horrea tua saturitate , et vino  
torcularia tua redundabunt .

11. Disciplinam Domini , fili mi , ne abjicias : nec  
desicias , cùm ab eo corriperis :

12. Quem enim diligit Dominus , corripit , et quasi  
pater in filio complacet sibi .

13. Beatus homo qui invenit sapientiam , et qui  
affluit prudentiâ .

14. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti ,  
et auri primi et purissimi , fructus ejus :

15. Pretiosior est cunctis opibus : et omnia , quæ  
desiderantur , huic non valent comparari .

16. Longitudo dierum in dexterâ ejus , et in sinistrâ  
illius divitiae et gloria .

17. Viæ ejus , viæ pulchræ , et omnes semitæ illius  
pacificaæ .

<sup>8</sup> *Umbilico tuo.* Per umbilicum et ossa , interiores quæque et infir-  
miores partes designantur , quibus maximè valetudo continetur . *Et*  
*irrigatio ossium tuorum :* pinguedo , medulla .

<sup>10</sup> *Implebuntur horrea tua.* Alia merces , rerum omnium copia  
passim apud Mosen , ac præsertim Levit . xxvi . 4 , 10. altiore sensu :  
*tanquam nihil habentes , et omnia possidentes.* II. Cor . vi . 10. Quem  
sensus habes postea , ¶ . 14 , 15. et seqq .

<sup>14</sup> *Melior est acquisitio :* Heb. negotiatio , ejus negotiatione argenti :  
eodem ubiqüe vocabulo : *et auri primi :* et præ auro fructus ejus :  
proventus , sapientiæ scilicet .

<sup>15</sup> *Pretiosior.... cunctis opibus :* gemmis , margaritis : Heb.

18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.*

19. *Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cœlos prudentiâ.*

20. *Sapientiâ illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt.*

21. *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis : custodi legem atque consilium :*

22. *Et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis.*

23. *Tunc ambulabis fiducialiter in viâ tuâ, et pes tuus non impinget :*

24. *Si dormieris, non timebis, quiesces, et suavis erit somnus tuus.*

25. *Ne paveas repentina terrore, et irruentes tibi potentias impiorum.*

26. *Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.*

<sup>18</sup> *Lignum vitæ*: longa vita, ut &c. 2, 16. Allusum ad illud lignum vitæ in *Paradiso*. *Gen.* 11. 9. 111. 22. ut et infrà, XIII. 12. XV. 4.

<sup>19</sup> *Dominus sapientiâ fundavit terram*. Alia commendatio sapientiæ ab operibus: quod copiosius explicat infrà, VIII. 22.

<sup>20</sup> *Eruperunt abyssi*: fontes et flumina per terræ venas mean<sup>t</sup> et emanant. *Nubes rore concrescunt*: aer stillat roribus: Heb. aquæ supremæ et infimæ æquæ deducuntur Dei sapientiâ.

<sup>21</sup> *Custodi legem*: quod alii vertunt, essentiam: eodem apud *Hebræos* sensu.

<sup>22</sup> Aliud argumentum: vera securitas per sapientiam, de quâ securitate: 24, 25, 26, et antea 2, 17. Summa: securæ conscientiæ, secura omnia sub Deo custode.

<sup>23</sup> *Ne paveas repentina terrore*: unde illud: *Dominum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. *Psal. XIII. 5*. Contrà de piis: *Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno*. *Psal. XC. 5*.

27. Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac :

28. Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere; cras dabo tibi : cùm statim possis dare.

29. Ne moliaris amico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam.

30. Ne contendas adversùs hominem frustra , cùm ipse tibi nihil mali fecerit.

31. Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus :

32. Quia abominatio Domini test omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus.

33. Egestas à Domino in domo impii : habitacula autem justorum benedicentur.

34. Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.

35. Gloriam sapientes possidebunt : stultorum exaltatio , ignominia.

<sup>28</sup> *Cras dabo* : Rectè hīc commemorant Antiochum illum , cui cognomen , δόξων : quòd semper datus , nunquam dans, vanis pollicitationibus ludiscaret amicos.

<sup>30</sup> *Ne contendas adversùs hominem frustra* : de rebus nihili : sive immerito : gratis. *Si quis enim videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* I. Cor. xi. 16.

<sup>32</sup> *Quia abominatio Domini est omnis illusor* : perversus: παράνοος, LXX.

<sup>33</sup> *Egestas à Domino in domo impii* : maledictio, κατάρα, 70.

<sup>34</sup> *Deludet illusores* : quæ ipsa est sententia memorata à Jacobo et Petro , juxta 70. his verbis : *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Jac. iv. 6. I. Pet. v. 5.

<sup>35</sup> *Stultorum exaltatio , ignominia.* Stulti exaltant ignominiam : Heb. 70. *insipientia enim eorum, tanquam alto loco posita, manifesta erit omnibus.* II. Tim. iii. 9.

## C A P U T I V.

*Salomon ab ipsa pueritia sapientiam doctus, ejus bona commendat : malorum inquietudo ac perversitas : vir bonus cor custodiat : prava arceat colloquia : agenda prospiciat: 25, 26, 27.*

1. AUDITE , filii, disciplinam patris, et attendite, ut sciatis prudentiam.

2. Donum bonum tribuam vobis; legem meam ne derelinquatis.

3. Nam et ego filius fui patris mei, tenellus, et unigenitus coram matre meâ :

4. Et docebat me, atque dicebat : Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, et vives.

5. Posside sapientiam , posside prudentiam : ne obliviscaris, neque declines à verbis oris mei.

6. Ne dimittas eam, et custodiet te: dilige eam, et conservabit te.

7. Principium sapientiæ, posside sapientiam ; et in omni possessione tuâ acquire prudentiam :

8. Arripe illam, et exaltabit te : glorificaberis ab eâ, cùm eam fueris amplexatus.

9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et coronâ inclytâ proteget te.

<sup>3</sup> *Filius fui patris mei : cæteris majoribus licet antepositus , et ad spem regni eductus : tenellus et unigenitus : tam carus matri, atque unigenitus : nam et matri Bethsabee filiæ Ammiel, præter Salomonem, dantur alii tres ex Davide filii. I. Par. iii. 5. Sed Salomon dilectissimus : unde illud Canticum, pro dilecto : in titulo Psal. XLIV. Vide autem pietatem Salomonis hic et ubique passim studiosissimè commendantis matreri optimam, et unâ cum Davide à peccato ad summa proiectam.*

<sup>7</sup> *Principium sapientiæ, posside sapientiam : prima tibi sit sapientiæ cura.*

10. Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vita.

11. Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis:

12. Quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.

13. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam; quia ipsa est vita tua.

14. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.

15. Fuge ab eâ, nec transeas per illam: declina, et desere eam.

16. Non enim dormiunt, nisi malefecerint; et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint.

17. Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt.

18. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.

19. Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.

20. Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam.

<sup>16</sup> *Nisi supplantaverint: malefecerint, deceperint.*

<sup>17</sup> *Panem impietatis, vinum iniquitatis: malè partum, seu rapinâ, seu dolo.*

<sup>18</sup> *Justorum semita, quasi lux. Erumpet, quasi mane, lumen tuum.*  
Is. LVIII. 8. *Procedit et crescit usque ad perfectam diem: quæ lux decrementa nescit: à claritate in claritatem.* II. Cor. II. 18.

<sup>19</sup> *Via impiorum tenebrosa: plena offendiculis quæ non vident: unde: nesciunt ubi corruant: juxta illud Davidicum: Fiat via illorum tenebræ et lubricum.* Psalm. XXXIV. 6.

21. Ne recedant ab oculis tuis; custodi ea in medio cordis tui:

22. Vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas.

23. Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.

24. Remove à te os pravum, et detrahentia labia sint procul à te.

25. Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

26. Dirige semitam pedibus tuis: et omnes viæ tuæ stabilientur.

27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: averte pedem tuum à malo. Vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt, quæ

*25 Oculi tui recta videant: primùm enim explorare ac videre oportet quæ recta sunt, ut fiat illud Pauli: omnia probate, quod bonum est tenete. I. Thess. v. 20. Palpebræ tuæ, oculi, præcedant gressus tuos: quidquid agas, prospice quem in finem eventurum sit; præcipitis enim animi est ire antequam videoas, eoque ingredi, unde pedem referre non possis. Rectè Beda: Iter justitiae quod ingredi debeas, diligenter edisce: bonum opus quod acturus es, sedula cogitatione præveni. Vide Eccl. ii. 14.*

*26 Dirige semitam pedibus tuis: quod est illud ex 70. deductum, et à Patribus toties memoratum: rectos cursus fac pedibus tuis, et vias tuas dirige.*

*27 Ne declines ad dexteram: quod est ire rectâ, aberrare nusquam: proverbialis locutio. I. Reg. vi. 12. II. Reg. 11, 19. Unde illa sapiens Thecuitis: Nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his quæ locutus es: rectè conjectatus es, nec à vero aberrasti. II. Reg. xiv. 19. Vias quæ à dextris sunt novit Dominus: id est, probat: sicut scriptum est: Novit Dominus viam justorum: Psal. i. 6. et ad Moysen: Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me: Exod. xxxiii. 12. unde ad reprobos dicitur: Nunquam novi vos: Matt. vii. 23. ut Augustinus passim, et disertè ad hunc locum Epist. poster. ad Valen-*

à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet **cursus tuos**, itinera autem tua in pace producet.

tin. præfixâ libro de Grat. et Lib. arbit. n. 7. quo loco et istud recte: ita bonas esse vias *quæ à dextris sunt*, ut in dexteram *tamen declinare non sit bonum*. Declinat ad sinistram, qui mala opera facit: ad dexteram verò, qui bona ipsa opera, *quæ ad vias dexteræ pertinent*, sibi vult assignare, non Deo. Simili modo, ex Bedâ hic: declinat ad sinistram, qui desipit: ad dexteram verò, qui plus sapit quâm oportet sapere. Declinat ad sinistram, qui vim præceptorum relaxat in malum: ad dexteram verò, qui alligat et imponit in humeros hominum onera importabilia, ut habetur, *Matt. xxiii. 4*. Porrò ab illis verbis: *vias quæ à dextris sunt, novit Dominus*: totum illud in Hebreo deest, et à 70. sumptum.

---

## C A P U T V .

*Custodienda mens et lingua, ne à voluptatibus abstrahamur: impudicæ mulieris artes, falsa dulcedo, instabilitas, fallacia: hinc pestis rei, famæ, valetudini: sera pœnitentia: casti conjugii laus.*

1. *Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam,*
2. *Ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallacie mulieris.*
3. *Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo gutturi ejus:*
4. *Novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps.*
5. *Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.*

\* *Ut custodias: contineas ac regas cogitationes: non tantum opera vel verba. Ne attendas fallacie mulieris: deest Heb. habent. 70.*

<sup>3</sup> *Et nitidius oleo gutturi ejus: lene præ oleo guttur. Sic Psal. LIV.*  
22. *Molliti sunt sermones ejus super olcum.*

6. Per semitam vitæ non ambulant: vagi sunt gressus ejus, et investigabiles.

7. Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recedas à verbis oris mei.

8. Longè fac ab eâ viam tuam, et ne appropinques foribus domûs ejus.

9. Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli:

10. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo alienâ;

11. Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas:

12. Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum,

13. Nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam?

14. Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ et synagogæ.

15. Bibe aquam de cisternâ tuâ, et fluenta putei tui:

6 *Vagi sunt gressus ejus, et investigabiles: non vestigabiles, indepresi, ignoti: Heb. tot se fallaciis technisque involvit.*

9 *Ne des alienis honorem tuum: ne sis eis ludibrio, spoliatus et egens: unde:*

10 *Ne expleantur extranei viribus tuis: ne opes tot laboribus partæ, alienam in familiam transferantur: enectoque per libidines corpore, frustra gemas. ¶ 11.*

12 *Cur detestatus sum disciplinam? Sera pœnitentia, ad quam etiam istud pertinet.*

14 *Pene fui in omni malo: propemodum omnia mala sum expertus. In medio ecclesiæ et synagogæ: libidinibus æquè, ac miseriis vulgo notus: bona, valeudo, fama pariter perierunt.*

15 *Bibe aquam de cisternâ tuâ: uxore legitimâ esto contentus.*

16. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.

17. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

18. Sit vena tua benedicta; et lætare cum muliere adolescentiae tuæ.

19. Cerva carissima, et gratissimus hinnulus; ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.

20. Quare seduceris, fili mi, ab alienâ, et foveris in sinu alterius?

21. Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat.

22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.

23. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et in multitudine stultitiae suæ decipietur.

<sup>16</sup> *Deriventur fontes tui*: multiplicabuntur liberi tui, et posteritas tua latè patebit.

<sup>17</sup> *Habeto eas solus*: aquas; liberos tuos: castum custodi matrimonium, ut tuo quoque exemplo servet uxor pudicitiam, nec liberi tui incerto patre nati habeantur.

<sup>18</sup> *Sit vena tua*: fons tuus: *benedicta*: fœcunda: læto proventu felix. *Cum muliere adolescentiae tuæ*: quam duxisti adolescens: ut supra, 11, 17.

<sup>19</sup> *Cerva carissima*: amorum vocabula, quibus conjugem prosequeris. *In amore ejus delectare*: non in meretriciis amoribus: et tamen memineris id quoque esse vanum. *Eccl. 11. 1. et seqq.* tibique, christiane, dictum: *Tempus breve est*: *relicquum est*, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint: neque carni, sed spiritui serviant, seque transire cogitent, non manere. *I. Cor. vii, 29, 30, 31.*

## CAPUT VI.

*De non temerè fidejubendo : ad formicam piger : apostatae , sive va-  
fri turbulentique homines : septem Deo exosa : perpetua attentio ad  
legem : hinc tutela adversus muliebres illecebras.*

1. *Fili mi, si sponderis pro amico tuo , desixisti  
apud extraneum manum tuam,*

2. *Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis  
sermonibus.*

3. *Fac ergo quod dico , fili mi, et temetipsum li-  
bera : quia incidisti in manum proximi tui. Discurre,  
festina , suscita amicum tuum :*

4. *Ne dederis somnum oculis tuis , nec dormitent  
palpebræ tuae.*

5. *Eruere, quasi damula , de manu , et quasi avis,  
de manu aucupis.*

<sup>1</sup> *Si sponderis.* Oeconomicum de non fidejubendo , sæpe reper-  
tium : xi. 15. xvii. 18. 16. xxii. 26. xxvii. 13. non quòd spondere  
vetet , qui et largiri præcipit, iii. 27, 28. et alibi sæpe ; sed interim  
hæc vitanda monet : primum ne falso pudore , ac nimia facilitate te  
obliges ; alterum ut obligatus , quamprimum exsolvi te cures , ne di-  
ligens licet paterfamilias , aliena diligentia , atque incuria percas ,  
unde subdit :

<sup>3</sup> *Discurre , festina , suscita amicum tuum :* pro quo spondisti ,  
ne velut ex soluto nexo securus , reique suæ negligens , tibi persol-  
vendum æs alienum relinquat . Spirituali sensu vetat ne quis facile  
curam animarum suscipiat , ne susceptam negligenter gerat ; is enim  
verè pro aliis animam oppigneravit suam : quare , quòd superest ,  
strenue nec somnolenter rem agat , ut habetur <sup>3</sup>. 4. assiduisque adhor-  
tationibus amicos suscitet <sup>3</sup>. 3. adigatque ad exsolendum debitum ,  
Deoque et proximo præstandum quod lex imperat . Sic enim pastor  
vigilans animam liberabit , et ovium , et suam : v. 1. *desixisti extra-  
neo manum tuam.* Alludit ad cavendi formulam complosis utrinque  
manibus : quod et infrà memoratur , xviii. 18. xxii. 26.

6. Vade ad formicam , ô piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam.

7. Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem,

8. Parat in aestate cibum sibi , et congregat in messe quod comedat.

9. Usquequo, piger, dormies? quando consurges è somno tuo?

10. Paululum dormies, paululum dormitalis, paululum conseres manus, ut dormias :

11. Et veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies

*6 Vade ad formicam, ô piger.* Formica dicitur strenuus quisque et providus operarius, qui in præsenti vitâ, vélut in aestate, fructus justitiae quos in æternum recipiat, sibi recondat. Beda. *Disce sapientiam:* nou bestiolæ, sed Dei, in tenui licet animalculo , ingentium virtutum specimen adumbrantis.

*7 Quæ cùm non habeat ducem.* Si tantillum animal principe carrens et rationis expers, naturâ duce sibi providet in posterum; multò magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus, doctorum magisterio adjutus, ipsum conditorem habens ducem; debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum vivas. Hic autem dies judicii hiemi comparatur, quia tunc nulla facultas pro vitâ laborandi : sed tantum quisque cogitur de horreo pristinæ actionis proferre quod recondidit. Beda.

*9 Usquequo, piger, dormies? Surge qui dormis (in vitiis peccatisque scilicet,) et exurge à mortuis , et illuminabit te Christus.* Ephes. v. 14.

*10 Paululum:* ad breve tempus: *conseres*, complicabis manus; teque compones ad somnum : at egestas te dormire non sinet: unde sequitur :

*11 Veniet tibi, quasi viator, egestas: improvisa , inexpectata : et pauperies, quasi vir armatus: acer, indomitus, nec nisi vi et industria domo expellendus: ne tantum viatorem ultro abitum cogites.* Hic autem egestatis nomine, animæ, suo vitio , virtute et gratiâ de-

**quasi vir armatus.** Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longè fugiet à te.

**12. Homo apostata,** vir inutilis graditur ore perverso.

**13. Annuit oculis,** terit pede, digito loquitur,

**14. Pravo corde machinatur malum,** et omni tempore jurgia seminat.

**15. Huic extemplo veniet perditio sua,** et subitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam.

**16. Sex sunt,** quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus :

**17. Oculos sublimes,** linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,

**18. Cor machinans cogitationes pessimas,** pedes veloces ad currendum in malum,

**19. Proferentem mendacia,** testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias.

**20. Conserva,** fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.

stitutæ, indigentia intelligatur. *Si verò impiger fueris, veniet ut fons limpidus, inexhaustus, messis tua, et egestas longè fugiet à te: quæ desunt in Heb. habent 70.*

**12 Homo apostata :** discedens à Deo verâque simplicitate : homo Belihal : Heb. ἄρπα καὶ παράνυμος : insipiens et legis contemptor, 70. **Vir inutilis :** iniquus : Heb. **Ore perverso :** mendace, fallace.

**13 Annuit oculis :** verbis parcit, nutibus loquitur, ut arcana tacendaque reiecturus : quales ardeliones illi turbulenti homines, fraudum ac nequitiarum artifices, qui negotiis quibusque se immiscent, ut rerum omnium quæ aguntur gnari ; huic annuant oculis, terunt alteri pedem : nil sinceri, nil candidi : unde rixæ et jurgia, ut in seq. habetur.

**15 Huic extemplo veniet perditio sua :** reiectis nebulonis fraudibus, atque omnibus quos decepit in ejus perniciem æquè conspirantibus.

21. *Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo.*

22. *Cum ambulaveris, gradiantur tecum; cum dormieris, custodiant te; et evigilans loquere cum eis.*

23. *Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitae increpatio disciplinæ:*

24. *Ut custodiant te à muliere malâ, et à blandâ linguâ extraneæ.*

25. *Non concupiscat pulchritudinem ejus corruptum, nec capiaris nutibus illius:*

26. *Premium enim scorti vix est unius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit.*

27. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?*

<sup>21</sup> *Liga ea in corde tuo jugiter: allusum ad Deut. vi. 8. quasi dicaret: illic juberis in manu ligare præcepta: at ego præcipio, id quoque, ut in corde liges. Vide vii. 3.*

<sup>22</sup> *Cum ambulaveris, gradiantur tecum. Meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Deut. vi. 7. Evigilans loquere cum eis: quasi cum amicis, fidisque consiliariis. Consilium enim meum justificationes tue: sive ut habet Heb. quasi viri amicissimi mei. Psal. cxviii. 24.*

<sup>23</sup> *Via vitae increpatio disciplinæ: sive increpatio quæ est ex disciplinâ: non ex odio, aut invidiâ, aut denique superbiâ animique levitate.*

<sup>25</sup> *Nutibus illius: palpebris: Heb. nutu oculorum, quibus vel maximè stultum amatorem inescant, quasi plura largituræ, quam verbis explicare audeant.*

<sup>26</sup> *Premium enim scorti vix est unius panis: quia propter mulierem meretricem, usque ad tortam panis: Heb. supple, devenitur. Omnia exhaustit vilis meretricula. Mulier autem viri pretiosam animam capit: neque tantum bona corrumpit, sed etiam ipsam animam: v. 32.*

<sup>27. 28.</sup> *Numquid potest homo. Hæc cogitent qui se media in pericula conjiciunt, fortisque futuros se putant: recte autem Ambro-*

28. Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantae ejus?

29. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.

30. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam:

31. Deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suae tradet.

32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam:

33. Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.

34. Quia zelus et furor viri non parcet in die vindictae,

35. Nec acquiescat cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

sius: *Nemo adversus seipsum diu fortis est.* Vide similem sententiam Eccli. XIII. 1.

<sup>29</sup> *Non erit mundus cum tetigerit eam:* innoxius, impunis.

<sup>30</sup> *Non grandis est culpa:* furtum; praे adulterio scilicet. At Heb. non spēnēt furem, non probro afficien, non flagris cædēnt, sed pecuniā mulctabunt; adulterum verò nece.

<sup>31</sup> *Reddet septuplum:* phrasis Heb. Septenarius numerus incertus pro certo, eoque magno: nam in lege pro furto non septuplum, sed duplum indicitur, vel quadruplum, vel ad summum quintuplum. *Exod. xxii. 1, 4, 7, 9. Onnem substantiam domus suae tradet.* Quinetiam si reddere non possit rem ipsam cum augmentatione, ipse venumdabitur. *Exod. xxii. 3.*

<sup>32</sup> *Adulter... propter cordis inopiam:* propter stultitiam: *perdet animam suam:* morte damnabitur. *Levit. xx. 10.* et alibi s̄epe. Perdet etiam animam in æternum, peccato, cupiditatibus, pœnæ addictus.

---

## CAPUT VII.

*Iterum attentio ad legem: sapientia, soror, amica; quæ à mulierunt  
avertat illecebris: earum fallacie, fictus amor, procacitas: esca  
libidinum, luxus, mollitias, odoramenta: hinc vincula, laquei,  
sagittæ, vulnus immedicabile, mors denique.*

1. *Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta  
mea reconde tibi. Fili,*
2. *Serva mandata mea, et vives: et legem meam  
quasi pupillam oculi tuī:*
3. *Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis  
cordis tui.*
4. *Dic sapientiæ, Soror mea es; et prudentiam voca  
amicam tuam,*
5. *Ut custodiat te à muliere extraneâ, et ab alienâ,  
quæ verba sua dulcia facit.*
6. *De fenestrâ enim domûs meæ per cancellos pro-  
spexi:*
7. *Et video parvulos, considero vecordem juve-  
nem;*
8. *Qui transit per plateam juxta angulum, et prope  
viam domûs illius graditur*
9. *In obscuro, advesperascente die, in noctis tene-  
bris et caligine.*

<sup>3</sup> *Liga eam: suprà, vi. 21.*

<sup>7</sup> *Et video parvulos: imperitos, adolescentulos capere et capi  
quærentes: ut suprà, cap. vi. 25, 26.*

<sup>8-9</sup> *Qui transit... juxta angulum, et prope viam domûs illius:  
meretricis: malæ rei sibi conscious, non adit rectâ domum infamem  
impudicitiis, sed transeuntis specie, prope et circa angulum ob-  
ambulat; tum nocte occulit flagitium. Unde sequitur: in obscuro:  
in noctis tenebris.*

10. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio,  
præparata ad capiendas animas; garrula et vaga,

11. Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,

12. Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos  
insidians.

13. Apprehensumque deosculatur juvenem, et pro-  
caci vultu blanditur, dicens:

14. Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota  
mea.

15. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desi-  
derans te videre; et reperi.

<sup>10</sup> *Et ecce occurrit illi*: cunctabundo et verecundo, *mulier præ-  
parata*: Heb. custodita corde, astuta, instructa dolis; *ad capiendas  
animus*: 70. quæ facit juvenum avolare corda: deest in Heb. sed  
suppletum ad hujus loci mentem, ut patetibit v. 22, 23 et seqq. *Garrula*:  
quod alii, tumultuosam: Aquila otiosam vertit; Hieronymus  
ipse clamosam: infrà, ix. 13. Huic simillimæ illæ à Paulo mem-  
ratæ adolescentiores viduæ, quæ primam fidem irritum fecerunt;  
*simul autem et otiosæ discunt circuire domos*; non solum otiosæ, sed  
et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. *I. Tim. v. 11, 12*  
et seqq. *Et vaga*: declinans: Heb. quod vagam et inquietam sonat:  
70. volatrica.

<sup>11</sup> *Quietis impatiens*: deest Heb. Videtur autem esse expositio  
præcedentis vocis, *vaga*: et congruit sequentibus: *nec valens in  
domo consistere*: quòd otiosa, quòd curiosa, quòd garrula, ut Pau-  
lus dicebat.

<sup>12</sup> *Nunc foris*: in vico: Heb. *nunc in plateis*; *nunc in angulo*:  
juxta omnem angulum: Heb. in omni angiporto. Et hæc vagandi  
causa, quòd ubique venet animas, novosque amatores conciliare  
studeat.

<sup>13</sup> *Et procaci vultu blanditur*: obfirmatâ facie dicit: Heb.

<sup>14</sup> *Victimas pro salute vovi*: victimas pacificas, festas ac lætas, è  
quibus solis licebat sacrum instituere epulum.

<sup>15</sup> *Idcirco egressa sum in occursum tuum*: ut participem te lætitiae  
et coniugii facerem.

16. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto:

17. Aspersi cubile meum myrrhâ, et aloë, et cinnamomo.

18. Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.

19. Non est enim vir in domo suâ, abiit viâ longissimâ.

20. Sacculum pecuniae secum tulit : in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.

21. Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum prostraxit illum.

22. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quòd ad vincula stultus trahatur,

23. Donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis

<sup>16</sup> *Intexui funibus*: stragulis emollii : tessellatis stravi linteis , sive peristromatis : opere Ægyptio longè optimo ac pretiosissimo.

<sup>17</sup> *Aspersi cubile... myrrhâ*. Vide autem non modò blanditias et amplexus, verùm etiam suffimenta, odores, opipara convivia, exquisitosque et exoticos ornatus omnino ad amatoria pertinere. *Quām fœda sunt*, ait Tertullianus, *sine quibus non potuit meretrix et prostituta describi!* (De cultu fœmin. lib. II. n. 12.)

<sup>18</sup> *Inebriemur uberibus* : sic ferè antiqui interpretes : alia lectio , amoribus : quam nunc Hebræus habet, levissimi apicis mutatione. *Inebriemur* autem ebrietate pessimâ, sicut ait Prophetæ : *Ebria non à vino*. Is. LI. 21. Vino enim. ebrii, postquam tantillum hesternam crapulam edormiverint, sani sunt: at ebrii amoribus ac voluptatibus, nec jam suî compotes, nullo more modoque furunt.

<sup>19</sup> *Non est... vir in domo* : ad tutas diuturnasque provocat libidines.

<sup>20</sup> *Sacculum pecuniae secum tulit* : grande viaticum : *in die plenæ lunæ* : alii in novilunio , ut Psal. LXXX. ¶ 4. statio die vel condictio ; solemniori forte , cuius religione solebant reduci domum : ne subiitum atque inopinum redditum metuas.

<sup>21</sup> *Irretivit eum* : <sup>22</sup> *Statim... sequitur* : <sup>23</sup> *donec transfigat sagitta*. festinet

festinet ad laqueum : et nescit quòd de periculo animæ illius agitur.

24. Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende verbis oris mei.

25. Ne abstrahatur in viis illius mens tua : neque decipiari semitis ejus.

26. Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quiue interfici sunt ab eâ.

27. Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

Vide autem quâ verborum et comparationum non modò elegantiâ , sed etiam vi ac pondere, omnia voluptatum avocamenta congerat : en vincula , en mortes : ad hæc cæcitatem atque amentiam ultro irruentis in ictus et immadicabiliter vulnerati : quo quid tetrius ?

*26 Multos enim... dejecit : ad extremum deterret exemplis. Fortissimi quiue : sic Samson , sic David , sic alii innumerabiles : nec ipse Salomon sapientissimus mortalium , ac tam diligens monitor , declinavit ictus.*

*27 Penetrantes in interiora mortis : descendentes ad penetralia mortis, ne te speres facile ex hoc barathro emersurum. Penetralia autem mortis, servire cupiditatibus, et à peccato vinci, trahi, possideri, extincto mentis lumine, et conscientiæ sensu; ut jugum excutere, nec , si velis, possis; neque supersit aliud, quâ illud Davidicum : de necessitatibus meis erue me , Psal. xxiv. 17. Vide etiam infra , viii. 35, 36.*

## CAPUT VIII.

*Sapientiae invitantis clamor: auctoritas : divitiæ ; opera : eadem ex Deo genita , eique assistens et cooperans.*

1. NUMQUID non sapientia clamitat , et prudentia dat vocem suam?

<sup>1</sup> *Numquid non sapientia clamitat : inculcat , pro more , jam dicta , i. 20, 21.*

2. In summis, excelsisque verticibus supra viam,  
in mediis semitis stans,

3. Juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur,  
dicens :

4. O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.

5. Intelligite, parvuli, astutiam, et insipientes animadverteite.

6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum:  
et aperientur labia mea, ut recta prædicent.

7. Veritatem meditabitur guttus meum : et labia mea detestabuntur impium.

8. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis  
pravum quid, neque perversum.

9. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus  
scientiam.

10. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam:  
doctrinam magis, quam aurum eligite.

*2 Supra viam, in mediis semitis : in viis, in inviis.*

*3 Juxta portas civitatis : ubique obvia et parabilis. Sic Christus  
vera sapientia, et in monte os suum aperuit, et in desertis non modò  
corpora, sed etiam animas pavit, et obvios quosque sanavit, terraque  
et aquas beneficiendo pertransiit, et in portis Naim mortuum  
suscitavit, et ad maris littora è naviculâ docuit, et in domibus, in  
conviviis, in synagogis, in vicis, in urbe, in oppidis et in castellis,  
in templo et extra templum prædicavit; neque quidquam intentatum  
relinquit, quo se omnibus obvium faceret.*

*4 O viri, ad vos clamito : jam ipsa sapientia se commendat; pri-  
mum à benevolentia, quod ultiro invitet homines, nec modò vocibus,  
sed etiam clamoribus; alterum à gravitate rerum, quod magna  
locutura sit, ¶. 5. tertium quod recta, quod vera, ¶. 6, 7. quod  
irreprehensibilia, ¶. 8.*

*10 Accipite disciplinam... et non pecuniam: quartum ab utilitate,  
quod sapientiae dona, opes omnes facilè exsuperent: quod fusè ex-  
equitur, ¶. 11, 18, 19.*

11. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis :  
et omne desiderabile ei non potest comparari.

12. Ego sapientia habito in consilio , et eruditis intersum cogitationibus.

13. Timor Domini odit malum : arrogantiam et superbiam , et viam pravam , et os bilingue detestor.

14. Meum est consilium , et æquitas , mea est prudenteria , mea est fortitudo.

15. Per me reges regnant , et legum conditores justa decernunt.

16. Per me principes imperant , et potentes decernunt justitiam.

17. Ego diligentes me diligo : et qui manè vigilant ad me , invenient me.

18. Mecum sunt divitiæ , et gloria , opes superbæ , et justitia.

<sup>12</sup> *Ego sapientia habito in consilio · quintum , ab eorum claritudine quorum consortio gaudet , ac primùm sapientum. Habito in consilio ; non in temerariis vulgi concurbationibus ; sed in cœtibus ratione et consilio constitutis.*

<sup>13</sup> *Arrogantiam et superbiam · sextum , à sanctitate , quòd vitia omnia arceat. Os bilingue : fallax , varium , instabile : de quo sæpe in his libris.*

<sup>14</sup> *Meum est consilium : pars altera sanctitatis , quòd virtutes omnes conciliat , et complectatur.*

<sup>15. 16.</sup> *Per me reges regnant : septimum , ab auctori ate , atque utilitate publicâ , quòd leges , quòd judicia , quòd imperia , quòd regna constituat ac stabilitat , res optimas et bono publico natas.*

<sup>17</sup> *Ego diligentes me diligo : iterum à benignitate , ac benevolentia , quòd cùm tanta sit , repellat à se neminem. Qui manè vigilant : en diligentiam interrumpentis somnos , et ad Deum inclamantis : Ad te de luce vigilo. Psal. LXII. 1. Unde omnis populus manicabat (summo manè pergebat) ad Christum in templo audire eum. Luc. XXI. 38. Odit enim sapientia torporem ac somnolentiam.*

<sup>18</sup> *Mecum sunt divitiæ , et gloria : multi enim divites , sed inde-*

19. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genima mea argento electo.

20. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii,

21. Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.

22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam ficeret à principio.

23. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret.

cores, inglorii; non ita sapientiæ alumni. *Opes superbæ, et justitia:* quæ plerumque inter se dissident, partis quâcumque divitiis, unde *opes superbæ;* in Heb. duraturæ, stabiles: quod justitia præstat.

19 *Genima mea:* proventus mei.

22 *Dominus possedit me:* ultimus ac præcipuus locus: ab ipsâ origine sapientiæ. Jam enim ab effectis ejus ac fructibus ad ipsum fontem assurgit, quod est sapientia ipsa, et *Verbum Dei in excelsis.* Eccl. 1. 5. Qui locus etiam pertractatur *Sap.* vii. viii. *Possedit me:* acquisivit, genuit. *Ab initio viarum:* vcl ut habet Heb. principium viæ suæ: per quam omnia ordiretur. Quem locum Joannes respicit Apoc. iii. 14. ubi Verbum appellat *principium creaturæ Dei:* in quo creandi principium est. Sic, *posse di hominem per Deum:* Genes. iv. 1. lxx. ἐκτίσει, creavit, condidit, sive, ut alii redundant, constituit, ordinavit. Athan. orat. iii. adv. Arian. et seqq. nunc orat. ii. n. 80. et seq. Euseb. lib. iii. de Eccles. Theol. Melius cum eodem Eusebio ibidem, atque aliis vetustis auctoribus, reponendum esset secundum Hebræum, atque ex ipsius Aquilæ literatissimi interpretis versione ἐκτίσεω, possedit, genuit. *Antequam quidquam ficeret à principio.* Sapientia enim genita et concepta est, partaque edita: ut etiam habes, ḥ. 24, 25. Unde Joan. i. 1. de Verbo dicitur: *In principio erat:* tum, ḥ. 3. *omnia per ipsum facta sunt;* ut hæc quidem facta sint in tempore: ipse verò Sermo ab æterno genitus, atque adeo unigenitus. Joan. i. 14, 18.

23 *Ab æterno ordinata sum:* constitua sum, uncta sum, principatum habui: Heb. fundata sum: lxx. Dominus fundavit me: ἐρεγέλασε.

24. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram : necdum fontes aquarum eruperant :

25. Necdum montes gravi mole constiterant : ante colles ego parturiebar :

26. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ.

27. Quando præparabat cœlos, aderam : quando certâ lege, et gyro vallabat abyssos :

28. Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum :

29. Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos : quando appendebat fundamenta terræ :

<sup>24</sup> *Necdum fontes aquarum eruperant* : fontes, moles seu congeries aquarum : Heb. sive abundantes aquis.

<sup>25</sup> *Necdum montes gravi mole constiterant* : ante montes defixos, constitutos : Heb. *gravi mole*, ex *¶. superiore translatum. Ante colles parturiebar.* ἀντίθηται, Aquila. γενέ με, gignit me, lxx. Chal. genita eram.

<sup>26</sup> *Et flumina* : ita Chald. χόρας καὶ ἀουκήσις, lxx. habitatam et desertam : quod alii vertunt, terram et plateas. *Et cardines* : queis terra ipsa constat, nec ut pulvis dispergitur : unde Hebræus ad verbum: caput pulverum orbis.

<sup>27</sup> *Quando certâ lege, et gyro vallabat abyssos* : quando mare circumducebat in sphæræ formam : quasi circino desuper ducto : id enim Heb. sonat.

<sup>28</sup> *Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum* : nubes in excelsis suspensas : ita lxx. et Chal. nempe aquas illas quæ supra firmamentum, id est, supra cœlum, feruntur : jam pergit ad alias aquas, marinas scilicet, ab illis sublimioribus medio aere intersectas.

<sup>29</sup> *Quando circumdabat mari... quando appendebat fundamenta terræ* : statuebat : collocabat : quasi utrimque librabit, ut firma consisterent.

30. Cum eo eram , cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore;

31. Ludens in orbe terrarum: et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

32. Nunc ergo, filii, audite me : Beati, qui custodiunt vias meas.

33. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

34. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.

35. Qui me invenerit , inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino :

36. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

*30 Cum eo eram : apud cum : Hoc erat : in principio apud Deum : Joan. 1, 2. Cuncta componens : quod alii vertunt, alens, nutriendis : sive fovens, regens instar paedagogi. lxx. aptans. Delectabar : videbat enim Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Gen. 1. 31. Per singulos dies , neque enim tantum summâ ipsâ operis delectatus; sed per singulos dies videbat quod fecerat, quòd esset bonum. Gen. 1. 4, 10, etc.*

*31 Ludens in orbe terrarum : facilitatem , varietatem , jucunditatem designat operis. Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Sic Baruch. 111, 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

*35 Qui me invenerit... et hauriet salutem à Domino : Pro quo lxx. habent celebratissimum illud : et paratur voluntas à Domino.*

## CAPUT IX.

*Sapientiae domus : convivium : documenta : adversus meretricios amores.*

1. **SAPIENTIA** ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

2. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.

3. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis :

4. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est :

5. Venite : comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

6. Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ.

<sup>1</sup> *Sapientia ædificavit sibi domum : videtur sanctam ac verè magnificam sapientiae invitantis domum, meretricis opponere sumptuosis ac luxuriosis ædibus : convivium, convivio : victimas, victimis. Suprà, viii. 14. et seqq. Excidit columnas septem. In illâ meretriciâ domo odores, mollitiemque inveneris: nil firmi, nil solidi: at hic statim columnas septem. Domus illa Ecclesia est: homo ipse est sapientiæ sedes.*

<sup>2</sup> *Miscuit vinum, et proposuit mensam suam: in quâ eloquia pro cibis opponuntur: ubi etiam eucharistiæ adumbrat mysterium.*

<sup>4</sup> *Si quis est parvulus, veniat ad me. Sinite parvulos... ad me venire: Matt. xix. 14. ut ad veram sapientiam adolescent: et quisquis non receperit regnum Dei, velut parvulus, non intrabit in illud. Marc. x. 15.*

<sup>6</sup> *Relinquite infantiam: ne parvuli sitis sensibus. I. Cor. xiv. 20. Et vivite: vera enim vita, sapientia.*

7. Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat.

8. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diligit te.

9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere.

10. Principium sapientiae, timor Domini : et scientia sanctorum, prudentia.

11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitae.

12. Si sapiens fueris, tibimet ipsi eris : si autem illusor, solus portabis malum.

13. Mulier stulta, et clamosa, plenaque illecebribus, et nihil omnino sciens,

14. Sedit in foribus domus suae super sellam in excelso urbis loco,

*7 Qui erudit derisorem : quia insipientes invitaverat, existimare poterant omnes homines esse idoneos ad capessenda praecepta sapientiae : quod contraria est, cum derisores arceat : derisores autem vocat impios, quibus ipsa doctrina ludibrio est.*

*9 Da sapienti occasionem : deest Heb. habent LXX. Festinabit accipere ; addet doctrinam : Heb.*

*10 Scientia sanctorum, vera prudentia est, quippe quae verum ad scopum tendat : imprudentia stultorum errans : infra, xiv. 8. nullo certo vitae fine constituto.*

*13 Mulier stulta, et clamosa : quod supra vertit garrulam, vii. 10. Plena illecebribus : insipientis : Heb. Tertio et quarto mulierem blandientem opponit sapientiae : adeo voluptas inimica virtuti est. Plerique eis patribus per amores meretricios intelligent haeticorum fallaces illecebras, furtiva colloquia et laqueos, quibus animae capiuntur et pereunt.*

*14 Sedit in foribus : otiosa, inutilis ; sic otium perducit ad libidinem.*

15. Ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo :

16. Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est :

17. Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.

18. Et ignoravit quòd ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivæ ejus.

*15 Ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo : incautos et aliud agentes.*

*16 Qui est parvulus, juvenculus et ætatis flore ebrius, veniat ad me : Sapientia invocabat parvulos, ut doceret : suprà, 4. hæc, ut perdat, allicit.*

*17 Aquæ furtivæ dulciores sunt. Nam peccatum, occasione acceptæ per mandatum, seduxit me : Rom. vii. 11. et quanto minas licet, tanto magis libet, Aug. ad Simplic. 2.*

*18 Et ignoravit quòd ibi sint gigantes : ibi mortui : manes : sive mors, sepulcrum : ut suprà, 11, 18, vii. 27. eamdem vocem suprà, ii. 13. Valg. mortem interpretatur. Hactenus sermo adhortatorius.*

---

## CAPUT X.

### PARABOLÆ SALOMONIS (\*).

*Piger, 4, 5, 26. mendax : contumeliosus : malis omnia metuenda : nil ab ipsis, 24. verbosus, 25. parcè et sapienter loquens, 10, 11 et seq. 19, 20, 21, scelus per risum, 23. simplicitas, justitia, veritas, benevolentia, 32.*

1. FILIUS sapiens lætificat patrem : filius verò stultus mœstitia est matris suæ.

(\*) *Parabolæ Salomonis* : novus titulus, nova quoque scribendi ratio: sermonibus adhortatoriis, ac præparatoriis continuis qui antecesserunt, succedunt breves variis de rebus absolutæque sententiæ: illic *παραβολής*, sive commonitio et hortatio : hic *νέματα*, sive sententiæ.

<sup>1</sup> *Filius sapiens lætificat patrem. Hic et in toto libro passim te-*

2. Nil proderunt thesauri impietatis : justitia verò liberabit à morte.

3. Non affliget Dominus fame animam justi , et insidias impiorum subvertet.

4. Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos : idem autem ipse sequitur aves volantes.

5. Qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit æstate , filius confusionis.

6. Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitas.

7. Memoria justi cum laudibus ; et nomen impiorum putrescat.

8. Sapiens corde præcepta suscipit : stultus cæditur labiis.

9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter : qui autem depravat vias suas, manifestus erit.

10. Qui annuit oculo, dabit dolorem : et stultus labiis verberabitur.

neræ animæ , et ad rationum pondera ferenda imbecilles, ipsâ erga parentes innatâ pietate , deducuntur paulatim ad sapientiam.

<sup>2</sup> Nil proderunt thesauri impietatis : impietate parti.

<sup>3</sup> Et insidias impiorum subvertet : pravitatem : Heb. substantiam : Chal. vitam : LXX.

<sup>4</sup> Egestatem operata est manus remissa : pigra: alii, dolosa. Infrà, cap. XII. ¶. 27. Qui nititur mendacius : deest Heb. LXX. aliud reponunt.

<sup>6</sup> Os impiorum operit iniquitas : turpitudo et pœna. Beda legit iniqutatem : ut et Hier. vertit infrà, 11. Operit autem, dum fictis verbis excusat.

<sup>8</sup> Stultus cæditur labiis : dicteriis proscinditur : ut infrà, 10.

<sup>9</sup> Depravat vias suas : dissimulator, versipellis. Manifestus erit : quod maximè timet, ipsis fraudibus deprehensus.

11. Vena vitæ, os justi : et os impiorum operit iniquitatem.

12. Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas.

13. In labiis sapientis invenitur sapientia : et virga in dorso ejus qui indiget corde.

14. Sapientes abscondunt scientiam : os autem stulti confusione proximum est.

15. Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus : pavor pauperum egestas eorum.

16. Opus justi ad vitam : fructus autem impii ad peccatum.

17. Via vitæ, custodienti disciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat.

18. Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est.

<sup>10</sup> Qui annuit oculo : deceptor, de quo suprà, vi. 12, 13. *Dabit dolorem : et sibi, et aliis, ibid. 14, 15.*

<sup>12</sup> Odium suscitat rixas : et tibi et aliis noxias. *Universa delicta operit caritas : aliorum quidem condonando et excusando : nostra quoque, veniam cā benignitate facile impetrando ; quō Petrus spectasse videtur, I. iv. 8.*

<sup>13</sup> Qui indiget corde : intellectu, sapientiâ. *Audi, popule stulte, qui non habes cor. Jer. v. 21.*

<sup>14</sup> Sapientes abscondunt scientiam : quorum quippe gravitas ab omni jactantiâ abhorreat. *Os autem stulti confusione proximum est : præ multiloquio.*

<sup>15</sup> Substantia divitis, urbs fortitudinis : instar munitæ arcis. *Aliæ postea sententiae divitum retundent superbiam : vide interim infrâ.*

<sup>22.</sup>

<sup>17</sup> Custodienti disciplinam : castigationem amantî. *Qui increpationes relinquit, errat. Neminem enim habet, qui reducat errantem.*

<sup>18</sup> Abscondunt odium : odium neque celandum per dissimulatiæ, neque per insipientiam proferendum : ergo non habendum.

19. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

20. Argentum electum, lingua justi: cor autem impiorum pro nihilo.

21. Labia justi erudiant plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

22. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.

23. Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.

24. Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur.

25. Quasi tempestas transiens, non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum.

26. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis; sic piger his qui miserunt eum.

<sup>21</sup> *In cordis egestate morientur: vecordia, insipientia, et ita passim.*

<sup>23</sup> *Quasi per risum... Stultus gaudet sceleribus, improvidus, ac finis nescius: prudens autem, qui et providens, futura providet cogitatque illud: Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat; infrà, xiv. 13. vel, per simulationem fingit se ludere, cum sœvit: infrà, xxvi. 18, 19.*

<sup>25</sup> *Quasi tempestas transiens, non erit impius: ita persecutores, ita reges iniqui, ac violenti quique homines. Ergo dum minantur, dum furunt, secede tantisper velut à pluvia, ipsa se tempestas im- petu dissolvet suo: neque interim evertet justos, quos fides efficit fundamentum sempiternum.*

<sup>26</sup> *Sicut acetum dentibus, quo obstupescunt; et fumus oculis, quo caligant: ita piger, à viris quantumvis fortibus ac perspicacibus adhibitus ad negotia, eorum rectis virilibusque consiliis vim detrahit, offundit tenebras. Fortis, mitte fortes, non desides; ne optima quæque negotia per legati socordiam pereant.*

27. Timor Domini apponet dies : et anni impiorum breviabuntur.

28. Expectatio justorum lætitia : spes autem impiorum peribit.

29. Fortitudo simplicis via Domini : et pavore his qui operantur malum.

30. Justus in æternum non commovebitur : impii autem non habitabunt super terram.

31. Os justi parturiet sapientiam : lingua pravorum peribit.

32. Labia justi considerant placita : et os impiorum , perversa.

<sup>32</sup> *Labia justi considerant placita : placentia : cupit enim amare , laudare. Os impiorum , perversa : prava , noxia : cùm nocendi et maledicendi studio teneatur.*

---

## C A P U T X I.

*Æqua mensura : justitia divitiis melior : amicus infidus , sapiens magistratus , 14. verus decor , 32. beneficentia , rem auget , 24 et seq. vigilancia in bono , justitiae et sapientiae fructus 28 et seqq.*

1. **SATERA** dolosa , abominatio est apud Dominum , et pondus æquum , voluntas ejus.

2. Ubi fuerit superbia , ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas , ibi et sapientia.

<sup>1</sup> *Statera dolosa : quod ad omnem injustitiae speciem Beda transfert , eò quòd omnis injustitia iniquà sive inæquali mensurâ constet. Hinc varias recensent injustitiae species , qualis est contumelia , &c. 2. pravitas 3. divitiæ malè partæ 4. fides prodita in amicos , 9, 12, 13. Causa autem omnis injustitiae , civitas magistratibus rectisque consiliis destituta , 14. Hæc habet usque ad illum versum ; quanquam et alia interserit. Voluntas ejus : amor , placitum.*

<sup>2</sup> *Ubi humilitas..... Revelasti enim ea parvulis. Matth. xi. 25.*

3. Simplicitas justorum diriget eos: et supplantatio perversorum vastabit illos.

4. Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit à morte.

5. Justitia simplicis diriget viam ejus : et in impietate suâ corruet impius.

6. Justitia rectorum liberabit eos : et in insidiis suis capientur iniqui.

7. Mortuo homine impio , nulla erit ultra spes : et expectatio sollicitorum peribit.

8. Justus de angustiâ liberatus est : et tradetur impius pro eo.

9. Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientiâ.

10. In bonis justorum exultabit civitas : et in perditione impiorum erit laudatio.

11. Benedictione justorum exaltabitur civitas , et ore impiorum subvertetur.

12. Qui despicit amicum suum , indigens corde est : vir autem prudens tacebit.

<sup>3</sup> *Supplantatio*, seu nequitia, pravitas : Heb. *perversorum vastabit illos*.

<sup>4</sup> *Non proderunt divitiæ* : ad justitiam pertinet contemnere divitiæ, quarum fere gratiâ injusta molimur.

<sup>7</sup> *Expectatio sollicitorum peribit*: roborum : Heb. potentium, diutum, qui et ipsi semper solliciti : contrâ justus securus , ut supra, ill. 12, 24, 25. antiqua translatio ex Bedâ: justi non perit spes ; gloria impiorum peribit.

<sup>8</sup> *Tradetur impius pro eo*. Vide xxl. 18.

<sup>9</sup> *Justi autem liberabuntur scientid*, fraude non indigebunt , recto firmoque judicio fulti.

<sup>11</sup> *Benedictione justorum exaltabitur civitas* : faustis precationibus : ore impiorum, blasphemis vocibus subvertetur.

<sup>12</sup> *Vir autem prudens tacebit* : amici vitia : ut &c. seq.

13. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana : qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.

14. Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem, ubi multa consilia.

15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo : qui autem cavet laqueos, securus erit.

16. Mulier gratiosa inveniet gloriam : et robusti habebunt divitias.

17. Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.

18. Impius facit opus instabile: seminanti autem justitiam merces fidelis.

19. Clementia præparat vitam : et sectatio malorum mortem.

20. Abominabile Domino cor pravum : et voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant.

21. Manus in manu, non erit innocens malus : semen autem justorum salvabitur.

<sup>15</sup> *Qui autem cavet laqueos : qui odit stipulantes : Heb. hoc est, sive iussiones, sponsiones : quâ de re, vi. 1.*

<sup>16</sup> *Mulier gratiosa... et robusti... Quâm certum est mulierem, formæ gratiâ, commendari, tam certum est strenuos atque industrios viros parare divitias. De formâ, infrâ, 22.*

<sup>17</sup> *Qui autem crudelis est,... propinquos abjicit : ne illos quidem novit : at Heb. perturbans carnem suam, crudelis : hoc est, sibi nocet qui crudelis est: quod priori parti congruit. Vel, ne sis immisericors in proximum : et carnem tuam ne despixeris. Is. lviii. 7.*

<sup>18</sup> *Impius facit opus instabile : ei similis, qui ædificat super arenam. Matt. vii. 26. Seminanti autem justitiam merces fidelis : stabilis, certa.*

<sup>19</sup> *Clementia præparat vitam : justitia : Heb. lxx. Et sectatio malorum mortem : sectator.*

<sup>21</sup> *Manus in manu : etiam cessans, mala cogitat : nunquam à*

22. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.

23. Desiderium justorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor.

24. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt.

25. Anima, quæ benedicit, impinguabitur: et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.

26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.

27. Bene consurgit diluculo, qui quærerit bona: qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.

28. Qui confidit in divitiis suis, corruet: justi autem quasi virens folium germinabunt.

pravis machinationibus otiaatur. Infrà, xvi. 5. Alii: *Jungens dextras decipit*: datâ etiam fide.

22 *Circulus aureus in naribus suis*: porci. Forma insipientem tam dedecet, quam inaures suem: nota ornamenta ex fronte pendentia in nasum. *Ezech. xvi. 12.* et *Hier. ibidem*.

23 *Præstolatio impiorum furor*: Dei scilicet.

24 *Alii dividunt propria*: Heb. est dispersens, et additur ei amplius: est parcens (rei) plus aequo, etiam ad egestatem: quod ultimum potest etiam verti: est subtrahens non rectè: quod Vulg. verit: est rapiens non sua: rectè LXX. Sunt qui propria seminantes, plura faciunt: sunt et qui congregantes minuuntur: ductâ similitudine à seminatis granis. *Praeclara sententia*: qui enim dare scit in loco et tempore, ei res ex ipsâ etiam liberalitate crescit: præsertim per elemosynas, Deo benedicente: qui autem non ratione regitur, sed impetu, is simul raptor, largitor, suaque et aliena corrumpet. Vide seq. et infrà, xiii. 7.

25 *Et qui inebriat*: irrigat, potat egenos: *Inebriabitur*: rebus omnibus abundabit.

27 *Qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis*. Simplius Heb. quærenti malum, occurret ei.

29. Qui conturbat domum suam, possidebit ventos : et qui stultus est , serviet sapienti.

30. Fructus justi lignum vitae : et qui suscipit animas , sapiens est.

31. Si justus in terrâ recipit, quantò magis impius et peccator.

*29 Qui conturbat domum suam : decoctor seu rei suæ negligens. Et qui stultus est : nempe ille decoctor.*

*30 Fructus justi lignum vitæ : vitâ vivet ; alludit ad Gen. ii. 9. et qui suscipit animas : egenos, hospites, sapiens est : providus qui aliis beneficiendo , ipse sibi consultit.*

*31 Si justus in terrâ recipit : si Abel, si Job, si Daniel, si Tobias, aliquique justi tanta patientur ; quid impii, quid Antiochus, quid cæteri pessimi homines ? At lxx. Si justus vix salvabitur , impius et peccator ubi parebunt? refert Petrus I. iv. 18.*

---

## CAPUT XII.

*Utile corripi : prodest pietas : impiis céler interitus , 7. bona mulier : ex sermonibus quisque cognoscitur : pauper : operans : iners , 9 , 11, 34. immitis : sibi placens ; ira tegenda : temeraria promissa : 16, 17, testis verax : niendaces : amicus verus.*

1. Qui diligit disciplinam , diligit scientiam : qui autem odit increpationes , insipiens est.

2. Qui bonus est , hauriet gratiam à Domino : qui autem confidit in cogitationibus suis , impiè agit.

3. Non roborabitur homo ex impietate : et radix justorum non commovebitur.

*\* Qui diligit disciplinam : emendationem, correctionem : Heb. et ita passim.*

*\* Qui autem confidit in cogitationibus suis : rectè reddit Hebræum : virum cogitationum damnabit , Deus scilicet : quod tamen alii supplent , virum cogitationum , malarum scilicet.*

4. Mulier diligens , corona est viro suo : et putredo in ossibus ejus , quæ confusione res dignas gerit.

5. Cogitationes justorum judicia : et consilia impiorum fraudulenta.

6. Verba impiorum insidiantur sanguini : os justorum liberabit eos.

7. Verte impios , et non erunt : domus autem justorum permanebit.

8. Doctrinâ suâ noscetur vir : qui autem vanus et excors est , patebit contemptui.

9. Melior est pauper et sufficiens sibi , quam gloriosus et indigens pane.

10. Novit justus jumentorum suorum animas : viscera autem impiorum crudelia.

11. Qui operatur terram suam , satiabitur panibus : qui autem sectatur otium , stultissimus est.

Qui suavis est in vini demorationibus , in suis munitionibus relinquit contumeliam.

*4 Mulier diligens : fortis : virtute prædita. Quæ confusione res dignas gerit : probosas et indecoras.*

*5 Cogitationes justorum judicia. Nil nisi æqua et justa cogitant.*

*7 Verte impios : fac vertantur vel leviter ; ut averterint oculos : et non erunt : ictu oculi : momento concident : sic David : Vidi invium exaltatum... transivi , et ecce non erat. Ps. xxxvi. 35. lxx. quocumque se vertet impius , concidet.*

*9 Melior est pauper et sufficiens sibi : servus sibi : Heb. sibi ipsi serviens , sive consulens.*

*10 Novit justus jumentorum suorum animas : etiam pecora sua curat ; quasi diceret : injustus autem , nec homines : unde subdit : Visera impiorum crudelia. Audiant pastores et principes.*

*11 Qui suavis est in vini demorationibus : in assiduis computationibus. In munitionibus suis : utcumque se muniat , patebit contumelie. Deest Heb. habent lxx.*

**12.** Desiderium impii munimentum est pessimum : radix autem justorum proficiet.

**13.** Propter peccata labiorum , ruina proximat malo : effugiet autem justus de angustiâ.

**14.** De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei.

**15.** Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia.

**16.** Fatuus statim indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam , callidus est.

**17.** Qui quod novit loquitur , index justitiae est : qui autem mentitur , testis est fraudulentus.

**18.** Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiae : lingua autem sapientium sanitas est.

**19.** Labium veritatis firmum erit in perpetuum :

**12** *Desiderium impii munimentum est pessimum.* Votum impii est protegere malos. *Radix justorum proficiet :* ultro, non malis artibus. Heb. Dabit: supple fructum, quod idem est.

**13** *Propter peccata labiorum : verbis pravis malus capitur ; at justus his se expedit : innocentia sua tutus.*

**16** *Fatuus statim indicat : insipientis est non posse vel premere iram, ac verbis parcere. Qui dissimulat injuriam, callidus est : cautus est ; invenit damni sarcendi locum.*

**17** *Qui quod novit loquitur: testem veracem à falso secernit : quod explicat iufrà , 19. et clarius xiv. 5.*

**18** *Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiae : dum promissorum immemor, à conscientia reprehenditur : vel, est qui levitate animi indecora et incongrua pollicetur : ac postea pœnitentia ductus, dicta revocare veller, ut Herodes in illa psaltriâ. Matt. xiv. At Heb. est qui effutit quasi punctiones gladii : est cuius verba sunt instar gladii, detractor scilicet : at justi verba mitia, sanant vulnera, nedum inferant.*

**19** *Labium veritatis firmum..... testis verax sibi constat. Qui testis*

qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.

<sup>20.</sup> Dolus in corde cogitantium mala : qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.

<sup>21.</sup> Non contristabit justum quidquid ei acciderit : impii autem replebuntur malo.

<sup>22.</sup> Abominatio est Domino labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei.

<sup>23.</sup> Homo versutus celat scientiam : et cor insipientium provocat stultitiam.

<sup>24.</sup> Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet.

<sup>25.</sup> Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur.

<sup>26.</sup> Qui negligit damnum propter amicum, justus est : iter autem impiorum decipiet eos.

*est repentinus* : improvidus, improvisus, nec rei gnarus. At Heb. ad momentum lingua mendacii : statim inscitiam aut nequitiam prodit.

<sup>20</sup> *Dolus, res tristis, in corde cogitantium mala* : pacis consiliarios sequitur gaudium : ex animi sinceritate et conscientiae integritate proveniens.

<sup>21</sup> *Non contristabit* : non accidet justo quidquam adversum, (aut iniqnum) Heb.

<sup>23</sup> *Homo versutus* : prudens, callidus, celat scientiam : non omnia quæ novit, statim expromit. *Et cor insipientium provocat stultiani* : clamat, prædicat, id est, suam prodit stultitiam. Sensus Vulg. insipiens stulte ipse loquendo, stultos sermones elicit.

<sup>24</sup> *Manus fortium* : sollicitorum, vigilantium : Heb. supra, x. 4. *Manus remissa* : alii, dolosa, fraudulenta, ut infra, v. 27.

<sup>25</sup> *Mœror in corde viri* : mœustum erige dictis bonis.

<sup>26</sup> *Qui negligit daninuni* : alii ; abundat proximo suo justus : in eum est liberalis : alii, præ proximo suo : justi viri domus, cæteris locupletior.

27. Non inveniet fraudulentus lucrum : et substantia hominis erit auri pretium.

28. In semitâ justitiae , vita : iter autem devium dicit ad mortem.

*27 Non inveniet fraudulentus lucrum : vel ignavus, suprà, ¶. 24. Et substantia hominis erit auri pretium: quemque suæ sustentant opes. Quidam ex Hebræo vertunt, substantia hominis pretiosa seduli, hoc est, substantia seduli diligentisque pretiosa est : vel nihil diligentiâ pretiosius.*

*28 Iter... devium : sive ut ex Heb. verti potest : non iter , dicit ad mortem : alii totum, ut ex Heb. sic vertunt : in semitâ justitiae , vita: et via semite ejus, non mors : eadem sententia bis repetita.*

---

## C A P U T   X I I I .

*Bona educatio : tacere, optimum; loquax : piger, 4. mendax : inter superbos jurgia : divitiæ festinatæ : ex amicis quisque dignoscitur, 20. educatio , 24. justi domus stabilis : vir bonus , suo contentus.*

1. **FILIUS** sapiens , doctrina patris ; qui autem illusor est , non audit , cùm arguitur.

2. De fructu oris sui homo satiabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua.

3. Qui custodit os suum , custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

<sup>1</sup> *Filius sapiens , doctrina patris : paternæ doctrinæ argumentum et fructus.*

<sup>2</sup> *De fructu oris : ex Hebræo sic vertas: de fructu oris ( verbis sanis) vir (bonus) comedet ( colligit) bona : anima prævaricatorum (insipientium) injuriam (damna) supple, comedit , colligit.*

<sup>3</sup> *Qui autem inconsideratus est ad loquendum : Heb. Aperiens labia ; ac rectè suppletum, temerè , inconsideratè.*

4. Vult et non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.

5. Verbum mendax justus detestabitur: impius autem confundit et confundetur.

6. Justitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat.

7. Est quasi dives, cum nihil habeat: et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.

8. Redemptio animae viri, divitiae suae: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

9. Lux justorum laetificat: lucerna autem impiorum extinguetur.

*4 Vult et non vult piger: infrà, xxi. 25, 26. Desideria occidunt pigrum; nihil verè vult: multa optat: vanâ spe se oblectat: nil agit: sic qui converti differt: de quo Eccli, v. 8.*

*5 Impius autem, qui non à mendacio abhorret, confundit et confundetur: pudefacit et pudesit: probro suis, sibique; et foetere faciet (se) et pudore afficiet (alios), eodem sensu: Heb.*

*7 Est quasi dives, cum nihil habeat: parvo contentus, et pro rei suae tenuitate liberalis. Et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit; prodigus, dissipator, sui alienique largitor. Spirituali sensu: dives ille, Luc. xvi. 19. verè pauper, qui bona jam recepit sua: at egens ille Lazarus, verè dives, quem Dei regnum manebat. Alii sic intelligunt: Est pauper divitiarum ostentator: est et dives modestus rei amplitudinem oclans, ne invidie aut prædæ sit.*

*8 Redemptio animæ viri, divitiae: dives à pravis machinationibus se expedit, pauper accusatus opprimitur: vel increpationem, verba asperiora non sustinet: quemadmodum apud Comicum:*

*Propter suam inopiam, semper se creduat negligi.*

nec piget Salomonem, pro veteris Testamenti ratione, commendare divitias ad acuendam industriam. Cæterum ex divitiis vera redemptio, cum peccata eleemosynis redimunt. Dan. iv. 24.

*9 Lux justorum; felicitas: res prosperæ: laetificat: omnibus grata est.*

10. Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio , reguntur sapientiâ.

11. Substantia festinata minuetur : quæ autem paulatim colligitur manu , multiplicabitur.

12. Spes , quæ differtur , affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens.

13. Qui detrahit alicui rei , ipse se in futurum obligat : qui autem timet præceptum , in pace versabitur.

Animæ dolosæ errant in peccatis : justi autem misericordes sunt , et miserantur.

14. Lex sapientis fons vitæ , ut declinet à ruinâ mortis.

15. Doctrina bona dabit gratiam : in itinere contemptorum vorago.

16. Astutus omnia agit cum consilio : qui autem fatuus est , aperit stultitiam.

17. Nuntius impii cadet in malum : legatus autem fidelis , sanitas.

<sup>11</sup> *Substantia festinata* ; ex vanitate : ( quasi ex nihilo , sive ex malo ) Heb. *minuetur* : facile dilabetur.

<sup>13</sup> *Qui detrahit... rei* : verbum habet Heb. quod sæpe pro re sumitur : lxx. sic vertunt , qui rem ( qui negotium ) contempserit , contemnetur ab eâ : negotia non procedent ei , qui negligenter facit. Ex Hebræo sic vertas : qui contemnit verbum ( nempe Dei ) detrimentum patietur : quod postremæ parti sententiæ magis congruit. *Animæ dolosæ errant in peccatis* : deest Heb. et lxx. habent aliud.

<sup>14</sup> *Lex* ( doctrina Heb. ) *sapientis* , *fons vitæ* ; *ut declinet à ruinâ ( à laqueo Heb. ) mortis*.

<sup>15</sup> *Dabit gratiam* : grata erit : *in itinere contemptorum vorago*. Via transgressorum dura : Heb. aspera , difficilis.

<sup>17</sup> *Nuntius impii* : nuntius impius : Heb. lxx. sic vertunt : Rex temerarius cadet in mala ; legatus seu nuntius fidelis liberabit eum.

18. Egestas , et ignominia ei qui deserit disciplinam : qui autem acquiescit arguenti , glorificabitur.

19. Desiderium si compleatur , delectat animam : detestantur stulti eos , qui fugiunt mala.

20. Qui cum sapientibus graditur , sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur.

21. Peccatores persequitur malum : et justis retrahentur bona.

22. Bonus relinquit hæredes filios , et nepotes : et custoditur justo substantia peccatoris.

23. Multi cibi in novalibus patrum : et aliis congregatur absque judicio.

24. Qui parcit virgæ , odit filium suum : qui autem diligit illum , instanter erudit.

25. Justus comedit , et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.

Legerunt sine aleph : *Melech*. Quæ rex improvidus pessumdat , ea restituet administer bonus.

<sup>20</sup> *Qui cum sapientibus* : tota sententia in Heb. sic : Ambulans cum sapientibus , sapiens erit : pascenti stultos (convivanti cum eis) malè erit. lxx. Ambulans cum insipientibus agnosceret , hoc est , cuiusque ingenium proditur à convictorum ingenio.

<sup>22</sup> *Bonus relinquit hæredes filios* : sæpe in legè promissum. *Custoditur justo* : tota sententia: boni , suis ; mali , alienis , justisque colligunt.

<sup>23</sup> *Multi cibi* : planum : avita hæreditas fructuosa est : in Heb. Vox *rhashim* quam Hier. Patrum , alii pauperum , alii priucipum vertunt : varièque interpretantur : principes enim colonis ; pauperes industriæ et labore valere. Nec minus obscura est pars posterior sententiæ : quain sic ex Heb. vertunt: et est qui consumitur ob non jus ; est qui fame pereat , quòd leges colendi agri , rusticaneque operis rationem non intelligat.

<sup>25</sup> *Justus comedit* : justus , et modico contentus est : malus nec superfluo ac nimio saturatur.

---

## CAPUT XIV.

*Sapiens mulier: vir bonus ab iniquo despicitur: labor assiduus, 4.  
stultus: sapiens: falsæ pietatis malus exitus: gaudium: luctus:  
stulta credulitas: agere consideratè: verbosus: actuosus, 23.  
regum regnorumque robur, 28, 34. boni administri regum, 35.*

1. SAPIENS mulier ædificat domum suam: insipiens extuctam quoque manibus destruet.

2. Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur viâ.

3. In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.

4. Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.

5. Testis fidelis non mentitur: profert autem mendacium dolosus testis.

6. Quærerit derisor sapientiam, et non invenit: doctrina prudentium facilis.

7. Vade contra virum stultum, et nescit labia prudentiæ.

<sup>2</sup> *Qui infami graditur viâ: perversus viâ suâ despicit eum: Heb.*

<sup>3</sup> *In ore stulti virga superbiæ; dicta factaque arrogantia.*

<sup>4</sup> *Ubi non sunt boves: labore et industriâ copia paratur.*

<sup>6</sup> *Doctrina prudentium facilis: neque enim inaccessâ et inexplorâtâ, sed regiâ incedunt viâ: nec sapientiam putant, nova et aliis ignota, sed sana promere: neque altiora et subtiliora, sed recta sectantur; et quæ tractant sublimia, enucleant, ac velut in lac temperant.*

<sup>7</sup> *Vade contra.... et nescit labia prudentiæ: Heb. nescies: quod utrumque verum est: si viro stulto occurrere satagas, facile comprehendes ejus inscitiam, ac simul prodes tuam. At Chal. vade à conspectu viri stulti: nescit enim verba prudentiæ.*

8. Sapientia callidi, est intelligere viam suam ; et imprudentia stultorum errans.

9. Stultus illudet peccatum ; et inter justos morabitur gratia.

10. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.

11. Domus impiorum delebitur : tabernacula verò justorum germinabunt.

12. Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.

13. Ritus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.

14. Viis suis replebitur stultus, et super eum erit vir bonus.

15. Innocens credit omni verbo : astutus considerat gressus suos.

*8 Sapientia callidi, est intelligere viam suam. Sic enim David moriens monuerat: Ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te veteris. III. Reg. II. 3. At stulti aguntur, non agunt, impetu rapiuntur; Unde subdit: et imprudentia stultorum, errans: dolus: Heb. quod est, fallax; eodem sensu. Vide infrà, 15.*

*9 Stultus illudet peccatum: ludificando excusat, et palliat peccata, et aliena et sua. Inter justos.... gratia: benevolentia: Heb. quòd nec aliis imponant, nec sibi.*

*10 Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus: et in gaudio: Heb. Non miscebitur extraneus; alienus. Sunt qui à dolore suo avocent animum, voluptatibusque se obtundant, non suam amaritudinem sentiant: sunt qui alieno arbitrio gaudeant et dolent, rerum suarum ignari: at cuiquè oportet ex seipso sui dolores, sua gaudia constent.*

*12 Est via quæ videtur: sic falsa pietas, falsus et amarus zelus, falsa pœnitentia pravis illudit animis.*

*15 Innocens (imperitus: Heb.) Credit omni verbo: astutus considerat (ipse) gressus suos; nec se ad aliena quæque verba componit. Filio doloso nihil erit boni: deest Heb. LXX.*

Filio doloso nihil erit boni : servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigetur via ejus.

16. Sapiens timet, et declinat à malo : stultus transilit, et confidit.

17. Impatiens operabitur stultitiam : et vir versutus odiosus est.

18. Possidebunt parvuli stultitiam, et expectabunt astuti scientiam.

19. Jacebunt mali ante bonos, et impii ante portas justorum.

20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit : amici verò divitum multi.

21. Qui despicit proximum suum, peccat : qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit.

22. Errant qui operantur malum : misericordia et veritas præparant bona.

23. In omni opere erit abundantia : ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

<sup>17</sup> *Impatiens* : facilè excandescens, et in agendo præceps : Heb. *operabitur stultitium* : et vir versutus odiosus est : Vir cogitationum sive machinationum odio erit : Heb. tam in agendo præceps, quam in cogitando et deliberando nimius, odio habentur.

<sup>18</sup> *Et expectabunt astuti scientiam* : coronabuntur scientiā : Heb. vincent.

<sup>20</sup> *Etiam proximo.... pauper odiosus* : quò magis eum subleves : unde subdit :

<sup>21</sup> *Qui despicit proximum* : pauperem licet, peccat. *Qui credit in Domino* : deest Heb.

<sup>22</sup> *Errant* (nonne errant? Heb.) *qui operantur malum*. Asseverandi formula ; quasi diceret : manifestè errant, aut, ut alii, ecce errant.

<sup>23</sup> *In omni opere* : actuosi proficiunt, verbosi egent, quo nihil est verius.

24. Corona sapientium, divitiae eorum : fatuitas stultorum, imprudentia.

25. Liberat animas testis fidelis : et profert mendacia versipellis.

26. In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes.

27. Timor Domini, fons vitae, ut declinent à ruinâ mortis.

28. In multitudine populi dignitas regis ; et in paucitate plebis ignominia principis.

29. Qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

30. Vita carnium, sanitas cordis : putredo ossium, invidia.

31. Qui calumniatur gentem, exprobrat factori ejus : honorat autem cum, qui miseretur pauperis.

32. In malitiâ suâ expelletur impius : sperat autem justus in morte suâ.

33. In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet.

34. Justitia elevat gentem : miseros autem facit populos peccatum.

*24 Fatuitas stultorum, imprudentia : fatuitas, Heb. eodem verbo repetito, quasi diceret : mera fatuitas.*

*30 Vita carnium, sanitas cordis, sive sanum cor : ab irâ et livore purum. Putredo ossium, invidia : marcescunt invidi, et moerore tarescant : vir bonus ipsâ lætitia, et mente et corpore vegetus.*

*33 Et indoctos quosque erudiet : et in medio stultorum cognoscetur : Heb. prævalente luce, et pervincente famâ.*

*34 Miseros autem facit populos peccatum : extenuat : lxx. at Heb. Ch. Syr. Misericordia in populos, peccatum, id est, sacrificium pro peccato, expiatio.*

35. Acceptus est regi minister intelligens : iracundiam ejus inutilis sustinebit.

*35 Iracundiam ejus inutilis sustinebit : qui confundit : Heb. cuius administratio regii consiliis dedecus aut invidiam conciliat.*

---

## CAPUT XV.

*Verba mitia et sapientia : aspera et stulta, 1, 4. corripi bonum, 5, 10, 12, 32. domus justi stabilis : injusti, contraria : impiorum victimæ : paupertas suo contenta, 15. et seq. piger sive iners, 19.*

1. RESPONSIo mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem.

2. Lingua sapientium ornat scientiam : os fatuorum ebullit stultitiam.

3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonus et malos.

4. Lingua placabilis, lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum.

5. Stultus irridet disciplinam patris sui : qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

In abundanti justitiâ virtus maxima est : cogitationes autem impiorum eradicabuntur.

6. Domus justi plurima fortitudo ; et in fructibus impii conturbatio.

7. Labia sapientium disseminabunt scientiam : cor stultorum dissimile erit.

<sup>2</sup> Lingua sapientium : vide 7.

<sup>3</sup> In omni loco : junge cum 11.

<sup>5</sup> In abundanti justitiâ virtus maxima est. Deest Heb. habent LXX.

<sup>7</sup> Disseminabunt scientiam ; nec tantum solidè, sed etiam ornatè, ex 1. 2. Cor stultorum dissimile erit : non sic : Heb.

8. Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia.

9. Abominatio est Domino via impii : qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.

10. Doctrina mala deserenti viam vitæ : qui increpationes odit, morietur.

11. Infernus, et perditio coram Domino : quantò magis corda filiorum hominum ?

12. Non amat pestilens eum, qui se corripit ; nec ad sapientes graditur.

13. Cor gaudens exhilarat faciem : in mœrore animi dejicitur spiritus.

14. Cor sapientis quærerit doctrinam : et os stultorum pascitur imperitiâ.

15. Omnes dies pauperis, mali : secura mens quasi juge convivium.

16. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.

17. Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio.

18. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitas.

19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum : via justorum absque offendiculo.

20. Filius sapiens lætitiat patrem : et stultus homo despicit matrem suam.

<sup>11</sup> *Infernus et perditio* : profunda terræ : loca abdita et invisa ; mors ipsa.

<sup>15</sup> *Secura mens quasi juge convivium* : læta paupertas, licet misera videatur. Junge sequentes duos versus.

<sup>19</sup> *Iter pigrorum quasi sepes spinarum* : pigro omnia plena obstaculis; plana omnia sedulo.

21. Stultitia gaudium stulto : et vir prudens dirigit gressus suos.

22. Dissipantur cogitationes , ubi non est consilium : ubi verò sunt plures consiliarii, confirmantur.

23. Lætatur homo in sententiâ oris sui : et sermo opportunus est optimus.

24. Semita vitæ super eruditum , ut declinet de inferno novissimo.

25. Domum superborum demolietur Dominus : et firmos faciet terminos viduæ.

26. Abominatio Domini cogitationes malæ : et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.

27. Conturbat domum suam , qui sectatur avaritiam : qui autem odit munera , vivet.

Per misericordiam et fidem purgantur peccata : per timorem autem Dumini declinat omnis à malo.

28. Mens justi meditatur obedientiam : os impiorum redundat malis.

29. Longè est Dominus ab impiis : et orationes justorum exaudiet.

*22 Dissipantur cogitationes , ubi non est consilium : secretum : Heb. Plures consulendi , sed clam ; neque indiscernit , hoc est , omnes de omnibus : sed quisque in eâ re quam calleat.*

*24 Semita vitæ super eruditum : eruditus sive intelligens sursum habet viam vitæ. Ut declinet de inferno novissimo : infimo , Heb. ad sumnia quæque erectus , devitat infima : sive etiam , mortem.*

*26 Purus sermo : castus , mundus : per se pulcherrimus , nec indiget eloquentiæ ornamenti. Firmabitur ab eo. Deest Heb.*

*27 Per misericordiam et fidem : deest Heb. habent lxx. Cyprianus profert , de Op. et Eleem. Misericordia et fide delicta purgantur.*

*28 Mens justi meditatur obedientiam : fidem , lxx. ad respondendum : Heb. quod magis sequentibus congruit , ut sapientes , nec temere respondentes , à loquacibus secernantur.*

30. Lux oculorum lætificat animam : fama bona impinguat ossa.

31. Auris , quæ audit increpationes vitæ , in medio sapientium commorabitur.

32. Qui abjicit disciplinam , despicit animam suam : qui autem acquiescit increpationibus , possessor est cordis.

33. Timor Domini , disciplina sapientiæ : et gloriam præcedit humilitas.

*30 Lux oculorum : ut lux oculis grata ; ita fama animo.*

---

## CAPUT XVI.

*Homo præparat ; Deus regit , 1 , 9. agenda omnia sub oculis Dei : Deus omnia propter seipsum : arrogans : Deo propitio , omnia bene vertunt : res modica cum justitiâ : regum prudentia , 10. justitia , 12 , 13. ira : clementia , 14 , 15. Deus omnia in pondere , 11. egestas acuit industriam ; patiens ; fortis ; nihil fortuitum , 33.*

1. HOMINIS est animam præparare : et Domini gubernare linguam.

2. Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus.

3. Revela Domino opera tua ; et dirigentur cogitationes tuæ.

<sup>1</sup> *Hominis est : sic infrà 9. Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus. Homines quidem diligenter sua et dicta et facta apud se componunt : sed cùm adest loquendi aut agendi tempus , ipsi excidunt sibi ; ac bene cogitata præter spem , in pessimos sermones , aut inepta facta desinunt.*

<sup>2</sup> *Omnes viæ hominis patent oculis ejus : mundæ oculis suis : Heb. ipsius scilicet hominis : sua cuique sensa placent. At spirituum ponderator est Dominus : vide xxi. 2. Deus nos non arbitrio nostro , sed ex vero judicat ; nec leviter , sed appensis omnibus ; ut infrà 11.*

4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum.

5. Abominatio Domini est omnis arrogans : etiamsi manus ad manum fuerit , non est innocens.

Initium viæ bonæ , facere justitiam : accepta est autem apud Deum magis , quām immolare hostias.

6. Misericordiâ et veritate redimitur iniquitas : et in timore Domini declinatur à malo.

7. Cūm placuerint Domino viæ hominis , inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

8. Melius est parum cum justitiâ , quām multi fructus cum iniquitate.

9. Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus.

10. Divinatio in labiis regis ; in judicio non errabit os ejus.

*4 Impium quoque ad diem malum : sic enim ad Pharaonem : Idcirco autem posui te , ut ostendam in te fortitudinem meam , et narretur nomen meum in omni terra : Exod. ix. 16. Rom. ix. 17. occultissimo quidem , sed tamen justo judicio.*

*5 Etiamsi manus ad manum fuerit : cessans , nihil agens : suprà xl. 21. Initium viæ bonæ , facere justitiam : deest Heb. lxx. habent.*

*7 Cūm placuerint Domino. Sic quia placuerunt Deo viæ Danielis et trium puerorum : inimicos quoque eorum , regesque qui eos in ignem , vel bestias miserunt , convertit ad pacem , atque amicitiam . Beda. Sic Josepho , sic Jeremīe , sic aliis contigit.*

*10 Divinatio in labiis regis : decretis parendum ut oraculis : quin etiam vaticinari et arcana cordium scrutari reges videntur : sic illa Thecuitis ad Davidem acutissimè conjectantem : Nec ad sinistram , nec ad dexteram est ex omnibus his , quæ locutus est dominus meus rex..... tu autem , domine mi rex , sapiens es , sicut habet sapientiam angelus Dei . II. Reg. xiv. 19, 20. Sic ipse Salomon inter duas fœminas dijudicans , arcana pectoris elicuit . III. Reg. iii. Non errabit os ejus : eò quòd sit sagax , et rerum experimento doctus: tum quòd cor ejus in manu Dei : infrà xxi. 1. ne perfidi latere possit*

11. Pondus et statera judicia Domini sunt : et opera ejus omnes lapides sacculi.

12. Abominabiles regi qui agunt impiè : quoniam justitiā firmatur solium.

13. Voluntas regum labia justa : qui recta loquitur , diligitur :

14. Indignatio regis , nuntii mortis : et vir sapiens placabit eam.

15. In hilaritate vultū regis , vita : et clementia ejus , quasi imber serotinus.

16. Posside sapientiam , quia auro melior est : et acquire prudentiam , quia pretiosior est argento.

17. Semita justorum declinat mala : custos animæ suæ servat viam suam.

18. Contritionem præcedit superbia : et ante ruinam exaltatur spiritus.

19. Melius est humiliari cum mitibus , quām dividere spolia cum superbis.

20. Eruditus in verbo reperiet bona : et qui sperat in Domino , beatus est.

oecultas molitiones , ac rempublicam pessundent , aut tcmere principis judicata contemnunt.

<sup>11</sup> *Et opera ejus omnes lapides sacculi* : pondera justa : lxx. quòd lapidibus in sacculo reconditis ponderare soliti essent. Vide Sap. xi. 21. <sup>1</sup>

<sup>15</sup> *In hilaritate vultū regis* : in lumine vultū : Heb. quæ locutio frequentissima : *vita* ; *gratia* , favor. *Et clementia ejus quasi imber serotinus* : est enim imber temporaneus , seu veris , alendis seminibus ; est et serotinus , æstivus , seu autumnalis , maturandæ messi , yndemiacque aptissimus : Deut. xi. 14. Jac. v. 7. qui et optatissimus æstivis caloribus temperandis.

<sup>20</sup> *Eruditus in verbo* : per verbum.

21. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, et qui dulcis eloquio, majora percipiet.

22. Fons vitæ eruditio possidentis : doctrina stultorum , fatuitas.

23. Cor sapientis erudiet os ejus ; et labiis ejus addet gratiam.

24. Favus mellis, composita verba ; dulcedo animæ , sanitas ossium.

25. Est via quæ videtur homini recta ; et novissima ejus ducunt ad mortem.

26. Anima laborantis laborat sibi , quia compulit eum os suum.

27. Vir impius fodit malum , et in labiis ejus ignis ardescit.

28. Homo perversus suscitat lites ; et verbosus separat principes.

*21 Qui sapiens est corde : tum quisque est omnibus jucundissimus , cùm ad animi prudentiam accedit sermonis gratia. Vide infrà 23.*

*23 Cor sapientis erudiet os ejus : non temerè loquitur , nec nisi re penitus intellecta. Et labiis ejus addet gratiam : doctrinam , disciplinam. Heb.*

*24 Favus mellis , composita , mitia et moderata verba ; eadem sunt dulcedo sive quies animæ , medela est et sanitas ossium , medullarumque , atque intimarum partium : quippe queis et animus et corpus reficiatur.*

*25 Est via : idem sup. xiv. 12.*

*26 Anima laborantis fame : laborat sibi : quia compulit eum os suum : alimenti penuria : sensus est : indigentia acui industriam et artes.*

*27 Vir impius fodit malum , sibi et aliis : In labiis ejus ignis ardescit : liibus , irâ , jurgis inflamat ac devastat omnia : sicut habes Jac. iii. 6.*

*28 Et verbosus separat principes : susurro , de quo sæpe.*

29. Vir iniquus lactat amicum suum ; et dicit eum per viam non bonam.

30. Qui attonitis oculis cogitat prava , mordens labia sua perficit malum.

31. Corona dignitatis senectus , quæ in viis justitiae reperietur.

32. Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo , expugnatore urbium.

33. Sortes mittuntur in sinum , sed à Domino temperantur.

<sup>30</sup> *Qui attonitis oculis* (supple, est) *cogitat prava* : qui obsfirmatis, fixis : Heb. LXX. *Mordens labia* : qui mordet labia , *perficit malum*. Iudicium est hominis malum alteri machinantis, defixis oculis mordere labia.

<sup>31</sup> *Corona dignitatis senectus* : diadema gloriæ canities : Heb. quæ caput cingit et ornat.

<sup>33</sup> *Sortes mittuntur*. Sic in eligendo Saüle , Matthià , et aliis ; sensusque est: per divinam providentiam ambigua quæque et incerta in certos fines dirigi, neque quidquam fortuitum.

## CAPUT XVII.

*Frugale convivium : servus sapiens : Dominus corda probat : despiciens pauperem et cadentem : ampla soboles : aliorum celare delicta : ea commemorans : fatuus instar ursæ sœvientis : mala pro bonis : lites , 14. divitiæ inutiles : constans amicitia , 17. animi tranquillitas , 22. vultus sapientis et stulti , 24. tacere utile.*

1. MELIOR est bucella sicca cum gaudio , quām domus plena victimis cum jurgio.

2. Servus sapiens dominabitur filiis stultis , et inter fratres hæreditatem dividet.

\* *Plena victimis* : epulis , quòd in sacrificiis pacificis splendide parare solerent.

3. Sicut igne probatur argentum , et aurum camino : ita corda probat Dominus.

4. Malus obedit linguæ iniquæ , et fallax obtemperat labiis mendacibus.

5. Qui despicit pauperem , exprobrat factori ejus: et qui ruinâ lætatur alterius , non erit impunitus.

6. Corona senum , filii filiorum : et gloria filiorum , patres eorum.

7. Non decent stultum verba composita : nec principem labium mentiens.

8. Gemma gratissima , expectatio præstolantis : quòcumque se vertit , prudenter intelligit.

9. Qui celat delictum , quærit amicitias : qui altero sermone repetit , separat fœderatos.

10. Plus proficit correptio apud prudentem , quam centum plagæ apud stultum.

*4 Malus obedit ( auscultat ) linguæ iniquæ : et fallax : sua quemque prava studia perdunt ; malus à malo decipitur ; fallax fallaciorem invenit.*

*7 Non decent stultum verba composita : labia dignitatis : Heb. sive decor in verbis : eodem sensu.*

*8 Gemma gratissima , expectatio præstolantis : planum de spei dulcedine : at Heb. lapillus pretiosus , munus in oculis domini sui. Quòcumque se vertit , largiter prudenter intelligit : sensus est : munus gratiam conciliat danti , et res omnes prosperè sapienterque disponit.*

*9 Qui celat delictum alienum quærit amicitias : sibi parit amicos : qui altero sermone repetit : qui revelat , qui commemorat , separat fœderatos , principem : Heb. duces ab invicem : quos intelligunt LXX. amicos , domesticos : Vulg. fœderatos.*

*10 Plus proficit correptio : verbis tantum : apud prudentem : quam centum plagæ : quam verbera addita verbis , apud stultum.*

11. Semper iurgia quærit malus : angelus autem crudelis mittetur contra eum.

12. Expedit magis ursae occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultiâ suâ.

13. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.

14. Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum : et antequam patiatur contumeliam, judicium deserit.

15. Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

16. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit ?

Qui altam facit domum suam, querit ruinam : et qui evitat discere, incidet in mala.

17. Omni tempore diligit qui amicus est : et frater in angustiis comprobatur.

18. Stultus homo plaudet manibus, cum sponderit pro amico suo.

19. Qui meditatur discordias, diligit rixas : et qui exaltat ostium, querit ruinam.

<sup>11</sup> *Angelus autem crudelis* : vel malus nuntius, vel pœna divinitus immissa.

<sup>12</sup> *Fatuo confidenti* : nee sanis consiliis auscultanti.

<sup>14</sup> *Qui dimittit aquam* : supple, sicut *qui dimittit aquam*; ita *caput iurgiorum*, id est, sicut aqua semel dimissa non facile cohibetur, sic lites semel motæ. *Antequam contumeliam patiatur* : antequam misceatur : Heb. supp. lis; antequam lite sit implicitus : *judicium deserit* : desere : Heb. quod est, principiis obsta.

<sup>16</sup> *Qui altam facit domum suam*, deest Heb. habent LXX. vide 19.

<sup>18</sup> *Stultus homo plaudet manibus* : manum porrigit : Heb. desigit. cavendi formula : vide VI. 1.

<sup>19</sup> *Qui meditatur* : Heb. diligens iniquitatem, diligit iurgia. *Qui exaltat ostium* : domum : pars maximè conspicua pro toto.

20. Qui perversi cordis est , non inveniet bonum : et qui vertit linguam , incidet in malum.

21. Natuſ est stultus in ignominiam suam : sed nec pater in fatuo lætabitur.

22. Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa.

23. Munera de sinu impius accipit , ut pervertat semitas judicii.

24. In facie prudentis lucet sapientia : oculi stultorum in finibus terræ.

25. Ira patris , filius stultus : et dolor matris quæ genuit eum.

26. Non est bonum , damnum inferre justo : nec percutere principem , qui recta judicat.

27. Qui moderatur sermones suos , doctus et prudens est : et pretiosi spiritus vir eruditus.

28. Stultus quoque si tacuerit , sapiens reputabitur : et si compresserit labia sua , intelligens.

*20 Et qui vertit linguam : fallax , ambiguis dolosisque sermonibus : perversus in linguā suā : Heb.*

*22 Animus gaudens ætatem floridam facit : medicina bona est : Heb. alii , benefaciet corpori.*

*24 Oculi stultorum in finibus terræ : errantes , vagi , distorti .*

---

---

## CAPUT XVIII.

*Causas dissolvendæ amicitiæ quærere : stultus nil, nisi placentia, audire vult : rixis se immiscet : sermonibus suis capit : falsa simplicitas, 8. piger, 8, 9. pietas, propugnaculum, 10. exaltatione casus, 12. non audiens, 13. munera : sortiri, quam litigare melius : mutuum adjutorium : 19. sermonis vis : divitium ingenium : amicus fratre potior.*

1. OCCASIONES quærit qui vult recedere ab amico : omni tempore erit exprobrabilis.

2. Non recipit stultus verba prudentiæ ; nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.

3. Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit : sed sequitur eum ignominia et opprobrium.

<sup>1</sup> *Occasiones quærit : sic etiam lxx. obvio sensu ; at Heb. Ad desiderium querit separatus ; quod sic interpretantur : qui secundum vota sua vivit singularis, sive à communi hominum consortio sequestratus, in omni sapientiæ miscebit se, versabitur ; alii : in omni existentiæ : quod tamen sapientiam, eamque veram sonare jam vidimus, quod èodem recidit ; sensusque est : plurimum conferre ad veram solidamque sapientiam, à turbâ secedere : alii, pro in omni sapientiæ miscebit se, ex Chal. vertunt : omnem sapientiam, sive omne consilium deridebit : quo sensu illa sequestratio malo animo suscepta videatur, ut quis ad libidinem vitam instituat : quæ varietates obscurissimum textum indicant, ac nisi suppleveris, inextricabilem. Itaque Vulg. post lxx sic supplet : separatus, sive qui recedit, supple, ab amico, querit ad desiderium : ad libitum singit, supple, recedendi occasiones : omni tempore (pro essentiæ) risuēt, seu probro ; quam sententiam facile anteponimus.*

<sup>2</sup> *Nisi ea dixeris ; Heb. eodem sensu : nisi cùm manifestabitur cor ejus, id est, quidquid dixeris, pristinæ sententiæ hæret, neque quidquam audit, nisi placentia.*

<sup>3</sup> *Impius, cùm in profundum : ita lxx. rectissimo sensu : Heb. Ve-*

4. **Aqua profunda**, verba ex ore viri : et torreus redundantans, fons sapientiae.

5. **Accipere personam impii** non est bonum, ut declines à veritate judicii.

6. **Labia stulti** miscent se rixis : os ejus jurgia provocat.

7. Os stulti contritio ejus : et labia ipsius ruina animæ ejus.

8. Verba bilinguis, quasi simplicia, et ipsa perveniant usque ad interiora ventris.

**Pigrum dejicit timor** : animæ autem effeminatorum esurient.

9. Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

10. **Turris fortissima**, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.

11. **Substantia divitis urbs** roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum.

niente impio, venit etiam confusio, et cum ignominiâ : sive ignominioso viro opprobrium.

4 *Aqua profunda* : significat verba sapientium scrutanda, meditanda. Vide xx. 5. *Torreus redundantans* ; qui altè sapientiam imbibet, huic sermones optimi, atque ad suadendum aptissimi, torrentis instar defluerunt.

5 *Ut declines à veritate judicii* : ut subvertas justum in judicio : Heb.

7 *Ruina animæ ejus* ; laqueus : Heb. dictis suis capitur; unde etiam illud : *De ore tuo te judico, serve nequam.* Luc. xix. 22.

8 *Verba bilinguis*; fallacis : alia et alia loquentis : detractoris : susurronis, ut vertit xxvi. 22. *quasi simplicia* : lenia : Heb. blandientia. *Et ipsa perveniant* : altissimum vulnus insigunt. *Pigrum dejicit timor*: deest Heb. habent lxx.

11 *Substantia divitis* : idem supra x. 15. *circumdans eum* : in opinione suâ : Heb. Tumidus licet animo, tamen opinione magis quam re prævalet.

12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis : et antequam glorificetur, humiliatur.

13. Qui prius respondet quam audiat, stultum esse demonstrat, et confusione dignum.

14. Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam : spiritum verò ad irascendum facilem, quis poterit sustinere ?

15. Cor prudens possidebit scientiam, et auris sapientium quaerit doctrinam.

16. Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatiū ei facit.

17. Justus, prior est accusator suū : venit amicus ejus, et investigabit eum.

18. Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.

19. Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma : et judicia quasi vectes urbium.

20. De fructu oris viri replebitur venter ejus : et genimina labiorum ipsius saturabunt eum.

21. Mors et vita in manu linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

<sup>14</sup> *Spiritus viri (animus) sustentat imbecillitatem (corporis) : spiritum ad irascendum facilem, spiritum debilem : Heb. quis sustinebit? Corpori deficiente animus : animo infracto nihil subsidii est.*

<sup>17</sup> *Justus, prior est accusator suū : sic Job : Verè scio, quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo : Job. ix. 2. Ex Heb. tamen sic veritas : qui primus in causā suā justus est, id est, qui prior causam dicit, justior videtur. Venit amicus ejus : socius; Heb. adversarius : LXX. et investigabit eum : vitium causae eruet.*

<sup>19</sup> *Frater, qui adjuvatur : ita etiam Syr. et LXX. At Heb. Frater rebellans, præ fortī civitate est ; bellum intestinum extraneo pejus. Quare colenda justitia est, arcens injurias et perduellionis causas aequo jure prohibens : quò pars posterior spectat.*

<sup>21</sup> *Qui diligunt eam : linguam bonam ; sermones optimos.*

**22.** Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum;  
et hauriet jucunditatem à Domino.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum :  
qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.

**23.** Cum obsecrationibus loquetur pauper : et di-  
ves effabitur rigidè.

**24.** Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit,  
quam frater.

*22 Qui invenit mulierem (bonam) : deest Heb. rectè suppletum.  
Qui expellit mulierem bonam : deest Heb. habent lxx.*

---

## C A P U T X I X.

*Simplicitas in paupere : præceps, sive inconsideratus, 2. blasphemus,  
3. divitiæ : testis falsus, 5, 9, 28. falsa amicitia : sul' compos, 8.  
servi dominantes : vir patiens, 4. ira regis : ejusdem clementia :  
litigiosa mulier : uxor prudens, Dei donum : piger, 15, 24. elemo-  
syna : filius castigandus, sed moderatè, 18. hominum varia con-  
silia, 21. pœnæ utiles : parentes affligens : pœnæ improbis.*

**1.** MELIOR est pauper, qui ambulat in simplicitate  
suâ, quam dives torquens labia sua, et insipiens.

**2.** Ubi non est scientia animæ, non est bonum :  
et qui festinus est pedibus, offendet.

**3.** Stultitia hominis supplantat gressus ejus; et  
contra Deum fervet animo suo.

**4.** Divitiæ addunt amicos plurimos : à paupere  
autem et hi, quos habuit, separantur.

**5.** Testis falsus non erit impunitus : et qui menda-  
cia loquitur, non effugiet.

<sup>1</sup> *Quam dives torquens labia sua : quam perversus labiis : Heb.*

<sup>3</sup> *Fervet : irascitur, culpasque suas Deo imputat.*

<sup>5</sup> *et 9. Testis falsus : idem, excepto ultimo vocabulo.*

6. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.

7. Fratres hominis pauperis oderunt eum : insuper et amici procul recesserunt ab eo.

*Qui tantum verba sectatur, nihil habebit :*

8. Qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, et custos prudentiae inveniet bona.

9. Falsus testis non erit impunitus : et qui loquitur mendacia, peribit.

10. Non decent stultum deliciae, nec servum dominari principibus.

11. Doctrina viri per patientiam noscitur : et gloria ejus est iniqua prætergredi.

12. Sicut fremitus leonis, ita et regis ira : et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus.

13. Dolor patris, filius stultus : et tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.

14. Domus et divitiæ dantur à parentibus : à Domino autem propriè uxor prudens.

15. Pigredo immittit soporem; et anima dissoluta esuriet.

16. Qui custodit mandatum, custodit animam suam : qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

6 *Multi* : intellige : plures, turbam, vulgus ipsum.

8 *Qui... possessor est mentis*, bonæ scilicet; vel simpliciter, sui compos.

10 *Non decent stultum deliciae*, non competit illi delectatio : quippe improviso, et per mentis vitium inquieto.

11 *Doctrina viri per patientiam noscitur* : iram prolongat, seu patientem facit : Heb. *Et gloria ejus est iniqua prætergredi* : id est, injurias negligere.

13 *Tecta jugiter* : vide xxi. 9.

16 *Mortificabitur* : morte afficietur.

17. Fœneratur Domino , qui miseretur pauperis; et vicissitudinem suam reddit ei.

18. Erudi filium tuum , ne desperes : ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.

19. Qui impatiens est , sustinebit damnum : et cùm rapuerit , aliud apponet.

20. Audi consilium , et suscipe disciplinam , ut sis sapiens in novissimis tuis.

21. Multæ cogitationes in corde viri : voluntas autem Domini permanebit.

22. Homo indigens , misericors est : et melior est pauper , quàm vir mendax.

23. Timor Domini ad vitam : et in plenitudine commorabitur , absque visitatione pessimâ.

24. Abscondit piger manum suam sub ascellâ , nec ad os suum applicat eam.

25. Pestilente flagellato stultus sapientior erit : si

<sup>18</sup> *Ne desperes* : quia adhuc spes est : Heb. *Ad interfectionem* : alii ex Heb. ad strepitum , ad clamorem ejus. *Ne ponas animam tuam* , ne te falsa teneat misericordia. LXX. Erudi filium tuum , sic enim erit bona spei : ad contumeliam autem ne efferaris animo tuo ; quo sensu Paulus : *Patres , nolite ad indignationem provocare filios vestros , ut non pusillo animo flant.* Col. iii. 21.

<sup>19</sup> *Qui impatiens est* : iracundus , præceps , *sustinet poenam* ; et cùm rapuerit : cùm eripueris ( ab incommodo scilicet ) etiam addes : Heb. supple , alia incommoda , alias culpas : in pejus enim ruet.

<sup>21</sup> *Multæ cogitationes* : varia et incerta consilia.

<sup>22</sup> *Homo indigens , misericors est* : inopiae incommoda per experientiam doctus : quò recidit illud hebraicum : Desiderium (indigentia) viri , misericordia ejus ; misericordem eum et ad beneficentiam propensum efficit.

<sup>23</sup> *Timor Domini... et in plenitudine commorabitur* : et satur hababit , nec visitabit eum malum. Hebr.

<sup>25</sup> *Pestilente flagellato* : derisorem si castigaveris , imperitus (quoniamque) cautior fiet : Heb.

autem corripueris sapientem , intelliget disciplinam.

26. Qui affligit patrem , et fugat matrem , ignominiosus est , et infelix.

27. Non cesses , fili , audire doctrinam , nec ignores sermones scientiae.

28. Testis iniquus deridet judicium : et os impiorum devorat iniquitatem.

29. Parata sunt derisoribus judicia : et mallei percutientes stultorum corporibus.

<sup>26</sup> *Qui affligit patrem* : spoliat : Heb.

<sup>27</sup> *Non cesses* , fili : cessa , fili : et ignorabis : Heb. quasi commi-  
nando : idem sensus.

<sup>29</sup> *Et mallei percutientes* : percussionses : Heb. verbera.

## CAPUT XX.

*Ebrietas* : *ira regis metuenda* : *contentiosi homines* : *piger* , 4. *sapiens* : *rex justus* : *clemens* : *sapiens* , 8, 26, 28. *nemo mundus* : *iniquæ mensuræ* : *vir attentus* , 12. *fidejussor* : *bona in speciem* , 17. *consilia* , 18. *revelans arcana* : *detractor* , *adulator æquè fugiendi* , 19. *festinatae divitiæ* : *ultio vetita* , 22. *Deo permittenda sors nostra* , 24. *juvenum ac senum robur* : *occulta vulnera*.

1. Luxuriosa res , vinum , et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur , non erit sapiens.

2. Sicut rugitus leonis , ita et terror regis : qui provocat eum , peccat in animam suam.

3. Honor est homini qui separat se à contentioni-  
bus : omnes autem stulti miscentur contumeliis.

<sup>1</sup> *Luxuriosa res* , *vinum* : effrene quid , sive immoderatum et in-  
castigatum , quod est etiam luxuriosum. Ad verbum : derisor , quod  
item est , improbus , intemperans ; sicera , id est , *vinum* , *tumul-  
tuans* ; phrasii hebraicæ : cognata hæc sunt.

4. Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.

5. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri : sed homo sapiens exhaustus illud.

6. Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet ?

7. Justus, qui ambulat in simplicitate suâ, beatos post se filios derelinquet.

8. Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.

9. Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum à peccato ?

10. Pondus et pondus, mensura et mensura : utrumque abominabile est apud Deum.

11. Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus.

12. Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.

13. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat ; aperi oculos tuos, et saturare panibus.

14. Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cùm recesserit, tunc gloriabitur.

15. Est aurum, et multitudo gemmarum : et vas pretiosum labia scientiæ.

5 *Homo sapiens exhaustus illud* : profundissima quæque penetrabit, nec se capi sinet.

6 *Multi homines* : multi multa jactant; commendat quisque liberalitatem suam. *Virum autem fidelem*, neque inani virtutis titulo se jactantem, quis inveniet ?

12. 13. *Aurem audientem* : attentam aurem, attentos oculos : vid. Is. vi. 9. unde in seq. *Aperi oculos tuos* : caye tibi, attentus esto et diligens.

16. Tolle vestimentum ejus qui fidejussor extitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo.

17. Suavis est homini panis mendacii; et postea implebitur os ejus calculo.

18. Cogitationes consiliis roborantur; et gubernaculis tractanda sunt bella.

19. Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearisi.

20. Qui maledicit patri suo, et matri, extingueatur lucerna ejus in mediis tenebris.

21. Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.

22. Ne dicas: Reddam malum: expecta Dominum, et liberabit te.

23. Abominatio est apud Dominum pondus et pondus; statera dolosa non est bona.

24. A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?

25. Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.

<sup>17</sup> *Panis mendacii*: bonus in speciem, sed non satis purgatus, mixtis quoque calculis et pulvere: sic multa bona in speciem, nec nisi experiundo noscenda.

<sup>18</sup> *Et gubernaculis tractanda sunt bella*: consiliis.

<sup>19</sup> *Qui revelat mysteria*: Heb. Revelanti arcana, detractori, et allicienti labiis, sive blandienti, ne te comitem adjunxeris.

<sup>21</sup> *Hæreditas, ad quam*: festinata dolis acquisitio primùm delectat, ad extremum destituit possidentem.

<sup>25</sup> *Ruina est homini devorare sanctos*: sanctitatem; Heb. sanctificata rapere: et post vota retractare: cavillari vota: Heb. irrita facere variis interpretationibus; sive, ad inania vota recurrere; rapi-nis expiandis scilicet.

**26.** Dissipat impios rex sapiens , et incurvat super eos fornicem.

**27.** Lucerna Domini spiraculum hominis , quæ investigat omnia secreta ventris.

**28.** Misericordia et veritas custodiunt regem , et roboratur clementiâ thronus ejus.

**29.** Exultatio juvenum , fortitudo eorum : et dignitas senum , canities.

**30.** Livor vulneris absterget mala , et plagæ in secretioribus ventris.

**26** *Et incurvat super eos fornicem* : carcerem firmissimum in fornicis modum , rotam : Heb. lxx. tribulam , quâ confringantur : suppliancei genus.

**27** *Lucerna Domini spiraculum* ( sive mens ) *hominis* : mens divinitus accensa lux est , quæ pectoris arcana rimatur . *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis , nisi spiritus hominis qui in ipso est*. I. Cor. ii. 11.

**29** *Exultatio sive gloriatio juvenum robur eorum* : cor eorum , Heb. viribus juvenes , senes ipsâ canitie , rerumque experientiâ gloriantur.

**30** *Livor vulneris absterget mala* : ejectio puris quo vulnus liveat , mali abstersio est : *Et plagæ* : aliud est enim cum ulcus altè penetrat ; sic vulnera animi confitendo sanantur : in alto delitescentia , exitiosiora sunt.

## C A P U T   X X I.

*Cor regis : cordium appensor Deus : quid victimis sit melius : sapientia : piger , 5, 25, 26. rapinæ : mulier litigiosa , 8, 19. animadversionum utilitas : immittis in pauperem : munera : sapiens revocat ad sana consilia , 22. tacitus , 23. pertinax , 29. non est sapientia contra Dominum : à Deo salus , 30, 31.*

**1.** *SICUT divisiones aquarum , ita cor regis in*

*\* Sicut divisiones aquarum : quâ facilitate rivuli ad irrigandos hortos ab agricola à capite deducuntur , ita cor regis : neque minùs*

manu Domini : quòcumque voluerit , inclinabit illud.

2. Omnis via viri recta sibi videtur : appendit autem corda Dominus.

3. Facere misericordiam et judicium , magis placet Domino , quàm victimæ.

4. Exaltatio oculorum est dilatatio cordis : lucerna impiorum peccatum.

5. Cogitationes robusti semper in abundantia : omnis autem piger semper in egestate est.

6. Qui congregat thesauros linguâ mendacii , vanus et excors est , et impingetur ad laqueos mortis.

cæterorum hominum corda quàm regum , cùm scriptum sit de quo-cumque homine : *Scio, Domine , quia non est hominis via ejus , nec viri est , ut ambulet et dirigat gressus suos : Jerem. x. 23.* Quod et Salomon ubique inculcat : sed cor regis memoratur , quòd ex regum voluntate res humanæ pendent , quòdque rex ipse vel maximè in suâ potestate esse videatur ; quo magis necesse est , in ipso velut capite rerum humanarum , Dei gubernationi ac potentia subjiceré reliqua. *Quòcumque voluerit , inclinabit illud :* neque eo seciùs corda ipsa , Deo id agente , ad bonum malumve se inclinant et inflectunt ; cùm scriptum sit : *Incline corda vestra ad Dominum : et , Bonas facite vias vestras et studia vestra Jos. xxiv. 23. Jer. vi. 3.*

2 *Omnis via viri recta sibi videtur : recta in oculis ejus : Heb.*

4 *Exaltatio oculorum : superbia , despiciens : est : deest Heb.*  
*Dilatatio cordis : vastæ cogitationes , præ fidentia , temeritas : unde lxx. θραυκάρδιος . Lucerna sive lux , gloria impiorum : pro quo , jugum habet Chal. Alii vertunt: oratio , id est , opera , curæ , studia impiorum : hæc omnia peccatum sunt , Deo exosa sunt , mala sunt , et peccato debitas pœnas accersunt.*

5 *Cogitationes robusti (strenui , seduli , diligētis : Heb.) semper in abundantia : omnis autem piger (festinus : præceps : temerarius : Heb.) semper in egestate est : diligentia copiam , temeritas penuriam parit.*

7. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.

8. Perversa via viri, aliena est : qui autem mundus est, rectum opus ejus.

9. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosâ, et in domo communi.

10. Anima impii desiderat malum; non miserebitur proximo suo.

11. Multato pestilente sapientior erit parvulus; et si sectetur sapientem, sumet scientiam.

12. Excogitat justus de domo impii, ut detrahatur impios à malo.

13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.

14. Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam.

15. Gaudium justo est facere judicium : et pavor operantibus iniquitatem.

7 *Detrahent eos ; dejicient , deturbabunt.*

8 *Aliena est : à rectâ ratione, à lege Dei devia. Quidam intelligunt eodem sensu, quo dicebat Paulus : Alienati à vita Dei; hospites testamentorum : Ephes. 11. 12. iv. 18.*

9 *Melius est sedere in angulo domatis : tecti : sub dio : in domo communi : sub tecto cum aliis. Melius est pluviam irruentem pati, quam rixosæ mulieris contumelias, et hanc convitiorum grandinem : suprà xix. 13. infrà 19.*

11 *Multato pestilente : impius, stulto. Parvulus : imperitus, passim : congruit cum xix. 25. Et si sectetur sapientem : et si corripias sapientem : Heb.*

12 *Excogitat justus de domo impii : intelligit : Heb. id est, docetur impii damno. Ut detrahatur impios à malo : Heb. subvertens impios in malum : justus scilicet malos, male perdens.*

15 *Et pavor : contritio, pernicies ; Heb. quanquam et de pavore verum ; suprà iii. 14, 15.*

16. Vir, qui erraverit à viâ doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.

17. Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur.

18. Pro justo datur impius, et pro rectis ini-  
quus.

19. Melius est habitare in terrâ desertâ, quâm cum muliere rixosâ et iracundâ.

20. Thesaurus desiderabilis, et oleum in habita-  
culo justi; et imprudens homo dissipabit illud.

21. Qui sequitur justitiam et misericordiam, in-  
veniet vitam, justitiam, et gloriâm.

22. Civitatem fortium ascendit sapiens, et de-  
struxit robur fiduciæ ejus.

23. Qui custodit os suum et linguam suam, cus-  
todit ab angustiis animam suam.

24. Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui  
in irâ operatur superbiam.

25. Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim  
quidquam manus ejus operari: 26. totâ die concu-

<sup>16</sup> In cœtu gigantum : mortuorum, Manium : commorabitur:  
uno verbo, concidet, morietur.

<sup>18</sup> Pro justo datur impius: redemptio justi impius: Heb. pretium,  
propitiatio. Sic Isa. XLIII. 3. Dedi propitiationem tuam Ægyptum,  
Æthiopiam et Saba pro te: vindictam alias in gentes transfram, ut  
illæ, non tu, exemplo sint. Quò et illud pertinet: Effunde iram tuam  
in gentes que te non noverunt: Psal. LXXVIII. 6.

<sup>22</sup> Civitatem fortium... et destruxit robur fiduciæ ejus: pugnacem,  
ac de suis viribus ac munitionibus præfidentem, ad sana consilia  
reducit.

<sup>24</sup> Superbus et arrogans vocatur indoctus: stultus, sive derisor,  
sive pestilens, nomen ejus: Heb. superbi et arrogantis scilicet.

<sup>25. 26.</sup> Desideria occidunt pigrum .... totâ die concupiscit et desi-

piscit et desiderat : qui autem justus est , tribuet , et non cessabit.

27. Hostiae impiorum abominabiles , quia offeruntur ex scelere.

28. Testis mendax peribit : vir obediens loquetur victoriam.

29. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est , corrigit viam suam.

30. Non est sapientia , non est prudentia , non est consilium contra Dominum.

31. Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit.

*derat* : vim omnem animi effundit in vota inania ; seque strenuum putat quod magna et utilia meditetur , nullo opere consecuto.

<sup>28</sup> *Vir obediens* (legi , rectae rationi) *loquetur victoriam* : Heb. semper , sive in finem loquetur : non ei os oppriment.

<sup>30. 31.</sup> *Non est sapientia... equus paratur* : sic David. *Fallax equus ad salutem , in abundantiam autem virtutis suae non salvabitur* : Psal. xxxii. 17. et seq.

## C A P U T X X I I .

*Bona fama* : dives et pauper coram Deo æquo jure , 2. prospicere : institutio jam inde à puer , 6. quæ seminat hæc metet , 8. eleemosyna : munera ; amici regum : Deus juvat vigilantes , 12. piger , 13. adultera : stultitia à corde pueri repellenda , 15. sapientia : sponsores ; termini antiqui ; vir diligens regibus carus , 29.

1. MELIUS est nomen bonum , quām divitiæ multæ : super argentum et aurum , gratia bona.

2. Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus.

<sup>2</sup> Obviaverunt sibi ; æquo jure steterunt , Deoque juxta cari , ut sequentia docent.

3. Callidus vidit malum , et abscondit se : innocens pertransiit , et afflictus est damno.
4. Finis modestiae timor Domini ; divitiæ et gloria et vita.
5. Arma et gladii in viâ perversi : custos autem animæ suæ longè recedit ab eis.
6. Proverbium est : Adolescens juxta viam suam , etiam cùm senuerit , non recedet ab eâ.
7. Dives pauperibus imperat : et qui accipit mutuum , servus est fœnerantis.
8. Qui seminat iniquitatem , metet mala , et virgâ iræ suæ consummabitur.
9. Qui pronus est ad misericordiam , benedicitur : de panibus enim suis dedit pauperi.
- Victoriam et honorem acquireret , qui dat munera : animam autem aufert accipientium.
10. Ejice derisorem , et exibit cum eo jurgium , cessabuntque causæ et contumeliae.
11. Qui diligit cordis munditiam , propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.

<sup>3</sup> *Innocens pertransiit* : imperitus ; Heb.

<sup>5</sup> *Arma et gladii in viâ perversi* : spina et laquei : Heb. lxx.

<sup>6</sup> *Proverbium est* : instrue puerum super os (in ipso initio) viæ suæ : Heb. Teneros adhuc et molles inflecte.

<sup>8</sup> *Et virgâ iræ suæ consummabitur* : vel virgam , id est , imperium , auctoritatem , irâ suâ perdet : vel continuatà metaphorâ , ipse irâ suâ , quasi flagello quo teruntur fruges , conteretur : quo sensu virga sumitur Isa. xxviii. 27.

<sup>9</sup> *Qui pronus est ad misericordiam* : bonus oculus : Heb. sic oculis nequam pro invidiâ , Matt. xx. 15. *Victoriam et honorem* : deest Heb. habent lxx.

12. Oculi Domini custodiunt scientiam : et supplantantur verba iniqui.

13. Dicit piger : Leo est foris , in medio platearum occidendus sum.

14. Fovea profunda os alienæ : cui iratus est Dominus , incidet in eam.

15. Stultitia colligata est in corde pueri , et virga disciplinæ fugabit eam.

16. Qui calumniatur pauperem , ut augeat divitias suas , dabit ipse ditiori et egebit.

17. Inclina aurem tuam , et audi verba sapientium : appone autem cor ad doctrinam meam :

18. Quæ pulchra erit tibi , cùm servaveris eam in ventre tuo , et redundabit in labiis tuis :

19. Ut sit in Domino fiducia tua : unde et ostendi eam tibi hodie.

*12 Oculi Domini custodiunt scientiam : lxx. sensum. Vir bonus Deo protegente tutus, suique compos, neque animo conturbatus, prudenter agit: melius phrasí Heb. Conservat scientem, sensatum: non somnolentos, sed scientes, vigilantes, cantos adjuvat Dominus; contrà: Supplantantur verba iniqui: subvertuntur res ejus.*

*13 Dicit piger: Leo est foris: terriculas sibi singit, et inanes praetextus. lxx. eleganter: excusat se piger, et dicit: leo in viis: in plateis sicarii.*

*14 Fovea profunda: infrà, xxiii. 27.*

*16 Qui calumniatur pauperem: extorquens: Heb. ut augeat, etc.*

*17 Inclina aurem tuam. Commendatio: sapientiae his tribus versibus indicat vel epilogum precedentium, vel, quod est proclivius, initium aliud. Unde stylus postea aliquantò diversus. Suprà singulæ sententiæ singulis versibus, aut frequentiores promebantur: haec magis cohærent, et ad lectorem quem filium vocat, sermo dirigitur usque ad xxiv. 23. qui stylus proprior illi novem priorum capitum.*

*18 Cum servaveris eam in ventre tuo: in pectore: pulchra erit: doctrina: erunt, Heb. scilicet verba. Et redundabit in labiis tuis: firmabuntur: Heb.*

20. Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus et scientiâ : 21. ut ostenderem tibi firmamentum et eloquia veritatis , respondere ex his, illis qui miserunt te.

22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in portâ : 23. quia iudicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus.

24. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso : 25. ne fortè discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.

26. Noli esse cum his, qui desigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitibus : 27. si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat ope- rimentum de cubili tuo ?

*20 Ecce descripsi eam tibi tripliciter : sæpius : quemadmodum habetur Is. xvii. 6. excussio oleæ duarum vel trium olivarum : et Eccli. xiii. 8. Donec te exinaniat bis et ter. Notum etiam illud toties inculcatum apud Amos. 1. 3. Super tribus sceleribus Damasci , etc. Moab. etc. Quo sensu etiam Paulus : Ter Dominum rogavi, II. Cor. 12. 8. quanquam alii intelligunt tres Salomonis libros.: alii legem , prophetas , hagiographa: Grotius, tria librorum genera, moralia, ut hîc, physica quæ perierunt, theologica ac mystica, quale est Canticum Canticorum : superflua industria, atque ingeniosius quam verius. Neque enim in eo erat Salomon, ut sua omnia, etiam physica, nihil ad hæc pertinentia. memoraret : sed ut inculcaret præcepta sapientiæ, morumque doctrinam ac fiduciam in Deum, de qua præcedente versu.*

*21 Ut ostenderem... eloquia veritatis, respondere ( ad respondendum ) ex his, illis qui miserunt te : mittentibus ad te: Heb. qui proponunt tibi : lxx. qui te consulunt, tibique pro more proponunt quæstiones ænigmáticas, ut regina Saba, et cæteri. III. Reg. x. 1, 24.*

*22 Neque conteras egenum in portâ : in judicio scilicet, ubi iudicia exercebantur, ut notum est.*

*26 Qui desigunt manus suas : idem supra xvii. 18.*

28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

29. Vidisti virum velocem in opere suo : coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

<sup>28</sup> *Ne transgrediaris* (*ne transferas, ne moveas*) *terminos antiquos* : ne majorum fidem, ne prisca instituta convellas, ne vicini agrum cupias, aut villam villæ conjungas. Basil. T. 1. *Hom. 21.* in Laciis : (nunc in App. tom. n.) cui congruit infrà, xxiii. 10.

<sup>29</sup> *Nec erit ante ignobiles* : nec stabit coram : Heb. eadem verba.

### C A P U T   X X I I .

*Convivia principum: ne plus sapias: divitiarum cupiditas: 6, 7, 8.  
ne cum stulto verba perdas: Deus pauperum vindex: 10. virga  
non occidit puerum: 13, 14. sapientis gaudia: commessatores:  
20, 21, 29, 30 et seq. piger: 20. parentibus ausculta.*

1. QUANDO sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam ;  
2. et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam. 3. Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.

4. Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum.

5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes

<sup>2</sup> *Et statue cultrum in gutture tuo: id est, gulam reprime: amputa cupiditatem.*

<sup>3</sup> *Ne desideres de cibis ejus: cupediis: Heb. Panis mendacii: et est panis mendax: Heb. id est, alimenta damnosa, et falsa voluptate blandientia.*

<sup>4</sup> *Sed prudentiæ tuæ pone modum: providentiæ, quâ opes in immensum congeruntur.*

<sup>5</sup> *Ne erigas oculos: ne evolare facias oculos tuos, (Heb.) Nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes: Num. xv. 39.*

habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ , et volabunt in cœlum.

6. Ne comedas cum homine invido , et ne desideres cibos ejus : 7. quoniam in similitudinem arioli et conjectoris , æstimat quod ignorat.

Comede et bibe , dicet tibi : et mens ejus non est tecum.

8. Cibos , quos comederas , evomes : et perdes pulchros sermones tuos.

9. In auribus insipientium ne loquaris : quia despiciunt doctrinam eloquii tui.

10. Ne attingas parvulorum terminos ; et agrum pupillorum ne introeas.

11. Propinquus enim illorum fortis est : et ipse judicabit contra te causam illorum.

12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum ; et aures tuæ ad verba scientiæ.

13. Noli subtrahere à puero disciplinam : si enim percusseris eum virgâ , non morietur.

*6 Et... cibos ejus : pulmenta : cupedias : Heb. ut suprà v. 3.*

*7 Quoniam in similitudinem arioli et conjectoris. Tua omnia in pravum interpretabitur levissimis conjecturis ductus : sicut æstimat animo suo : Heb. Comede et bibe , dicet tibi : non vero affeciu , sed pravo maloque consilio te alloquitur.*

*8 Cibos , quos comederas : nihil tibi ex illo convivio supererit : verba etiā perdidieris.*

*10 Ne attingas parvulorum terminos : terminos sœculi antiquos : Heb. LXX. ut suprà xxii. 28. Vulg. legit helem pro holam : et sequenti magis convenit.*

*11 Propinquus enim illorum fortis est : vindex , redemptor propinquitatis jure ; ac sublimiore sensu , ipse Deus. Ita LXX.*

*12 Ingrediatur ad doctrinam cor tuum : ne leviter inspicias : sed scrutare penitus.*

14. Tu virgâ percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis.

15. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum : 16. et exultabunt renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua.

17. Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto totâ die : 18. quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur.

19. Audi, fili mi, et esto sapiens : et dirige in viâ animum tuum.

20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt : 21. quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur, et vestietur pannis dormitatio.

22. Audi patrem tuum, qui genuit te : et ne contemnas cùm senuerit mater tua.

23. Veritatem eme, et noli vendere : sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam.

24. Exultat gaudio pater justi : qui sapientem genuit, lætabitur in eo.

<sup>18</sup> *Quia habebis spem in novissimo : quia erit tibi posteritas : Heb. Ita LXX. idem. xxiv. 14.*

<sup>20</sup> *Noli esse in conviviis potatorum : ad symbolas et carnium emptiones : LXX. cum potatoribus vini, et cum comessatoribus carnium sibi : Heb. eadem verba quibus in lege filius luxuriosus notatur. Dent. xxi. 20.*

<sup>21</sup> *Vestietur pannis dormitatio : desidia : perpotatio seissas detritasque induet vestes.*

<sup>23</sup> *Veritatem eme, et noli vendere : quod est, habere pretiosissimam. Ibi distinguendum, conjungenda autem cætera : sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam : supple, eme, et ne vendas : emptas retine.*

25. Gaudeat pater tuus, et mater tua, et exultet quæ genuit te.

26. Præbe, fili mi, cor tuum mihi; et oculi tui vias meas custodiant.

27. Fovea enim profunda est meretrix; et puteus angustus, aliena.

28. Insidiatur in viâ quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet.

29. Cui vœ? cuius patri vœ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum?

30. Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?

31. Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, 32. sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus, venena diffundet.

33. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa.

34. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo: 35. et dices: Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, et ego non sensi: quando evigilabo, et rursus vina reperiam?

<sup>28</sup> *Et quos incautos viderit, interficiet: et sceleratos in hominibus addet: Heb. eorum numerum augebit.*

<sup>29</sup> *Cujus patri vœ? Heb. iterat: cui vœ? cui foveæ? cui murmur, siue tumultus, contradictio, loquacitas: Heb. molestiae: LXX. suffusio: eleganter: morbus oculorum: Heb. rubor: LXX. lividi oculi.*

<sup>31</sup> *Ingreditur blandè: directè: Heb. id est facile.*

<sup>35</sup> *Quando evigilabo: quando erit diluculum. LXX. Et rursus vina reperiam: et addam querere adhuc illud, nempe vinum, hoc est, quando erit diluculum, et queram quibuscum conyeniam, compitatores scilicet?*

## CAPUT XXIV.

*Sapiens idem fortis, et egregius belli dux, 5, 6. ne desperaveris : tuere proximum : nulla sit excusatio, 11, 12. sapientia : justus cedit septies : 16, ne gauleas inimici casu : 17, 18. time Deum et regem : justitia : verba mitia, 26. antequam opus aggrediuris, præpara, 27. ultio vetita. 29. piger, 30 et seq.*

1. Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis : 2. quia rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur.

3. Sapientiâ ædificabitur domus, et prudentiâ roborabitur.

4. In doctrinâ replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa et pulcherrima.

5. Vir sapiens, fortis est, et vir doctus, robustus et validus.

6. Quia cum dispositione initur bellum : et erit salus ubi multa consilia sunt.

7. Excelsa stulto sapientia, in portâ non aperiet os suum.

8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.

9. Cogitatio stulti peccatum est ; et abominatio hominum detractor.

10. Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminentur fortitudo tua.

11. Erue eos, qui ducuntur ad mortem ; et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.

<sup>6</sup> *Quia cum dispositione initur bellum : consiliis : industriâ.*

<sup>7</sup> *Excelsa stulto sapientia : sublimior quam ut attingat. In portâ : in publicis conventibus, indoctus obmutescet.*

<sup>8</sup> *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur : inventor malarum cogitationum : Heb. dolosus.*

<sup>9</sup> *Cogitatio stulti peccatum est : ejus astutia prava : dolus malus.*

<sup>10</sup> *Si desperaveris lassus in die angustiæ : si defeceris : Heb.*

12. Si dixeris: Vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua.

13. Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et sanguinem dulcissimum gutturi tuo.

14. Sic et doctrina sapientiae, animæ tuæ: quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit.

15. Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.

16. Septies enim cadet justus, et resurget: impiorum autem corruent in malum.

17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruinâ ejus ne exultet cor tuum: 18. ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam.

19. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impiorum: 20. quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum extinguetur.

21. Time Dominum, fili mi, et regem: et cum detractoribus non commiscearis: 22. quoniam repente consurget perditio eorum: et ruinam utriusque quis novit?

<sup>12</sup> *Vires non suppetunt: non novi hunc: Heb. lxx. de ignoto quid labore? At Deus mandavit unicuique de proximo suo, Eccli. xvii. 12.*

<sup>15</sup> *Ne... quæras impietatem in domo justi: per calumniam.*

<sup>16</sup> *Septies enim: licet enim sepius in levibus peccet, tamen resurget, cum impiorum sit immedicabilis casus: ne ergo inde arripiias calumniandi ansam.*

<sup>20</sup> *Quoniam non habent futurorum spem mali: posteritatis: Heb. lxx. Quò etiam lucerna pertinet, II. Reg. xiv. 7. Psalm. cxxxii. 17. Chal. de novissimis intelligit.*

23. Hæc quoque sapientibus : Cognoscere personam in judicio , non est bonum.

24. Qui dicunt impio : Justus es , maledicent eis populi , et detestabuntur eos tribus.

25. Qui arguunt eum , laudabuntur ; et super ipsos veniet benedictio.

26. Labia deosculabitur , qui recta verba respondet.

27. Præpara foris opus tuum , et diligenter exerce agrum tuum : ut postea ædifices domum tuam.

28. Ne sis testis frustra contra proximum tuum , nec lactes quemquam labiis tuis.

29. Ne dicas : Quomodo fecit mihi , sic faciam ei ; reddam unicuique secundùm opus suum.

30. Per agrum hominis pigri transivi , et per vineam viri stulti : 31. et ecce totum repleverant urticæ , et operuerant superficiem ejus spinæ , et maceria lapidum destructa erat.

32. Quod cùm vidi sem , posui in corde meo , et exemplo didici disciplinam.

33. Parum , inquam , dormies , modicum dormitabis , pauxillum manus conseres , ut quiescas :

34. Et veniet tibi quasi cursor egestas , et mendicitas quasi vir armatus.

35. Hæc quoque sapientibus : aliis titulus , aliis stylus .

36. Labia deosculabitur : mite responsum instar amantissimi est osculi .

37. Præpara foris : œconomicum : de providendo sumptibus , per agriculturam , antequam ædificare aggrediaris : ut habes *Luc. xiv.*

38. de ædificaturo turrim : allegoricè , ne priùs arduum opus incipias , quām agenda prævideris .

39. Ne dicas : en ultiōnēm prohibitam ; ut odium , suprà 17, 33, 34.

Idem suprà vi. 10, 11.

---

## CAPUT XXV.

*Deum decent occulta : reges manifesta : cor regum : purgandæ atque  
vitiis : ne te efferas : ne maledicta citò proferas, ne revocare pos-  
sis : ne facilè tua arcana prodas, 9. verbum in tempore, 11. corri-  
pere audientem : boni nuntiū : fallaces promissiones ; 24. verba  
mitia : 13, 25. rerum bonarum satietas, 16. prunæ super caput,  
21, 22. non plus sapere, 27. loquax, prædæque expositus, 28.*

1. Hæc quoque parabolæ Salomonis, quas trans-  
tulerunt viri Ezechiæ regis Juda.

2. Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum  
investigare sermonem.

3. Coelum sursum, et terra deorsum, et cor re-  
gum inscrutabile

4. Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas  
purissimum.

<sup>1</sup> *Quas transtulerunt (collegerunt, et ex pluribus scriniis in unum  
volumen retulerunt) viri Ezechiæ regis Juda : ad cujus usque tem-  
pora dispersæ habebantur, prout ex ore Salomonis exceperant.*

<sup>2</sup> *Et gloria regum investigare sermonem : verbum, iterum ut in  
priori parte; sensus autem videtur esse, consilia Dei per se inscrutabilia,  
et hoc ad ejus gloriam majestatemque pertinere, quòd hu-  
manæ mentis aciem effugiant, ipsique soli constet arcanorum suo-  
rum ratio : at regum consilia eò digniora laudibus, quò magis eorum  
æquitas sapientibus se aperit. Summa : reges probabilia consilia sec-  
tentur; inaccessa penitusque imperscrutabilia Deo relinquant, cu-  
jus quippe *judicia vera, justificata in semetipsa*. Psal. xviii. 10. Vide  
etiam infrà 27.*

<sup>3</sup> *Cor regum inscrutabile : sapientiâ, gravitate, ipsâ arte regnandi,  
et arcanorum vi: sæpe etiam superbiâ, vulgariumque rerum fastidio,  
occultisque odiis, ac libidinibus.*

<sup>4</sup> *Aufer rubiginem : scorias : Heb. Et egredietur vas : purissimum*

5.

5. Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitiâ thronus ejus.

6. Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris.

7. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc ; quâm ut humilioris coram principe.

8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio citò : ne postea emendare non possis, cùm dehonestaveris amicum tuum.

9. Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles : 10. ne fortè insultet tibi cùm audierit, et exprobrare non cesseret.

Gratia et amicitia liberant : quas tibi serva , ne exprobrabilis fias.

11. Mala aurea in lectis argenteis , qui loquitur verbum in tempore suo.

12. Inauris aurea , et margaritum fulgens , qui arguit sapientem , et aurem obedientem.

13. Sicut frigus nivis in die messis , ita legatus fidelis ei , qui misit eum , animam ipsius requiescere facit.

deest Heb. sic : 5 aufer impietatem (impium, Heb. phrasi) *de vultu* ( de conspectu : Heb. ) *regis* : impii, aularum scoria ; quibus sublati , nihil superest quâm thronus regius justitiâ fultus , clarusque .

7 *Ascende huc* : sic Christus. *Luc. xiv. 10.*

10 *Gratia et amicitia liberant* : deest Heb. habent LXX.

11 *Mala aurea in lectis argenteis* : id est , tam benè decent . Pro lectis , sculpturas , cælaturas vertunt : ad verbum , aperturas , eas scilicet quibus geminæ inseruntur , velut annuli pala .

13 *Sicut frigus nivis* : ex vicinis fortè montibus comportatæ : *in die messis* ; æstu laborantibus : ita refrigerat de re ancipiti allatus faustus nuntius : vide xxv. 25.

14. Nubes, et ventus, et pluviae non sequentes, vir glriosus, et promissa non complens.

15. Patientiâ lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam.

16. Mel invenisti, comedere quod sufficit tibi; ne fortè satiatus, evomas illud.

17. Subtrahē pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.

18. Jaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

19. Dens putridus, et pes lassus; qui sperat super infideli in die angustiae: 20. et amittit pallium in die frigoris.

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.

21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: 22. prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi.

<sup>15</sup> Et lingua mollis (scilicet, per responsa lenia) confringet duritiam: os sive ossum: Heb. durissima queque.

<sup>16</sup> Mel invenisti: in voluptatibus temperandum, neque dulcia licet obtrudenda ad fastidium, quò et sequens pertinet.

<sup>17</sup> Subtrahē pedem: rectè LXX. rarò admove.

<sup>20</sup> Et auerterit pallium: sic supple: sicut qui removet in frigore pallium, aut acetum infundit nitro quo dissolvitur; sic absurdus, intempestivus, importuuus, qui cantat carmina cordi pessimo, marenti et afflictio: sicut tinea: deest Heb. LXX. et Chal. habent,

<sup>21</sup> Si esurierit: à Paulo memoratum. Rom. XII. 20.

<sup>22</sup> Prunas... congregabis: exsuscitandæ caritati.

23. Ventus aquilo dissipat pluvias; et facies tristis linguam detrahentem.

24. Melius est sedere in angulo domatis , quām cum muliere litigiosā , et in domo communī.

25. Aqua frigida animae sitienti; et nuntius bonus de terrā longinquā.

26. Fons turbatus pede , et vena corrupta , justus cadens coram impio.

27. Sicut qui mel multum comedit , non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriā.

28. Sicut urbs patens et absque murorum ambitu ; ita vir , qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

26 *Justus cadens coram impio* ; in peccatum, ut videtur, et congruit loco Ezechielis, xxxiv. 18, 19. de pastoribus turbantibus aquam quam populo propinabant, rectam scilicet doctrinam exemplis pessimis.

27 *Sic qui scrutator est majestatis* : Heb. Nec investigatio gloriae eorum (scilicet arcanorum Dei) gloria (est) id est, non glorie, sed dedecori vertit; supple investigantibus. Nota phrasis , quā plerunque supprimuntur ea quae maximē excellunt, ut quae animo per sese occurrant.

28 *Sicut urbs patens* : vallum ac munimentum validissimum, in consiliis secretum.

---

## CAPUT XXVI.

*Alieno loco posita : maledicta temerè : correptio : quomodo stulto respondendum : stultus nuntius : sententiae in ore stulti : ad vomitum reversus : sibi placens , 12. piger , 13 et seq. miscere se rixis , 17. ludens feci , 18, 19. unde jurgia : falsa simplicitas , 22. simulator , 24, 25. occulta odia , 26. malus sibi noxius . 27. verba fallacia , 28.*

1. QUOMODO nix in æstate , et pluviae in messe ; sic indecens est stulto gloria.

2. Sicut avis ad alia transvolans , et passer quò libet vadens ; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.

3. Flagellum equo , et camus asino , et virga in dorso imprudentium.

4. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam , ne efficiaris ei similis.

5. Responde stulto juxta stultitiam suam ; ne sibi sapiens esse videatur.

6. Claudus pedibus , et iniquitatem bibens , qui mittit verba per nuntium stultum.

7. Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias : sic indecens est in ore stultorum parabola.

8. Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii ; ita qui tribuit insipienti honorem.

<sup>2</sup> Sic maledictum frustra (immerito, fortuio) prolatum : maledicta non curanda , quippe quæ quocumque , undecumque , quasi incerto cursu , permeant ac pervolant.

4. 5. Ne respondeas... responde stulto : variè pro loco et tempore ; stultum enim interdum despicere , interdum repercutere oportet.

7 Quomodo pulchras : variè ex Hebræo vertunt ; sensus autem est , tam invalidas esse in ore stulti rectas sententias , quam clando inutiles pulchras licet tibias.

8 In acervum Mercurii : in acervum lapidum Mercurio erectum , quod est impuri nefastique cultus ; ita qui indignos colit.

9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti ;  
sic parabola in ore stultorum.

10. Judicium determinat causas : et qui imponit  
stulto silentium , iras mitigat.

11. Sicut canis , qui revertitur ad vomitum suum ;  
sic imprudens qui iterat stultitiam suam.

12. Vidisti hominem sapientem sibi videri ? ma-  
gis illo spem habebit insipiens.

13. Dicit piger : Leo est in viâ , et leæna in iti-  
neribus. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo , ita  
piger in lectulo suo.

15. Abscondit piger manum sub ascellâ suâ , et  
laborat si ad os suum eam converterit.

16. Sapientior sibi piger videtur septem viris lo-  
quentibus sententias.

17. Sicut qui apprehendit auribus canem , sic qui  
transit impatiens , et commiscetur rixæ alterius.

<sup>9</sup> *Quomodo si spina nascatur* (ascendit : *Heb.*) *in manu temu-*  
*lenti : sic parabola in ore stultorum : suo se ore configunt.*

<sup>10</sup> *Judicium determinat* (finit, decidit) *causas : lites. Et qui impo-*  
*nit : causas irarum , rixarumque præbent stultorum sermones , quos*  
*qui compescit , similis est illi qui , dijudicando item , imponit silen-*  
*tium litigantibus. Heb. obscurissimus : sic autem vertunt : magnus*  
*Deus scilicet , formans omnia , et dans mercedem stulto , et dans*  
*mercedem transgressoribus : Heb. unicuique tribuens secundum*  
*opera sua.*

<sup>11</sup> *Sicut canis : notum illud Petri , II. 11. 22.*

<sup>12</sup> *Vidisti hominem sapientem sibi ? Stulto deploratior qui sibi*  
*placet.*

<sup>14</sup> *Sicut ostium vertitur : sic piger multo motu , nullo progressu.*

<sup>16</sup> *Sapientior sibi : quod prudens , cautus , cunctator sibi videatur.*

<sup>17</sup> *Sicut qui apprehendit* (vellicat) *auribus canem efferatum :*  
*nempe ad allatrandum et mordendum incitat : sic qui transit : sic*

18. Sicut noxius est qui mittit sagittas, et lanceas in mortem : 19. ita vir qui fraudulenter nocet amico suo : et cum fuerit deprehensus, dicit : Ludens feci.

20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis : et susurrone subtracto, jurgia conquiescent.

21. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.

22. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris.

23. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.

24. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos.

25. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiae sunt in corde illius.

26. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.

qui transiens alienæ rixæ se immiseet, morsus latratusque sibi parat : Heb. contractior : sic transiens qui irascitur in lite non suâ.

<sup>22</sup> Susurronis : maledici clancularii. Quasi simplicia : sincera, candida, mitia. Ad intima ventris : altissimum vulnus infigunt.

<sup>23</sup> Quomodo si argento.... vas fictile : vile, testaceum : malum male ornatum : sic labia tumentia : accensa : sive insectantia atque exprobrantia : Heb. cum pessimo corde : utraque tam indecora, tam mala sunt.

<sup>24</sup> Labiis suis intelligitur ( agnoscitur) inimicus, cum in corde... agnoscitur quod aliud verbis proferat, aliud tegat pectore.

<sup>25</sup> Submiserit : demiscrit, lenierit.

<sup>26</sup> Qui operit odium : videtur indicare eos qui blanda simulant ; in concione verò, ubi dicenda sententia est, depronunt odia.

27. Qui fudit soveam, incidet in eam; et qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

28. Lingua fallax non amat veritatem : et os lubricum operatur ruinas.

28 *Os*, sive verbum *lubricum*: leve, anguis instar, ac facilè inserpens, *operatur ruinas*, dum leniter influit in aures, et cor inficit: sic verba maledica, et quocumque modo fallacia.

---

## CAPUT XXVII.

*Crastinum incertum* : ab alio laus : *ira stulti* : *correptio* : *adulatio*, 5, 6, 14. *patriæ extorris*, 8. *amici consilia*, 9, 17. *paternus amicus*, 9, 10. *litigiosa mulier* : *curiositas sive avaritia insatiabiles*, 20. *laudibus probari*, 21. *incorrigibilis*, 22. *agnoscere gregem*, 24. *ruri vivere* : *frugalitas*.

1. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.

2. Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua.

3. Grave est saxum, et onerosa arena : sed ira stulti utroque gravior.

4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor : et impetum concitati ferre quis poterit?

5. Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.

6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

4 *Ira non habet..... Ira est crudelitas, et furor est inundatio. Et quis stabit coram zelo? æmulatione, invidiâ? Heb.*

6 *Meliora... vulnera: Heb. fidelia: vulnera diligentis, quam fraudulenta: Heb. crebra, sive ut vertit Theodot. conturbata et nimia oscula odio habentis.*

7. Anima saturata calcabit savum : et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

8. Sicut avis transmigrans de nido suo ; sic vir qui derelinquit locum suum.

9. Unguento, et variis odoribus delectatur cor : et bonis amici consiliis anima dulcoratur.

10. Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris : et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.

Melior est vicinus juxtâ, quâm frater procul.

11. Stude sapientiæ , fili mi , et lætifica cor meum; ut possis exprobranti respondere sermonem.

12. Astutus videns malum, absconditus est : parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

13. Tolle vestimentum ejus, qui spopondit pro extraneo ; et pro alienis , aufer ei pignus.

14. Qui benedicit proximo suo voce grandi , de nocte consurgens, maledicenti similis erit.

15. Tecta perstillantia in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur : 16. qui retinet eam , quasi qui ventum teneat , et oleum dexteræ suæ vocabit.

<sup>8</sup> *Sicut avis transmigrans* : Heb. *Sicut avis vagans à nido suo , sic vir vagans à loco suo.*

<sup>10</sup> *In die afflictionis tuæ* : in adversis ad amicum paternum potius quâm ad fratrem , seu cognatum non amantem confugias.

<sup>12</sup> *Astutus* : idem suprà , xxii. 3.

<sup>14</sup> *Qui benedicit* : benedicens socio suo in *voce grandi* ( affectatis laudibus ) *de nocte consurgens*, summo mane ( alieno tempore ) maledictio reputabitur ei : Heb. *Summa* : affectata, intempestiva salutatio convicio similis ; et adulatores palam , clam detractores.

<sup>15</sup> *In die frigoris* : imbris , Heb.

<sup>16</sup> *Qui retinet* : (abscondit : Heb. siye domi habet) *quasi qui*

17. Ferrum ferro exacuitur; et homo exacuit faciem amici sui.

18. Qui servat ficum, comedet fructus ejus: et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

19. Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium; sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

20. Infernus et perditio nunquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles.

21. Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis.

Cor inqui inquirit mala, cor autem rectum inquit scientiam.

22. Si contuderis stultum in pilâ, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

*ventum* (aqlonem, tempestatem) teneat, habeat: et tamen vir ejus, *oleum dexteræ suæ*, sibi gratum faustumque *vocabit*, et aspergam quamvis, verbis deliniet: alii aliter interpretantur locum obscurissimum.

17 *Et homo exacuit faciem amici sui*: ingenium ex familiari consuetudine.

19 *Quomodo in aquis....* Brevius: Heb. sicut in aquis facies ad faciem, sic cor hominis ad hominem: solerter scilicet et prudentem, ut recte Vulgata supplevit.

20 *Similiter et oculi* (curiositas, cupiditas, avaritia, *Eccles. iv. 8. v. 9, 10.*) *insatiabiles*.

21 *Sic probatur homo ore laudantis*: si modestè, si pudicè audiat. *Cor inqui inquirit mala*: deest Heb. habent LXX.

22 *Quasi ptisanas*: grana, legumina contusa.

23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera :

24. Non enim habebis jugiter potestatem : sed corona tribuetur in generationem et generationem.

25. Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ vi-  
rentes, et collecta sunt fœna de montibus.

26. Agni ad vestimentum tuum : et hœdi, ad agri  
preium.

27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos,  
et in necessaria domus tuæ, et ad victum ancillis  
tuis.

<sup>23</sup> *Diligenter agnosce* : œconomica : his enim omnibus frugali-  
tatem commendat; ac vitam pastoralem, agrorumque et pecudum  
curam, è quibus victus facilis et sufficiens queritur. Rectoribus po-  
pulorum solet accommodari, ut suæ plebis ingenium, virtutesque  
et vitia noscant.

<sup>24</sup> *Non enim habebis.... sed corona* : et an corona? Heb. *tribue-  
tur* : fluxa gloria: quâ te capi non oportet, sed moderato et parabili  
tranquilloque victu contentum ruri vivere.

<sup>25</sup> *Aperta sunt prata* : quòd pariter utilitati voluptatique sit.

<sup>26</sup> *Agni ad vestimentum* : duplex commodum: vestitus domi in-  
ventus, et parta pecunia.

<sup>27</sup> *Lac caprarum* : en mira vitae istius antiquæ et pastoralis fruga-  
litas; neque enim agni aut hirci ad victimum cæsi memorantur; qui  
hospitibus, aut festivis diebus ad victimas, sacrumque inde epulum  
servabantur; lac sufficibat ad vulgarem, quotidianumque cibum.

---

## CAPUT XXVIII.

*Impii pavor : justi securitas ; mn'ti principes , 2. pauper vexans pauperem : animadvertisens omnia , 5. pauper , dives , 6, 11 , usuræ , 8. malus viæ dux , 10. quid eveniat regnabitibus im' iis , 12 , 15. confessio scelerum , 13. viri timorati : duri , 14. ambulans simpliciter , 13. festinatæ divitiæ , 20. correptio , adulatio , 23. gloriosus , 25 , 26. beneficis , impius , 28.*

1. **FUGIT** impius , nemine persequente : justus autem , quasi leo confidens , absque terrore erit.

2. Propter peccata terræ , multi principes ejus : et propter hominis sapientiam , et horum scientiam quæ dicuntur , vita ducis longior erit.

3. Vir pauper calumnians pâuperes , similis est imbri vehementi , in quo paratur famæ.

4. Qui derelinquunt legem , laudant impium : qui custodiunt , succenduntur contra eum.

5. Viri mali non cogitant judicium : qui autem inquirunt Dominum , animadvertisunt omnia.

6. Melior est pauper ambulans in simplicitate suâ , quam dives in pravis itineribus.

7. Qui custodit legem , filius sapiens est : qui autem comessatores pascit , confundit patrem suum.

<sup>1</sup> *Absque terrore erit: deest Heb.*

<sup>2</sup> *Propter peccata terræ , multi principes ejus : multi , brevi tempore sibi succedentes. Et propter hominis sapientiam : et in homine intelligente et sciente sic prolongabitur : Heb. id est , propter sapientiam , temperantemque vitam , et animi æquabilitatem producet ut vita principis.*

<sup>3</sup> *Vir pauper calumnians : vexans ; cum juvare invicem tenuioris fortunæ homines soleant , si se mutuò spolient , ingens evenit calamitas : vel , pauper quo indigentior , eò civitati gravior , postquam ex alieno locupletatus , superbire cœpit.*

<sup>5</sup> *Animadvertisunt omnia : intelligunt : Heb. lxx.*

8. Qui coacervat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas.

9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

10. Qui decipit justos in viâ malâ, in interitu suo corruet: et simplices possidebunt bona ejus.

11. Sapiens sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum.

12. In exultatione justorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum.

13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

14. Beatus homo, qui semper est pavidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.

15. Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

16. Dux indigens prudentiâ, multos opprimet per

<sup>8</sup> *Qui coacervat usuris et fœnore: μετὰ τόκων καὶ πλεονεκτῶν.* Frustra distinguunt hinc genera usurarum: utrumque enim refertur ut turpe et etiani vetitum. Vide Ezech. xviii. 8. *Liberali in pauperes:* sœpe monitum, malè parta compendia piis bonisque cedere: infrà, 10.

<sup>9</sup> *Oratio ejus erit execrabilis: preces.*

<sup>10</sup> *Qui decipit: LXX. planius: qui seducit rectos in viam malam: qui recta sectantes pravis consiliis impingit in malum: in interitu suo corruet: in foveâ suâ: Heb.*

<sup>11</sup> *Pauper autem prudens scrutabitur eum: ejus arcana perspicet: sagacior erit.*

<sup>13</sup> *Non dirigetur: non aget prosperè.*

<sup>14</sup> *Qui semper est pavidus: pro delicto suo: ut ex antecedenti patet: sic Job etiam innocens: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti: ix. 28.**

calumniam : qui autem odit avaritiam , longi fient dies ejus.

17. Hominem , qui calumniatur animæ sanguinem , si usque ad lacum fugerit , nemo sustinet.

18. Qui ambulat simpliciter , salvus erit : qui perversis graditur viis , concidet semel.

19. Qui operatur terram suam , satiabitur panibus : qui autem sectatur otium , replebitur egestate.

20. Vir fidelis multùm laudabitur : qui autem festinat ditari , non erit innocens.

21. Qui cognoscit in judicio faciem , non benè facit : iste et pro buccellâ panis deserit veritatem :

22. Vir qui festinat ditari , et aliis invidet , ignorat quòd egestas superveniet ei.

23. Qui corripit hominem , gratiam postea inventiet apud eum magis quàm ille , qui per linguae blandimenta decipit.

24. Qui subtrahit aliquid à patre suo , et à matre , et dicit hoc non esse peccatum ; particeps homicidæ est.

25. Qui se jactat et dilatat , jurgia concitat : qui verò sperat in Domino , sanabitur.

26. Qui confidit in corde suo , stultus est : qui autem graditur sapienter , ipse salvabitur.

<sup>17</sup> *Qui calumniatur animæ sanguinem* : qui vitæ hominis insidiatur , ei etiam in præceps ruenti nemo succurret.

<sup>21</sup> *Iste et pro buccellâ* : conscientia semel pretio prostituta , pro nihilo venundatur.

<sup>25</sup> *Sanabitur* : pinguescit : Heb.

27. Qui dat pauperi, non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

28. Cùm surrexerint impii, abscondentur homines : cùm illi perierint, multiplicabuntur justi.

<sup>27</sup> *Sustinebit penuriam* ; ita etiam lxx. At Heb. sustinebit multa et gravia maledicta.

---

## CAPUT XXIX.

*Correptionis impatiens : impii principes : rex justus : adulator, 5. ne cum stulto contenderis, 9. loquax, 11, 20. princeps mendaciorum amans, 12. regum robur, 14. puer sibi relictus, 15. educatione, 17. servi, 19, 21. ad Deum respicere. 25, 26.*

1. Viro, qui corripietem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus; et eum sanitas non sequetur.

2. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus : cùm impii sumpserint principatum, gemet populus.

3. Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum : qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.

4. Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.

5. Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.

6. Peccantem virum iniquum involvet laqueus : et justus laudabit atque gaudebit.

7. Novit justus causam pauperum : impius ignorat scientiam.

8. Homines pestilentes dissipant civitatem : sapientes verò avertunt furorem.

<sup>3</sup> *Vir qui amat* : sapientiæ amore impuris amoribus opponit.

9. Vir sapiens si cum stulto contenderit , sive rideat , non inveniet requiem.

10. Viri sanguinum oderunt simplicem : justi autem quærunt animam ejus.

11. Totum spiritum suum profert stultus : sapiens differt , et reservat in posterum.

12. Princeps , qui libenter audit verba mendacii , omnes ministros habet impios.

13. Pauper , et creditor obviaverunt sibi : utriusque illuminator est Dominus.

14. Rex qui judicat in veritate pauperes , thronus ejus in æternum firmabitur.

15. Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem , qui dimittitur voluntati suæ , confundit matrem suam.

16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera , et justi ruinas eorum videbunt.

17. Erudi filium tuum , et refrigerabit te , et dabit delicias animæ tuæ.

18. Cùm prophetia defecerit , dissipabitur populus : qui verò custodit legem , beatus est.

*9 Vir sapiens , si cum stulto contenderit : litigaverit : sive irascatur , sive rideat : stulto enim nescias quid facias.*

*10 Justi autem quærunt animam ejus : curabunt salutem ; sic quærere animam : Psal. cxli. 5.*

*11 Totum spiritum suum profert stultus : totam mentem suam ; iram , LXX. reservat : compescit : cohabet : Heb.*

*13 Pauper , et creditor : vir usurarum : oppressor : Heb. obviaverunt sibi ; in conspectu positi : utriusque illuminator , inspector est Dominus.*

19. *Servus verbis non potest erudiri : quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit.*
20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum ? stultitia magis speranda est, quām illius correptio.*
21. *Qui delicatē à pueritiā nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.*
22. *Vir iracundus provocat rixas : et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.*
23. *Superbum sequitur humilitas : et humilem spiritu suscipiet gloria.*
24. *Qui cum fure participat, odit animam suam : adjurantem audit, et non indicat.*
25. *Qui timet hominem, citò corruet : qui sperat in Domino, sublevabitur.*
26. *Multi requirunt faciem principis : et judicium à Domino egreditur singulorum.*
27. *Abominantur justi virum impium : et abominantur impii eos, qui in rectâ sunt viâ.*

*Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.*

<sup>19</sup> *Servus* : molliter pravèque institutus, ut *ñ.* 21. sive servilis animus. *Respondere contemnit* : præ stoliditate ac ferociâ.

<sup>20</sup> *Stultitia magis speranda est* : spes est de stulto magis, quām de verboso illo et temerē loquente.

<sup>23</sup> *Humilitas* : vilitas, casus.

<sup>24</sup> *Adjurantem audit* : Heb. maledictionem sive execrationem adversū eos qui sceleribus, vel tacendo participant. *Levit. v. 1.*

<sup>26</sup> *Multi requirunt* : ad unum principem universa multitudo intendit oculos; verūm à Deo solo judicium est, quem despiciunt.

<sup>27</sup> *Verbum custodiens* : deest Heb. et *lxx.*

## CAPUT XXX.

*Sapiens pro imperito se habet: scientia sanctorum , 3. nosse nomen Dei et ejus filii , 4. verbum Dei , clypeus : duo rogauda , 7. et seq. qui execrabilis , 11. et seq. quæ insatiabilia : parentum contemptores: occulta et indeprena : quæ concutiant terram : alia' ænigmata : stultus excelsa loco , 32. vehementer exsugens et emungens , 33. regum adumbrata majestas , 30, 31.*

### 1. VERBA Congregantis filii Vomentis.

*Visio , quam locutus est vir , cum quo est Deus , et qui Deo secum morante confortatus , ait :*

*2. Stultissimus sum virorum , et sapientia hominum non est mecum.*

*3. Non didici sapientiam , et non novi scientiam sanctorum.*

*4. Quis ascendit in cœlum , atque descendit ? quis continuit spiritum in manibus suis ? quis colligavit aquas quasi in vestimento ? quis suscitavit omnes terminos terræ ? quod nomen est ejus : et quod nomen filii ejus , si nosti ?*

<sup>1</sup> *Verba congregantis* : verba Agur filii Jace : Heb. nomina propria , quorum loco hîc et in seqq. Vulgata interpretationes nominum ponit. *Visio* : onus : Heb. ut in prophetis. Onus quod locutus est vir ad Ithiel et Ucal : Heb. discipulos suos , ut videtur.

<sup>3</sup> *Et non novi scientiam sanctorum* : ut demonstret se non nosse hanc sanctorum scientiam , interrogat seipsum de Deo , quisnam sit , et nescire se fatetur : unde sequitur :

<sup>4</sup> *Quis ascendit in cœlum ? Quis cœlum terramque suâ potentia pervasit ? Quis suscitavit ( statuit Heb. ) omnes terminos terræ ? Et quod nomen filii ejus ? ejus scilicet filii , de quo suprà , viii. 22. dicitur : Dominus possedit , ( sive genuit ) me : per quem omnia facta esse indicat eodem loco , quem tamen tu nequidem de nomine nosti ; ac neque nomen Dei quatenus pater est , aut quo vera ejus natura*

5. Omnis sermo Dei ignitus : clypeus est sperantibus in se. 6. Ne addas quidquam verbis illius , et arguaris , inveniarisque mendax.

7. Duo rogavi te : ne deneges mihi antequam moriar.

8. Vanitatem , et verba mendacia longè fac à me.

Mendicitatem , et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria : 9. ne fortè satiatus illiciar ad negandum , et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer , et perjurem nomen Dei mei.

10. Ne accuses servum ad dominum suum ; ne fortè maledicat tibi , et corruas.

explicitur. lxx. et ex illis Anibrosius , pro , filii ejus , habent , et filii ejus : edit. Rom. cap. xxiv. Contrà Chal. Syr. Aq. Symm. Theodot. singulari numero : filio ejus : nonnulli quoque Gr. lxx. codices : τέκτων , non τέκτων : atque omnino Vulgatae lectio retinenda , quam etiam Augustinus prætulit , Ep. xlvi. quæst. 5. nunc Ep. cu. n. 29. Causam autem eur id lxx. mutaverint , eam esse appetet , quòd Verbi nativitate nondum apertè prædicatà , infirmorum ac maximè Gentilium offensionem metuerent : certè Hieronymus : in illa verba Isaiae , ix. 6. Admirabilis , Consiliarius , Deus , Fortis ; docet hæc nomina majestate perterritos lxx. non esse ausos de puerò dicere , quod apertè Deus appellandus sit , et cætera : sed pro his sex nominibus posuisse quod in Hebraico non habetur : nec desint alii loci , in quibus pari œconomia usos putaverim.

5 *Omnis sermo Dei ignitus : igne purgatus : Heb.*

8 *Vanitatem , et ( quod idem est ) verba mendacia : sive quæ audiām , sive quæ proferam. Tribue tantum victui meo necessaria : panem constitutum , Heb. convenientem , sufficientem , lxx. quod idem petimus in oratione dominicâ.*

10 *Ne accuses servum : malevolo animo : ne fortè maledicat tibi , sic enim Eccli. iv. 6. exaudit Deus pauperem , denegato victu , imprecantem : non quod ipse ei gratus , sed quod alter invitus , eoque supplicio dignus.*

**11.** Generatio, quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit.

**12.** Generatio, quæ sibi munda videtur, et tamen non est iota à sordibus suis.

**13.** Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebrae ejus in alta surrectæ.

**14.** Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terrâ, et pauperes ex hominibus.

**15.** Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer.

Tria sunt insaturabilia : et quartum, quod nunquam dicit : Sufficit.

**16.** Infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aquâ : ignis verò nunquam dicit : Sufficit.

**17.** Oculum, qui subsannat patrem, et qui despiciat partum matris suæ, effodiunt enim corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.

**11. 12. 13. 14.** *Generatio* : enumerat multas res, quæ hono cuivis meritò displiceant, quas etiam redigit in suam quaque classem, sive gentem atque progeniem, generationis nomine. Videntur autem esse quædam velut ænigmata, ut ferè per reliquum caput : sed prima hæc per se clara sunt.

**15** *Sanguisugæ duæ* : recto casu, hirudines; has autem interpretari licet, avaritiam, ut suprà, xxvii. 20. et libidinem. Tales etiam usurarius ac meretrix fuerint, qui ubi semel os admovent, totam substantiam exsugunt, atque exhaustiunt.

**16** *Infernus* : mors, sepulcrum. *Os vulvæ* : constrictio vulvæ: Heb. prolisque amans sterilis. His ego adumbrari crediderim vitiisas cupiditates quatuor, quales fuerint : crudelitas nunquam exsatia mortibus atque suppliciis, qualis persecutorum fuit : libido : avaritia, omnia deglutiens : prodigalitas, omnia instar ignis voracissimi, depascens ac dissipans.

**17** *Et qui despiciat partum matris suæ* : obedientiam : Heb. *Corvi de torrentibus*, circa torrentes volitantes, depascendis cadaveribus

18. Tria sunt difficultia mihi, et quartum penitus ignoro :

19. Viam aquilæ in coelo , viam colubri super terram , viam navis in medio mari , et viam viri in adolescentiâ.

20. Talis est et via mulieris adulteræ , quæ comedit , et tergens os suum dicit : Non sum operata malum.

21. Per tria movetur terra , et quartum non potest sustinere :

22. Per servum , cùm regnaverit : per stultum , cùm saturatus fuerit cibo : 23. per odiosam mulierem , cùm in matrimonio fuerit assumpta : et per ancillam , cùm fuerit hæres dominæ suæ.

24. Quatuor sunt minima terræ , et ipsa sunt sapientiora sapientibus.

25. Formicæ , populus infirmus , qui præparat in messe cibum sibi : 26. lepusculus , plebs invalida , qui collocat in petrâ cubile suum : 27. regem

quæ devolverint , aut circa profluentes aquas , ut passim visitut.

<sup>19</sup> In adolescentiâ : propter studiorum inconstantiam : ita lxx. At Heb. in adolescentulâ , sive in puellâ : quod sequenti congruit. His autem designari videntur ambitionis hominum excelsa , tortuosa , lubrica , atque ubique , coelo , terrâ , marique indeprena consilia : nullo scelerum ac fraudis relictio vestigio , quod et sequens indicat.

<sup>21</sup> Per tria movetur terra : turbatur.

<sup>24</sup> Et ipsa sunt sapientiora sapientibus : animaculorum sagacitates demonstrant sapientiam , humanâ etiam sapientiâ altiorem.

<sup>26</sup> Lepusculus : cuniculus : Heb. alii , ericius , seu quodcumque illud est genus animantium , quod vitam suam infirmam abditis locis , velut arce , tuerit.

**locusta non habet**, et egreditur universa per turmas suas : 28. **stellio manibus nititur**; et moratur in ædibus regis.

29. **Tria sunt**, quæ bene gradiuntur; et quartum, quod incedit feliciter.

30. **Leo fortissimus bestiarum**, ad nullius pavebit occursum : 31. **gallus succinctus lumbos**: et aries : nec est rex qui resistat ei.

32. **Est qui stultus apparuit**, postquam elevatus est in sublime : si enim intellexisset, ori suo impossisset manum.

*27 Regem locusta non habet*, et tamen turmatim incedit, agrosque ordine depascit justi instar exercitus: quo duce, nisi illo qui animantibus omnibus victimum parat?

*28 Stellio manibus nititur*: alii, aranea, cui congruere videntur manus, propter egregiam texendi industriam. His nititur primum animal ut cætera, et tamen moratur in ædibus regis: nec quicunque vi, aut industriæ pelli potest. Sic minimis rebus, sua est à Deo præstantia, sua vis.

*31 Gallus succinctus lumbos*: ita Chal. et xxx. Alii canem venaticum intelligunt, capiendis leporibus, velut subligatis renibus accinctum ad cursum. *Et aries*: aliis hircus: quibus et Alexander comparatur: *Dan. viii.* Adumbrare autem voluisse videtur tribus antecedentibus regem, postremum omnium memoratum. *Nec est rex*: Heb. et rex: quod erat quartum genus: *qui resistat ei*: ex Heb. sic vertunt: et rex altum (quiddam) cum eo: inaccessum, inexpugnabile: sive et non datur resistere illi: ex horum igitur animantium décore et gloriæ, regiæ majestatis adumbrat imaginem. Gregorius Nazianzenus orat. *xxxvii.* sic refert: *Tria sunt quæ rectè incedunt, leo, hircus et gallus, et quarto loco rex concionatus gentibus, sive in consessu publico*: quod etiam habent *Lxx.* in edit. Rom. cap. 24.

*32 Et qui stultus*: si stulte te exulisti, et si prava cogitasti, manum ad os: Heb. id est, obmutescito.

33. Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum : et qui vehementer emungit, elicit sanguinem : et qui provocat iras, producit discordias.

<sup>33</sup> *Qui autem fortiter:* Heb. compendiosius, sed eodem sensu: significat autem homines non ultra modum urgendos, né in iras et aperta odia, ac seditiones vieta patientia erumpat.

---

## CAPUT XXXI.

*Mulieres exitio regibus; vinum quibus dandum: patrocinandum imbecillis et peregrinis: mulier fortis, ejus opera, industria, opes, vigil animus simul et beneficus, providentia, monita, sapientia, ac modestus decor.*

1. VERBA Lamuelis regis. Visio, quâ erudivit eum mater sua.

2. Quid, dilecte mi, quid, dilecte uteri mei, quid, dilecte votorum meorum?

3. Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges.

4. Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vi-

<sup>1</sup> *Verba Lamuelis:* Lamuel: Heb. apud illos Deus; quo nomine volunt designari Salomonem, quòd ejus temporibus altâ pace potiti, prosperè egerint. *Visio quâ erudivit eum mater sua:* sic Salomon solet ad matrem referre documenta, ac loquentem inducere: suprà, iv. 3, 4.

<sup>2</sup> *Quid, dilecte mi, fili mi:* Heb. et ita in seqq. Quæ matris blanditiæ congruunt cum citato loco, suprà, iv. 3.

<sup>3</sup> *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas:* lxx. divitias tuas et mentem tuam et vitam: Heb. vires tuas et vias tuas; quod sufficiat, *ad delendos reges:* ne consilia tua mulieribus subdas, ita enim reges pereunt.

<sup>4</sup> *Noli regibus dare vinum:* Heb. addit: nec gubernatoribus sicc-

num : quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.

5. Et ne fortè bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutant causam filiorum pauperis.

6. Date siceram mōrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo : 7. bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.

8. Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt : 9. aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem.

10. Mulierem fortem quis inveniet ? procul, et de ultimis finibus pretium ejus.

11. Confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit.

12. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.

ram. *Quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas* : desunt hæc Heb. videatur esse glossema. Docet autem his duobus versibus ab omnigenis voluptatibus temperandum, ac primum ab amoribus, tum à luxuriosis temulentisque conviviis.

6 *Date siceram mōrentibus* : pereunti : Heb. *Voca pauperes, debiles, claudos et cæcos* : Lue. xiv. 13. solatio et honorificatiæ. Cæterum de vino parcè adhibendo jam dixit : xxiii. 31.

8 *Aperi os tuum muto* : patrocinare ei qui pro se dicere non potest : et causis omnium filiorum qui pertranseunt : filiorum transitus : Heb. vel excisionis : sive de vitâ periclitantibus, sive in genere mortaliibus : denique peregrinis.

10 *Mulierem fortem* : œconomicum, quò fusiūs explicat ea quæ paucis comprehendenterat : xii. 4. xiv. 1. commoda nempe ex bona uxore provenientia : atque his conjugia firmat, corumque gratiam et fructum meretriciis amoribus toties suggillatis latenter opponit. Reliqua ad finem libri acrosticha per singulas alphabeti litteras.

11 *Spoliis non indigebit* : prædâ : non manubiis : sat scilicet mulieris bonæ ditatus laboribus.

12 *Reddet ei* : viro scilicet.

13. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.

14. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.

15. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.

16. Consideravit agrum, et emit eum : de fructu manuum suarum plantavit vineam.

17. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.

18. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus : non extinguetur in nocte lucerna ejus.

19. Manum suam misit ad fortia, et digitii ejus apprehenderunt fusum.

20. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.

21. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.

22. Stragulatam vestem fecit sibi : byssus et purpura indumentum ejus.

23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.

<sup>13</sup> *Et operata est consilio* (arte, peritiâ) : *manuum suarum* : voluntate : studio : Heb.

<sup>14</sup> *Quasi navis institoris*, *de longe portans* : onusta victu atque opibus; provida.

<sup>15</sup> *Deditque prædam domesticis suis* : cibum, demensum.

<sup>19</sup> *Manum suam misit ad fortia* : ad vertibulum (filo evolvendo) : Heb. quod alii, colum.

<sup>22</sup> *Stragulatam vestem* : tapetes, aulæa, nocturna pallia exquisitissima : *fecit sibi* : non pretio comparavit, sed ipsa sibi texuit.

24. Sindoneum fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.

25. Fortitudo et decor indumentum ejus; et ridebit in die novissimo.

26. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.

27. Consideravit semitas domûs suæ, et panem otiosa non comedit.

28. Surrexerunt filii ejus; et beatissimam prædicaverunt; vir ejus, et laudavit eam.

29. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.

30. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

31. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus.

\*4 *Et cingulum tradidit Chananæo: mercatori: Heb.*

\*5 *Etridebit in die novissimo: mortem non timet, neque eventura quæque, constitutâ familiâ, rebus stabilitis, amicis quoque per eleemosynas comparatis, suprà, 20. à quibus in æterna tabernacula recipiatur, ut est Luc. xvi. 9.*

\*6 *Lex clementiæ: non illa est litigiosa et pugnax, de quâ sæpe antea.*

\*7 *Surrexerunt: in ejus, credo, funere, propter x. 25.*


\*8 *Multæ filiæ congregaverunt divitias: sermo viri et filiorum, opūmam uxorem, optimam matrem collaudantium.*

\*9 *Date ei de fructu: gloriam faustamque memoriam, sortemque justorum. Et laudent eam in portis (publicè) opera ejus: nec laudanda verbis, quam merita sua sat prædicent, qui est laudum eumulus.*

Intueamur, christiani, quam Salomon nobis studiosæ mulieris informat effigiem. Non illa somno atque inertiae indulget, otiosa, verboosa, delicata ac per domos discurrens: sed domi intenta laboribus, lucernâ semper vigili, ipsa de nocte surgens, familiæ cibos pa-

riter, atque opera dividit. Atqui non rusticam singit ac pauperem, aut certe sordidam, tantumque harentem quæstui; cuius vir in portis nobilis, senatorio habitu, inter principes civitatis sedet; ipsa byssso et purpurâ conspicua, viri, liberorumque, ac familiæ decus, veste quoque tuetur; suam simul commendat diligentiam: splendet enim domus auleis, tapetibus, atque exquisitissimis lectorum operimentis; sed quæ ipsa texuerit. Non tamen hic gemmas, lapillosque, aut aurum audieris. Utilia, non vana sectatur, nec pompam, sed solidam rerum speciem. Lenis interim, benefica in egenos, nec familiæ gravis; hera cautissima, sollicita mater, non tantum imperat; verum etiam docet, hortatur, monet: nec nisi verba promit sapientia: nil temere agit aut leviter: emit quidem agrum, sed quem prius ipsa consideraverit. Neque hic pudicitiam memorari oportuit, quâ carere, probro; ornari, prudens mulier haud magnæ laudi ducit. Cæterum facile intellexeris mollitiem, aut libidinem non irreperere in hanc vitam. Clara imprimis cultu ac timore Domini; non tamen vanis addicta religionibus, sed quæ in exequendis matrisfamilias officiis, vel maximam partem pietatis reponat, intenta familiæ atque operi; cuius laudes hac unâ ferè sententiâ complectaris: *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* At nunc præclarè agere se putant, si tantum castæ, probæque, amandi, otiandi, maledicendi studium lusu assiduo arceant.

L I B E R  
ECCLESIASTES.



---

## PRÆFATIO IN ECCLESIASTEN.

---

Totus hic liber unicâ velut argumentatione conclu-  
ditur ; cùm vanæ omnia sub sole sint , vapor sint , I.  
umbra sint , ipsumque nihilum ; id unum in homine Summa  
magnum verumque esse , si Deum timeat , præce- Ecclesiastæ.  
ptis ejus pareat , ac futuro judicio purum atque inte-  
grum se servet . Hujus enthymenatis prima pars ,  
rerum humanarum enumeratione , tantique regis ex-  
perimentis constat , ut quia exquisitissimas volupta-  
tes assequi , alii per egestatem aut imperitiam ne-  
queant , alii temperantiâ non current ; existat Salo-  
mon unus regum opulentissimus , rerumque pruden-  
tiâ clarissimus , qui cùm ultro fateatur , in tantâ bo-  
norum affluentium copiâ , nihil à se denegatum  
cupiditatibus , simul tamen cogatur agnoscere , non  
modò vana et nulla , verùm etiam irridenda partim ,  
partim etiam deploranda esse omnia , sibique tam  
florenti , tam beato , vitam fuisse tædio , ac potiores  
visos qui necdum nati essent .

Id autem sic conficit : quòd homo nascatur ad ma-  
lorum experientiam : ( ii. 17. iv. 2, 3. ) neque quid-  
quam in sapientiâ sit præsidii , néque eâ tolli queat  
cæcum illud , atque improvidum , quo in perniciem ,  
velut objecto hamo , præsentisque laqueis , inscii de-  
volvamur . ( ix. 12. ) Quin ipsa etiam qualis esse solet  
in humano genere sapientia , inter vanissima , imò  
inter cruciatus animi reputenda sit : docet denique

( i. 17, 18.) eò deduci hominem tot ærumnis, curis, libidinibus, laboribus, erroribus, ut cæcā mersus caligine, neque sapientem à stulto, (ii. 14, 15, 16.) neque, quod est gravius, seipsum à pecude satis secernere valeat: (iii. 18, 19, 20.) donec ad Deum, ejusque judicia conjectis oculis, deprehendat in se illud occultum, quod ad Dei imaginem conditum, disso-luto corpore, atque in terram suam abeunte, ad auctorem Deum redeat, ejus arbitrio judicandum; atque id quidem ultimo capite; et uno verbo transigitur. Cæterūm toto libro præparatur jactis veri seminibus, sanisque sententiis, velut radiis inter ossulas tenebras intermicantibus: (iii. 16, 17. viii. 12.) quæsanè sententiæ velut disjectis nubibus, tandem in limpidissimam lucem erumpunt. (xii. 7, 13, 14.) Sic agit Ecclesiastes, sive Concionator noster, ac presso regis nomine, advocatæ concionis factus admonitor, sapientissimis quidem ac profundissimis, sed tamen popularibus, atque ab ipsâ experientiâ repetitis argumentis, hominem ad humana vitanda, et capes-senda divina compellit.

II.  
De ul-timo ca-pite ac tra-ditio-ne Hæ-bræ-ru-m obser-van-dus sancti Hi-eronymi locus.

De ultimi capituli ultimo versiculo, quo Dei judi-cium commendatur, libet hîc attexere integrum sancti Hieronymi locum, qui toti libro multum lucis afferat; sic autem habet: « Aiunt Hebræi, cùm inter » cætera scripta Salomonis, quæ antiquata sunt, nec » in memoriâ duraverunt, et hic liber oblitterandus » videretur, eò quòd vanas assereret Dei creaturas, » et totum putaret esse pro nihilo, et cibum, et po- » tum, et delicias transeuntes præferret omnibus: » ex hîc uno capitulo meruisse auctoritatem, ut in » divinorum voluminum numero poneretur, quòd

» totam disputationem suam , et omnem catalogum  
 » hâc quasi ἀνακεφαλαιώσει coarctaverit , et dixerit , si-  
 » nem sermonum suorum auditu esse promptissi-  
 » mum , nec aliquid in se habere difficile , ut scilicet  
 » Deum timeamus , et ejus præcepta faciamus. Ad  
 » hoc enim natum esse hominem , ut creatorum  
 » suum intelligens , veneretur eum metu , et ho-  
 »nore , et opere mandatorum. » Hæc Hieronymus  
 ad caput xii. 11 , 13 , 14. Comment. in Eccl.  
 Neque tamen putemus hos tantùm versiculos  
 priscis sapientibus dignos esse visos quos Spiritus  
 sanctus dictaverit : imò verò cæteros ex his maximè  
 æstimatos fuisse , quippe cùm ad illos totum librum  
 referri facile intelligamus , nihilque sit proclivius  
 quàm ut configuiam ad Deum , posteaquam cætera  
 omnia vana esse constiterit.

De tempore quo hic liber scriptus est , non dis-  
 plicet traditio Hebræorum quam idem Hiero-  
 nymus sic refert : « Aiunt Hebræi hunc librum  
 » Salomonis esse pœnitentiam agentis : quod in  
 » sapientiâ , divitiisque confitus , per mulieres  
 » offenderit Deum. » (Ad cap. i. ¶. 12.) Nec nisi  
 devio Salomoni convenire posse videtur illud : *Omnia  
 quæ desideraverunt oculi mei , non negavi eis : nec  
 prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur :...  
 et hanc ratus sum partem meam , si uterer labore  
 meo :* (cap. ii. 10. ) neque id in alienâ personâ , sed  
 in suâ dixit , propter illud quod proximè antecedit :  
*Supergussum opibus omnes qui ante me fuerunt  
 in Jerusalem :* (ii. 9. ) quæ quàm propriè Salomoni  
 convenient , perspicuum est. Huc accedit illud de

III.  
Libri  
tempus ;  
Hebraeo-  
rum tra-  
ditio; Hie-  
ronymi  
loci.

mulieribus: *Lustravi universa animo meo; ... et inveni amariorem morte esse mulierem, que laqueus venatorum est*, etc. (*cap. vii. 26, 27, 28.*) quo loco idem Hieronymus: « Non putemus temerè hanc Samonem de omni genere mulierum protulisse sententiam: quod expertus est, loquitur »: subditque: « et hæc secundùm litteram ». Et ad illud: « Mulierem bonam invenire non potui (*ibid. 29.*) : subdit: omnes enim me ad luxuriam, et non ad virtutem deduxerunt ». Quæ efficere videntur, ut liber hic errorum experientiam, atque inde prognatum vitæ in melius commutatæ studium sapiat.

IV.  
Respon-  
sio ad  
objecta.

Neque deterret illud, quòd Josias polluisse memoretur *Excelsa quæ erant in Jerusalem, ... quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum*, etc. (IV. Reg. xxiii. 13.) Rogo enim, an infanda excelsa Josaphato, Ezechiæ, aliisque piis regibus intacta perstiterint, etiam prophetis tacentibus? Vel ergo destructa pollutaque, postea instaurata fuerint, vel profectò verum illud, esse plurima quæ optimorum quoque regum diligentiam fugiant, aut negotiorum multitudine, aut persidiâ ministrorum; quod etiam Salomoni contigisse potuerit. Atque hæc quidem, quam vidimus de Salomonis pœnitentiâ, non modò Hebræorum ac sancti Hieronymi, verùm etiam aliorum interpretum conjectura est. Cæterùm conjectura tantùm; Deo enim placuit tanti viri errata certa esse, salutem ac resipescientiam in dubio, ut qui stat, videat ne cadat; neque in seipso quisquam, magnus quamvis et sapiens, sed in Domino glorietur.

De auctore libri litigantem habemus Grotium, qui putat sub Salomonis resipiscentis nomine, post Babyloniam migrationem esse confictum. Audax criticorum genus, spretâ Hebræorum, christiano-rumque omnium traditione cum antiquissimis inscriptionibus, quæ veræ criticæ norma est; omnia ex palato suo aestimat, neque quidquam pensi habet, dummodo acutiùs cæteris sapere, atque intelligere videatur. Placuit autem Grotio, eò quòd in Ecclesiaste quædam chaldaica legantur vocabula, talem esse stylum, qualis in Daniele et Esdrâ, post migrationem, invenitur Chaldæo Hebræoque mixtus. At profectò nil tale deprehendunt, qui earum rerum gustum habent exquisitissimum; neque aliud in Ecclesiaste sapiunt, quam in puris putisque Hebræis, atque etiam in aliis Salomonicis. Sunt sanè hîc chaldaica, sed paucissima, quorum pars ab antiquis interpretibus memorata, et suo loco notanda: neque multa ejusmodi adduxit Grotius, quantumvis harum rerum curiosus indagator, neque prætermissurus quæ eruditionem commendarent; ac si plura essent, notum inter affines ejusdemque ferè ingenii linguas multa vocabula solere esse communia, vulgatumque elegantissimis auctoribus, præsertim in eruditis scriptis, quale istud est, ex peregrinis linguis aliquid inspergere. Neque necesse pluribus refellere eam, quam nemo secutus sit, sententiam; ac tantùm observari oportet, id genus conjecturæ quos pandant aditus subruendis majorum decretis atque auctoratibus. De aliis autem Grotii erratis in Ecclesiasten, necessariò erit cominonendus lector: *ad cap. XII. v. 7.*

BOSSET. II.

V.  
De auctore libri:  
Grotii  
singula-  
ris opini-  
onio.

VI.  
De versionibus, antiquam græcam habemus hebraicæ veritati maximè inhærentem; non ita in Proverbiis, ut diximus: quæ diversitas in aliis quomodo de Septuaginta, atque antiquâ latínâ ipsis inhærenter.

Ecclesia frequentabat, è quâ plures textus ab antiquis Patribus allegatos passim invenias; unum autem caput, quartum scilicet, à B. Ambrosio integrum repræsentatum, *Exhortatione ad clericos*, supra caput iv. *Ecclesiastæ*.

VII.  
Certis argumentis probatur Vulgatam nostram ab antiquâ latínâ plurimum discrepare.

Non defuere qui crederent, antiquam Vulgatam esse eam, quam nunc quoque Vulgatæ nomine terimus, neque hanc Hieronymi esse, quemadmodum ejus sunt reliquæ ferè Vulgatæ nostræ partes; quin etiam esse aliam ab eodem Hieronymo confectam ex Hebræo versionem, quæ in ejus Commentariis ad Paulam et Eustochium invenitur, quam tamen Ecclesiæ usus non admiserit; quâ de re, primùm illud pro certo habere nos oportet, Vulgatam nostram ab illâ antiquâ diversissimam esse: quod, vel unum illud ab Ambrosio relatū caput quartum Ecclesiastæ, liquidò demonstrare possit. Sunt etiam loci plurimi ab antiquis citati, atque à Vulgatâ nostrâ maximè discrepantes, quos passim apud Flaminium aliosque reperias. Neque minus constat Vulgatam nostram multūm differre à LXX. quos antiqua Vulgata sequebatur. Sanctus Hieronymus Commentario ad Paulam memorat, vocem hebraicam quam LXX.

*περιπτερού*, Vulgata nostra occupationem, interpre-

tati sunt (*cap. i. v. 13.*) à latino interprete *distensionem* fuisse intellectam : eò quòd in varias sollicitudines mēns hominis distenta lanietur. Aliud ergo habuit latinus interpres, quām id quod hodie in Vulgatā nostrā legitur. Huc accedunt ea quibus ostendemus Vulgatam nostram omnino esse Hieronymi.

Fatemur sanè Hieronymum, anteaquam hanc ederet, aliam versionem Commentario ad Paulam interseruisse, hebraico textui maximè congruentem. Eām antiqui Hieronymi editores Erasmus et Mariānus collectam ex Commentariis protulere, quam nos quoque exemplo editorum codicum, alteram in columnam Vulgatæ nostræ respondentem redigimus; ut lector promptiorem haberet sancti Hieronymi laborem universum, qui nunc superest. Sic enim hebreica veritas, brevitasque et simplicitas cui hæc versio hæret, clariùs detegetur, existetque lux, interpretationum comparatione factâ. Cæterum nō ita habere antiquos manuscriptos codices, viro doctissimo ac religiosissimo Joanne Martianæ monstrante, perspeximus.

Alteram interpretationem idem Hieronymus ex LXX. fecerat, seu potiùs antiquam Vulgatam ad Origenianorūm Hexaplorum normam emendaverat, ut in præfatione ad sanctos episcopos Chromatium et Heliodorūm huic nostræ editioni præfixâ significat; quæ versio nunc deest.

Tertia interpretatio est ea, quam nunc Vulgatam vocamus. Eam verò à sancto Hieronymo ultimo loco editam, simul cum aliorum Salomonicorum librorum versionē ex hebraicis fontibus, ipse pro-

VIII.  
Tres S.  
Hierony-  
mi versio-  
nes; pri-  
ma de-  
ducta ex  
Commen-  
tario ad  
Paulam.

IX.  
Altera  
versio e-  
jusdem  
Hierony-  
mi, seu  
potiùs an-  
tique lati-  
nae e-  
mendatio  
ex Græ-  
co LXX.

X.  
Tertia

interpretatio  
sancti Hieronymi ex Hebreo, que est Vulgata nostra.  
fitetur præfixâ præfatione, quam mox diximus. Quam sanè versionem Hieronymi esse docent, et illa præfatio, et congruens aliis Hieronymianis versionibus stylus, et sancti Augustini collectum ex Ecclesiaste speculum; cùm ea sancti viri specula ab Hieronymianâ interpretatione deducta, atque ideo Vulgatae nostræ congrua, præfatione in Proverbia ostensum sit.

XI.  
Cur Vulgata nostra non semper Hebreo consensit; ratio interpretandi Hieronymiana ex ipso sancto Hieronymo statuitur.

Cur autem illa versio, hoc est Vulgata nostra, non ita Hebreo congruat, atque illa, quam Commentario ad Paulam intersertam fuisse vidimus, facilè intelliget qui universam Hieronymianarum interpretationum rationem mente percepit. Sic autem agebat vir maximus, primùm, quod in proœmio Commentarii ad Paulam ipse profitetur, « ut de Hebreo transferens, magis se LXX. interpretum consuetudini coaptaret, in his duntaxat, quæ non multum ab hebraicis fontibus discrepant » : deinde ut phraseon potius vim, quam accuratam ad verbum translationem sectaretur : tum ut suppleret quædam, elucidationis causâ, quæ hebreo textui decessent : postea ut in dubiis illustriores sensus, atque usui Ecclesiæ magis celebratos, aut informandis moribus aptiores præferre soleret : postremò quod consultis hebræis, atque etiam antiquioribus interpretibus Aquilâ, Symmacho, Theodotione, hebraici sermonis ampliorem sibi ideam comparasset cā, quam rabbini recentiores effinxerint, ipso linguae spiritu per tot sæcula labente aut amissio. Horum exempla quædam in his notis invenies : cætera ut obvia, ita parum instituto nostro necessaria, referre non est animus: sufficit reclusisse

generatim varietatum fontes , simulque evicisse , non eas ita interpretandas , ut multi temerè faciunt , tanquam Hieronymus non satis assecutus sit sermonis hebraici proprietatem ac vim. Cæterūm , ut facili libet , non deesse , quæ tantum quoque virum fugerint , eas tamen esse plerumque discrepantiae causas quas memoravimus , æquus rerum æstimator , ac diligens explorator facilè animadvertisit ; nos verò in his notis , datâ occasione , quædam delibabimus , unde de cæteris æstimari possit.

De Commentariis ad hunc librum innumerabilibus tacemus. Unum habemus sancti Hieronymi ad Paulam et Eustochium , quo maximè utimur ; quippe quem et perspicuitate et elegantiâ , et eruditione , variarumque rerum scientiâ præstare , docti fateantur. Ex hoc itaque selectissima quæque proferimus. Verùm de his plus satis ; nunc egregium Concionatorem audire , ab eoque excelsum illum , ac mundi contemptorem spiritum ducere præstiterit.

XII.  
De Com-  
mentariis  
S. Hiero-  
nymi in  
Ecclesia-  
sten.

-----

SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI,  
IN ECCLESIASTEN,  
AD PAULAM ET EUSTOCHIUM  
PROOEMIUM.

MEMINI me , ante hoc ferme quinquennium , cùm adhuc Romæ essem , et Ecclesiasten sanctæ Blesillæ Legerem , ut eam ad contemptum istius sæculi provocarem , et omne quod in mundo cerneret , putaret esse pro nihilo ; rogatum ab eâ , ut in morem commentarioli obscura quæque dissererem , ut absque me posset intelligere , quæ legebat . Itaque quoniam in procinctu nostri operis subitâ morte subtracta est , et non meruimus , ô Paula et Eustochium , talem vitæ nostræ habere consortem , tantoque vulnere tunc perculsus , obmutui ; nunc in Bethlehem positus , augustiori videlicet civitate , et illius memoriæ , et vobis reddo quod debedo : hoc breviter admonens , quòd nullius auctoritatem secutus sum ; sed et de Hebraeo transferens , magis me Septuaginta interpretum consuetudini coaptavi , in his duntaxat quæ non multùm ab hebraicis discrepabant . Interdum Aquilæ quoque , et Symmachî , et Theodotionis recordatus sum ; ut nec novitate nimiâ lectoris studium deterrerem , nec rursum contra conscientiam meam , fonte veritatis omissio , opinionum rivulos consectorarer .

---

# LIBER

# ECCLESIASTES.

---

## CAPUT PRIMUM.

*Universim vana omnia: singillatim vana humana sapientia, sciendi-que cupiditas et curiositas: nihil enim novum, atque inexplicabilia omnia: ex scientia labor crescit.*

ALIA VERSIO S. HIER.

VERSIO VULGATA.

*Ex Commentario ad Paulam.*

**V**ERBA Ecclesiastes, filii David, regis Hierusalem.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum: omnia vanitas.

Quid superest homini in omni labore suo, quo laboret sub sole?

**I.** **V**ERBA Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.

**2.** Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes: Vanitas vanitatum; et omnia vanitas.

**3.** Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?

<sup>1</sup> *Verba Ecclesiastæ: seu concionatoris, filii David, Salomonis, ex §. 12.*

<sup>2</sup> *Vanitas vanitatum.* Antiqui interpres, præter LXX. teste Hieronymo, vertebant, vapor vaporum, fumus, aura tenuis; sed vanitas aliquid sonat exilius, ipsum nempe nihilum, imò nihilum nihil, hoc est purissimum, atque, ut ita dicam, nullissimum nihilum: quod nec semel dixisse sufficiat; imò iterum ac tertio cum Ecclesiaste exclamare compellimus: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.*

<sup>3</sup> *Quid habet amplius homo?* Anteaquam ad cætera vana decurrat, universim demonstrare aggreditur omnia vana esse; quòd operosa quamvis cassa tamen, nulloque fructu sint, hic: quòd mutabilia,

Generatio vadit, et generatio venit, et terra in sæculum stat.

Oritur sol, et occidit sol, et ad locum suum dicit, et oritur ipse ibi: vadit ad austrum, et gyrat ad aquilonem:

Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulos suos revertitur spiritus.

4. Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat.

5. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens,

6. Gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus; et in circulos suos revertitur.

¶. 4, ad 8. quòd incerta et inexplorata, ¶. 8. prælibatâ etiam scientiarum vanitate, de quâ postea uberioris; quòd æquè obliviscenda, ac alia præteritis ætatibus clara, nunc oblita et nulla, ¶. 9. usque ad 12. *Quid habet amplius: aliter: quid superest homini? omnia effluunt è manibus, validis licet ac tenacissimis.*

4 *Generatio præterit: idem Eccli. xiv. 18. Horatius:*

————— hæres —————  
Hæredem alterius, velut unda supervenit undam.

*Terra in æternum stat: communis et immota tot mutationum ac generationum sedes.*

5 *Oritur sol, et occidit: omnia mutabilia; sol ipse, qui in luce mortalibus datus est, interitum mundi quotidie ortu suo indicat et occasu: Hier. Revertitur: aspirat: Heb. anhelat, anhelus properat, præcipitat eursum, atque in se, sua per vestigia, volvitur annus. Hier. Quasi diceret: En omnia in orbe mutationibus subsunt; neque tantum hominum generationes, verùm etiam sol, dies, tempora, aere ventorum flatus, aquarum natura, ¶. 6, 7.*

6 *Gyrat per meridiem: rectè orbita solis obliqua describitur. En sapientiam Hebræorum, et Græcorum infantiam, qui, longissimo post tempore, neclum satis noverant rotundam terram; ac solem circumvolvi, imò Oceano tingi, et candenis instar ferri stridere immersum ferebant, ut videre est apud Herodotum. In circuitu pergit spiritus: gyrando pergit ventus: Heb. aer, sive aura, aut ventus qui terram circumagit: turbo in gyrum actus, orbesque involvens orbibus; aliis, teste Hier. ipse sol, quòd animet et spiret et vigeat, spirantiaque omnia calore vegetet.*

**Omnis** torrentes vadunt in mare , et mare non impletur : ad locum , de quo torrentes exeunt , illic ipsi revertuntur , ut introeant.

**Omnis** sermones graves non poterit vir loqui. Non satiabitur oculus videndo , et non impletur auris auditu.

Quid est quod fuit ? ipsum quod erit. Et quid est quod factum est ? ipsum quod fiet. Et non est omnis recens sub sole.

Estne verbum de quo dicatur : Vide , hoc novum

7. **Omnia** flumina intrant in mare , et mare non redundat : ad locum unde exeunt , flumina revertuntur , ut iterum fluant.

8. Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu , nec auris auditu impletur.

9. Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est ? ipsum quod faciendum est.

10. Nihil sub sole novum ; nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est : jam

7 *Omnia flumina..... ad locum unde exeunt : restagnaret mare , nisi per occultos meatus ad fontium capita deduceretur ; unde aquarum quoque natura mobilis. Quorsum ista ? ne miremur mutari nos , toto orbe in motum circumacto.*

8 *Cunctæ res difficiles : etiam maximè obviæ , et quotidiano usu notæ ; solis , ventorum , fluminum cursus ; nec tantum de physicis , sed de ethicis quoque scire difficile est , dum nobis invicem in ponendis honorum malorumque simibus displicemus : Hier. in hunc locum : quod maximè pertinet ad retundendam superbiam. Heb. Sermones omnes graves : sermones pro rebus , noto hebraismo. Valere tamen potest adversus eos qui putant otiosis sibi et vota facientibus , venire notitiam Scripturarum : Hier. ibid. Non satiatur oculus : quòd omnia humanae menti inaccessa sint , unde indefessa videndi audiendiisque libido est.*

9 *Quid est..... quod futurum est : hic notat eodem impetu ac motu omnia in orbem rapi ; neque modò solem , ventos et aquarum motem ; verùm etiam vel maximè res humanas quarum eventibus , quantumvis memoratu , ut nobis quidem videtur , dignissimis , ne plus æquo moveamur , cætera efficiunt suo ævo memorata sive memoranda , pari tamen postea sepelienda silentio , ut prædictimus ad x. 3. Vide etiam infrà , n. 15.*

est? jam fuit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

Non est memoria primis et quidem novissimis quæ futura sunt, non erit eis memoria apud eos qui futuri sunt in novissimo.

*Ego Ecclesiastes fui rex super Israel in Hierusalem.*

Et dedi cor meum ad inquirendum et considerandum in sapientiâ, de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem malam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eâ.

Vidi universa opera, quæ facta sunt sub sole; et ecce omnia vanitas, et præsumptio spiritûs.

<sup>12</sup> *Ego Ecclesiastes.* Posteaquam universim vana omnia esse constituit, jam singula aggressurus, ab ipsâ sapientiâ, rerum humana- rum principe ae duce, sumit exordium: quem locum, Scripturæ more, alibi repetit et incoleat. *Fui rex Israel:* totius Israelis scilicet: in Jerusalem: quod nulli post Salomonem contigit.

<sup>13</sup> *Hanc occupationem pessimam:* miserrimam, curis gravissimis exercitam. Pessimum etiam in genere morum de omnibus rebus sollicitè querere, quasi nostro judicio subderentur. *Dedit Deus.* Vide infra, III. 10.

<sup>14</sup> *Afflictio spiritûs:* LXX. electio seu voluntas, προαιρεσις: quam alii præsumptionem spiritûs vocabant. Aquila et alii ex Comm. Hier. ad Paulam: passionem venti: inane: quanquam idem Hieronymus ad crueiatum magis referri docet, quod, omnia consideranti, nihil aliud apparcat præter vanitatem, ac malitias, sive miserias, quibus anima diversis cogitationibus afflictatur.

enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

<sup>11.</sup> Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.

<sup>12.</sup> Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem.

<sup>13.</sup> Et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eâ.

<sup>14.</sup> Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritûs.

Perversum non poterit ador�ari ; et imminutio non poterit numerari.

**L**ocutus sum ego in corde meo, dicens : Ecce ego magnificatus sum, et adjeci sapientiam super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem : et cor meum vidi multam sapientiam et scientiam.

**E**t dedi cor meum, ut noscerem sapientiam et scientiam, errores et stultitiam : cognovi quia et hoc est passio venti, (sive præsumptio spiritus.)

**Q**ui in multitudine sapientiæ, multitudo furoris : et qui apponit scientiam, apponit dolorem.

15. **P**erversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.

16. **L**ocutus sum in corde meo, dicens : Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientiæ, qui fuerunt ante me in Jerusalem : et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.

17. **D**edique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam : et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus,

18. **E**ò quod in multâ sapientiâ multa sit indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem.

**15 P**erversi difficile : Heb. perversum non poterit corrigi : non potest ex omni parte emendari malum : et stultorum infinitus est numerus ; aut, ut habet Heb. eodem sensu, defectus (sive mente deficiens stultus) non potest numerari ; et hoc ad vanitatem nostræ sapientiæ pertinet, quod vix ullo humani generis fructu colatur, neque eo seclus orbis abundet pravis, ac stultis hominibus.

**16 P**ræcessi omnes sapientiæ, qui fuerunt (alicujus nominis) in Jerusalem : qualis Melchisedech, aliisque reges, ducesque sapientissimi.

**17 E**rroresque et stultitiam : stultias : Heb.

**18 I**n multâ sapientiâ multa... indignatio : quod plura et maxima nos fugiant ; ac vir sapiens doleat in profundo latere sapientiam, nec ita se præbere mentibus, ut lumen visui, sed per tormenta quædam, et intolerandum laborem provenire : Hier. unde sequitur : qui addit scientiam, addit et laborem. Sive quod cui plus creditur, plus ab eo exigitur : Idem. sive quod ex humanâ scientiâ magis laborare ac fluctuare cogimur, non satis reclusis veri bonique soutibus.

## CAPUT II.

*Vane voluptates: risus insanus, fallax gaudium: vana inquisitio de bonis malisque: ædificia, horti, aliæque amoënitates: lauta convivia: exoticæ deliciæ: opes indigno et ignoto hæredi relinquæ, neque ullus idoneus aut stabilis humanae sapientiæ fructus; eadem omnibus mors: partis quidem uti optimum; quanquam hoc ipsum vanitas.*

## VERSIO S. HIERONYMI.

Dixi ego in corde meo:  
Veni nunc, tentabo te in  
lætitia, et vide in bono:  
et ecce etiam hoc vanitas.

Risui dixi amentiam, et  
jocunditatim: Quid hoc facis?

Consideravi in corde meo,  
ut traherem in vino carnem

## VERSIO VULGATA.

1. Dixi ego in corde meo:  
Vadam et affluam deliciis,  
et fruar bonis. Et vidi quòd  
hoc quoque esset vanitas.

2. Risum reputavi errorem:  
et gaudio dixi: Quid  
frustra deciperis?

3. Cogitavi in corde meo,  
abstrahere à vino carnem

\* *Dixi ego in corde meo:* rectè Hier. posteaquam in multiudine sapientiæ, atque adjectione scientiæ deprehendi nihil aliud, nisi cassum et sine fine esse certamen, converti me ad luxuriem et voluptates, haud minore vanitate ac ludibrio; quippe

\* *Risum reputavi:* Heb. risui dixi, Insane sive amens, excors; et lætitia, Quid hoc facis? quid illudis? quid decipis? quid falsâ dulcedine inescatum, ad veros dolores ac dedecora ducis? Vide Prov. vi. vii. etc.

<sup>3</sup> *Cogitavi in corde meo:* rursus sapientiæ, ac voluptatis seorsim fastidio, utramque conjungere satagebat; atque, ut sunt hominum volubiles motus, nunc ad hanc, nunc ad illam convertebat animum, reliquo ferè capite. *Cogitavi abstrahere à vino,* ut libidinum incitatore; quanquam Hier. lxx. fauentibus, Comment. ad Paulam, sic ex Heb. vertit: cogitavi trahere in vino carnem meam: hoc est, dubitare coepi, bonumne esset carnem vino distendere, augere; aut, ut idem Hier. vitam meam deliciis tradere, carnem liberare ab omni-

**meam : et cor meum dedi-**  
**xit me in sapientiam, ut**  
**obtinerem stultitiam, (ut**  
**eam vincerem : quā in re la-**  
**boravi) donec viderem quid**  
**esset bonum filiis hominum,**  
**quid facerent sub sole nu-**  
**mero dierum vitæ suæ.**

Magnificavi opera mea :  
 ædificavi mihi domos : plan-  
 tavi mihi vineas.

Feci mihi hortos et po-  
 maria : plantavi in illis li-  
 gnum omne fructiferum.

Feci mihi piscinas aqua-  
 rum, ad irrigandum ex eis  
 saltum germinantem ligna.

Mercatus sum mihi ser-  
 vos et ancillas, et vernacula  
 fuerunt mihi : et quidem  
 possessio armenti et ovium

meam, ut animum meum  
 transferrem ad sapientiam,  
 devitaremque stultitiam,  
 donec viderem quid esset  
 utile filiis hominum : quid  
 facto opus est sub sole nu-  
 mero dierum vitæ suæ.

4. Magnificavi opera mea,  
 ædificavi mihi domos, et  
 plantavi vineas;

5. Feci hortos et poma-  
 ria, et consevi ea cuncti ge-  
 neris arboribus ;

6. Et extruxi mihi pisci-  
 nas aquarum, ut irrigarem  
 silvam lignorum germinan-  
 tum ;

7. Possedi servos et ancil-  
 las, multamque familiam  
 habui; armenta quoque;  
 et magnos ovium greges,

bus curis, et quasi vino, sic voluptate sopire. Non ergo vir maximus  
 hauc interpretationem ignoravit, sed priorem prætulit, ac tandem  
 Ecclesiæ tradidit. *Ut animum transferrem :* ad verbum ex Heb. de-  
 duxit me cor meum ad sapientiam: ratio naturalis, quam etiam pec-  
 catoribus Deus auctor inseruit. Idem Hier. ibid. *Quid facto opus est :*  
 hoc est, ut perdiscerem, quid facto opus esset *filiis hominum*: sive  
 ut clarius ad Paul. donec viderem quid esset bonum, etc. *Numerus*  
*dierum*, sive decursu *vitæ suæ*: quod jam vanum esse constituit, eò  
 quòd nihil pariat nisi quæstiones: suprà, i. 8. infrà vii. 30.

4 *Magnificavi*: exploraturus omnia, unde aliquid voluptatis cor-  
 rogare possem, ædium atque operum magnificentiam, hortorum  
 amoenitates, innumerabilem opum vim, et alia ejusmodi cogitavi:  
 quæ deinde fusè executur usque ad y. 11.

5 *Pomaria*: pardesim: paradisos: hortos amœnissimos; quā voce  
 noster utitur *Cant.* iv. 13.

multa fuit mihi : super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem.

Congregavi mibi argentum et aurum, et substanzias regum et provinciarum : feci mihi cantores et cantatrices : et delicias filiorum hominum, ministros vini, et ministras.

Et magnificatus sum, et adjeci sapientiam super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem ; et quidem sapientia mea astitit mihi.

*7. Ante me in Jerusalem :* Jerusalem ab antiquo urbs regia, neque tantum Davidi, sed etiam Melchisdech, et aliis regibus aut ducibus habitata, ut suprà memoravimus.

*8. Cantores, et cantatrices :* en libidinum illecebras. *Scyphos* et *urceos* : *siddlah* et *siddoth* : vox chaldaica : hoc est, secundum Aquilam, κύλικες καὶ κυλίαι, majores calices seu crateras : unde minoribus vasculis haurirentur vina convivis propinanda. Hier. Symm. cōdem ferē refert; quippe ad mensurarum species : LXX. vini fusores, ac fusitrices, quam vocem Hier. singit, sive ut ipse latiniūs, ministros ac ministras vini. E recentioribus alii alia communiscuntur variis conjecturis ac ratiociniis ducti : nos antiquoribus interpretibus credimus. Putaverim autem hīc uti Salomonem peregrinis atque exoticeis vocibus, ut significaret se non tantum indulssisse deliciis, quae regibus Israeliticis familiares essent, sed etiam ex mollissimis Assyriorum aulis, luxūs ac voluptatum illecebras accercisse.

*9. Sapientia quoque perseveravit mecum :* Heb. LXX. et quidem sapientia mea adstītūt mihi : sive, ut alii vertunt, mihi constitut, non discessit à me. Vera quidem sapientia cum iis quæ sequuntur, ac tanto voluptatum amore non constat. Quare vel is erat tum Salomonis error, ut simul et sapientem et voluptatum amatorem se esse decerneret, vel hīc sapientiam appellat regnandi artes, agendi soleritiam, aut naturæ scientiam, quam etiā ad conquirendas voluptates adhiberet crudito luxu.

ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem.

S. Coacervavi mihi argentum, et aurum, et substanzias regum ac provinciarum: feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda :

*9. Et supergressus sum opibus omnes qui aite me fuerunt in Jerusalem :* sapientia quoque perseveravit mecum.

**E**t omne quod postulaverunt oculi mei, non tuli ab eis : nec prohibui cor meum ab omni lœtitiâ : quia cor meum lœtatum est in omni labore. Et hæc fuit portio mea ex omni labore meo.

**E**t respexi ego ad omnia opera mea , quæ fecerunt manus meæ , et in labore quo laboraveram faciens. Et ecce omnia vanitas , et voluntas spiritus. Et non est abundantia sub sole.

**E**t respexi ego, ut videarem sapientiam , errores et stultitiam : quia quis est hominum , qui possit ire post regem ante factorem suum ?

**E**t vidi ego quia est abund-

10. Et omnia , quæ desideraverunt oculi mei , non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur , et oblectaret se in his , quæ præparaveram : et hanc ratus sum partem meam , si uterer labore meo.

11. Cùmque me converxissem ad universa opera , quæ fecerant manus meæ , et ad labores , in quibus frustra sudaveram , vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi , et nihil permanere sub sole.

12. Transivi ad contemplandam sapientiam , erroresque et stultitiam : (quid est , inquam , homo , ut sequi possit regem factorem suum ?)

13. Et vidi quòd tantum

<sup>10</sup> *Et hanc ratus sum :* hæc pars mea : Heb.

<sup>11</sup> *In quibus frustra sudaveram :* Heb. lxx. Hier. ad Paulam : simpliciter ; in labore quo laboraveram faciens.

<sup>12</sup> *Quid est homo , ut sequi possit regem factorem suum ?* Hesitantis ac dubitantis , an homo veram sapientiam assequi , ac Deum creatorem suum sequi possit. At Heb. aliter obscurissimo sensu : Quid est homo qui venturus est post regem , seu qui regem sequi possit (in his) quæ jam fecerunt (homines) ? Quis , scilicet privatus , melius rege poterit sapienter aut stulti facta cognoscere ? ut sensus sit , meritò Salomonem de sapientiâ disputasse , quippe regem maximum , ad eam comparandam potioribus instructum auxiliis , et reverà vidiisse magnum esse discrimen inter sapientiam atque stultitiam : quod exequitur y. 13, 14. et tamen eò tandem esse deductum , ut humanam sapientiam vanam duceret. y. 14, 15, 16, 17.

dantia sapientiae super stultitiam : sicut abundantia lucis super tenebras.

Sapientis oculi in capite ejus , et stultus in tenebris ambulat. Et cognovi ego quia eventus unus eveniet omnibus eis.

Et dixi ego in corde meo : Sicut eventus stulti , ita et mihi eveniet : et utquid sapiens factus sum ego ? et locutus sum in corde meo : quoniam hoc quoque vanitas.

Non enim erit memoria sapientis cum stulto in æternum : eò quòd ecce diebus qui supervenient , universa oblivio operiet : et quomodo morietur sapiens cum stulto ?

Et odivi vitam , quia malum super me opus quod factum est sub sole : quia om-

præcederet sapientia stultitiam , quantum differt lux à tenebris.

14. Sapientis oculi in capite ejus : stultus in tenebris ambulat : et didici quòd unus utriusque esset interitus.

15. Et dixi in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit , quid mihi prodet quòd majorem sapientiae dedi operam ? Locutusque cum mente meâ , animadverti quòd hoc quoque esset vanitas.

16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum , et futura tempora oblivione cuncta pariter operient : moritur doctus similiter ut indoctus.

17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ , videntem mala universa esse sub sole , et

14 *Sapientis oculi* ; hoc ergo discrimen sapientem inter et stultum : *sapientis oculi in capite ejus* : sicut enim oculi in excelso tanquam in speculâ constituti ut pedibus præluceant , ita in arce mentis ratio collocata , velut dux itineris. *Stultus in tenebris ambulat* : cæco ac devio itinere , ac si oculos , non in capite , sed in tergo haberet. *Et didici* : vide III. 18. *quòd unus utriusque esset interitus* : Heb. unus ambo bus eventus , quasi diceret : Quæ ista providentia quâ se sapientes efferunt , aut quodnam est in illo stulti sapientisque discrimine tantum operæ pretium , si tamen ambo bus æquè omnia eveniunt ? Unde

15 *Animadverti quòd hoc quoque esset vanitas* : tantum scilicet inter sapientem et stultum ponere discriminis.

nia vanitas et pastio venti.

**E**t odivi ego omnem laborem meum, quo ego laboravi sub sole : quia dimitto illum homini, qui futurus est post me.

**E**t quis scit utrum sapiens sit, an stultus? et dominabitur in omni labore meo, quo laboravi, et in quo sapiens factus sum sub sole; sed et hoc vanitas.

**E**t conversus sum ego, ut renuntiarem cordi meo in omni labore meo, quo laboravi sub sole:

**Q**uius est homo, cui labor ejus est in sapientia, et scientia, et virtute; et homini qui non laboravit, illi dabit partem suam. Et quidem hoc vanitas, et nequitia magna.

**Q**uid enim fit homini in omni labore suo, et in voluntate cordis sui, quā ipse laborat sub sole?

**Q**uia omnes dies ejus, do-

cuncta vanitatem et afflictionem spiritūs.

**18.** Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quā sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me,

**19.** Quem ignoror ntrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum?

**20.** Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultrà laborare sub sole.

**21.** Nam cùm alius laboret in sapientia, et doctrinā, et sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit: et hoc ergo vanitas, et magnum malum.

**22.** Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritūs, quā sub sole cruciatus est?

**23.** Cuncti dies ejus dolo-

**18. 19.** *Habiturus hæredem,..... quem ignoror* (quis novit: Heb.) *an stultus futurus sit?* Ac reverā ipse Salomon regum sapientissimus, dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, et imminutum à prudentia Roboam. Eccl. xlviij. 27, 28.

**20.** *Unde cessavi:* et verti me in desperationem, in vitæ tredium, et odium universi laboris humani: ex Heb. ut suprà, 17, 18.

**21.** *Et sollicitudine:* rectitudine: Heb. virtute, Hier. ad Paulam: quod LXX. ἀρετὴ fortitudine.

lorum, et iracundiae, curarumque : et quidem nocte non dormit cor ejus : sed et hoc vanitas.

Non est bonum homini, nisi quod comedit et bibit, et ostendit animae suae bonum in labore suo.

Et quidem hoc vidi ego, quia de manu Dei est.

Quis enim comedit, et quis parcit sine illo qui homini bono coram se dedit sapientiam, et scientiam, et laetitiam : et peccanti dedit sollicitudinem, ut augeat et congreget quæ videntur bona ante faciem Dei. Sed et hoc vanitas, et præsumptio spiritus.

ribus, et ærumnis plenisunt, nec per noctem mente requiescit : et hoc nonne vanitas est?

24. Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animae suae bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est.

25. Quis ita devorabit, et deliciis affluet, ut ego?

26. Homini bono in conspectu suo, dedit Deus sapientiam, et scientiam, et laetitiam : peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo: sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

*24 Nonne melius est comedere: quam stulto haeredi omnia relictum, fraudare animam suam bonis? Ecc. iv. 8. Et hoc de manu Dei est: hoc etiam vidi quod de manu Dei est: Heb. Non est in hominis potestate positum, ut haeredem quem vult habeat: qui sensus firmatur ex 25, 26. et seq.*

*25 Quis ita devorabit: quis comedat aut sentiat (sensibus indulget) magis quam ego? Heb. sub ejus personâ qui partis uititur; quis enim æquius suis utatur bonis, quam ego qui tanto labore peperi?*

*26 Et cassa sollicitudo mentis: Heb. afflictio spiritus, ut passim.*

---

## CAPUT III.

*Suæ rebus vices : suus interitus : mundus disputationi traditus : perturbatus ordo rerum : omnia ultimo judicio reservata : homo iumento nihil præstat; futura prævidere velle, vanum.*

### VERSIO S. HIERONYMI.

**O**MNIBUS tempus est : et tempus omni rei sub cœlo.

Tempus pariendi, et tempus moriendi.

Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.

Tempus occidendi, et tempus sanandi.

Tempus destruendi, et tempus ædificandi.

Tempus flendi, et tempus ridendi.

Tempus plangendi, et tempus saltandi.

<sup>1</sup> *Omnia tempus habent. Incertum et fluctuantem statum conditionis humanae in superioribus docuit; nunc vult ostendere omnia in mundo, non tantum incerta, sed etiam sibi esse contraria, et nihil stare perpetuum, eorum duntaxat quæ sub cœlo sunt: Hier. in hunc locum. Ex quo efficitur nihil esse tam vanum, quam hærere mundo, cuius figura præterit; cum præsertim is temporum cursus, hæ vices, à Dei nutu pendeant, qui cuncta disponit in tempore suo: v. 11. ut frustra appareat querere felicitatem contrariis motibus, susque de que jaetatos ineluctabilibus atque inextricabilibus causis. Hæc argumentationis summa toto ferè capite: nunc singula membra videamus. Et suis spatiis transeunt universa sub cœlo: et tempus omni voluntati: Heb. rei, negotio, instituto.*

<sup>2</sup> *Tempus nascendi: hoc primum, ut id quod tempus induxit, tempus auferat: id est, vitam ipsam morte commutet. Cætera ex hoc capite connexa meditando perpendi, non verbis enucleari oportet.*

### VERSIO VULGATA.

**1.** OMNIA tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo.

**2.** Tempus nascendi, et tempus moriendi.

Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.

**3.** Tempus occidendi, et tempus sanandi.

Tempus destruendi, et tempus ædificandi.

**4.** Tempus flendi, et tempus ridendi.

Tempus plangendi, et tempus saltandi.

Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi lapides.

Tempus amplexandi, et tempus longè fieri ab amplexu.

Tempus acquirendi, et tempus perdendi.

Tempus custodiendi, et tempus projiciendi.

Tempus scindendi, et tempus consuendi.

Tempus tacendi, et tempus loquendi.

Tempus amandi, et tempus odiendi.

Tempus belli, et tempus pacis.

Quæ abundantia est facienti in quibus ipse laborat?

Vidi occupationem quam dedit Deus filiis hominum, ut occupentur in eâ.

5 Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi.

Tempus amplexandi, et tempus longè fieri ab amplexibus.

6. Tempus acquirendi, et tempus perdendi.

Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi.

7. Tempus scindendi, et tempus consuendi.

Tempus tacendi, et tempus loquendi.

8. Tempus dilectionis, et tempus odii.

Tempus belli, et tempus pacis.

9. Quid habet amplius homo de labore suo?

10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in eâ.

5 *Tempus spargendi lapides*: in agros prohibendis frugibus, ut IV. Reg. iii. 25. *onum agrum optimum, mittentes singuli lapides, reple, erunt: et colligendi*: ad emundandum agrum.

9 *Quid habet amplius homo*: sic suprà, 1, 3. sic postea 11, 22. sic denique h̄c post enumeratas temporum vices, huc redit oratio: *haec summa; ut posteaquam constiterit nihil stabile, et quaecumque homo plantaverit, acquisiverit, custodierit, consuerit; eadem postea avelli, spargi, scindi, ac dissui oportere; nempe id supersit ex omni labore, nullum idoneum, aut tanto conatu dignum carpi fructum; vel, ut ait Hier. in hunc locum: Cūm omnia suo labantur tempore;.... quid frustra conamur et tendimus, et brevis vitæ labores putamus esse perpetuos? nec contenti sumus secundūm Evangelium malitiā diei, nihilque in crastinum cogitemus?*

**U**niversa fecit bona in tempore suo, et quidem sæculum dedit in corda eorum, ut non inveniat homo opus quod fecit Deus ab initio usque in finem.

Cognovi quia non est bo-

**11.** Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

**12.** Et cognovi quòd non

**11** *Cuncta fecit bona* (seu pulchra : Heb.) *in tempore suo* : omnia quidem suis decurrunt temporibus : sed temporum arbiter Deus has temperat vices; quare omnia per se bona, pulchraque: *viditque Deus cuncta quæ fecerat: et erant valde bona.* Gen. 1. 31. Sibi ergo universæ rei bene gestæ conscius, nihil moratur hominum judicia. *Et mundum tradidit disputationi eorum*: orbe constituto, hominum generi ingens ænigma proposuit, in quo solvendo frustra laborarent: ita *ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus*: ac temporum leges, rerumque orientium, atque intereuntium causas ne quidem intelligere, nedum his se expedire, ac certum vitæ statum sibi constituere valeat. *Ab initio usque ad finem*: quasi diceret: Singula quidem Dei opera admirari licet; cæterū, consiliorum seriem, atque universi operis rationem capere non possumus: ex quâ rerum serie perspicuum fieret, suo quæque tempori aptata pulcherrima esse atque ordinatissima: sed horum convenientiam, particulæ operis illigati sentire non possumus: ut præclarè Augst. *Mundum disputationi reliquit*: ad verbum mundum dedit in cor eorum : Heb. LXX. quæ interpretatio Hier. non latuit, quippe quam attulit Comm. ad Paulam. Dedit autem in cor, hoc est, cogitandum reliquit; ita tamen ut nunquam inveniant occulta consilia, et arcanas rerum causas: quod idem Hieronymus hic elegantissimè *disputationem* vertit, ut Deo quidem agere competit, homini autem nihil aliud quædere ac disputare sit reliquum.

**12** *Et cognovi quòd non esset melius.* Propterea colonus et hospes mundi homo datus est, ut brevi vitâ suâ utatur tempore: et spc prolixioris ætatis abscissâ, cuncta quæ possidet, quasi ad alia profecturus, aspiciat:.... nec se putet plus de suo labore lucrari posse quâm cibum et potum; et si quid de opibus suis in bonis operibus expenderit: Hier. ibi addit; non ut illud fiat quod est apud Isaiam: *Manducemus et bibamus; cras enim morienur*: sed secundùm Apostolum: *Habentes victum et vestitum, his contenti simus*; quod est dō-

num , nisi lætari , et facere bonum in vitâ suâ.

Et quidem omnis homo qui comedit et bibit , et ostendit bonum in omni labore suo , ex dono Dei est .

Cognovi quia omnia quæ fecit Deus , ipsa erunt in æternum : super illa non potest adjici , et ab illis non potest auferri , et Deus fecit ut timeant à facie ejus .

Quid est quod fuit ? ipsum est quod erit , et quæ futura sunt , jam fuerunt ; et Deus quæreret eum qui persecutio nem patitur .

num Dei , ꝑ . seq . *Facere bene* : quidam intelligunt : bene sibi facere , partis uti : quod est in seq . ꝑ . videre bonum de labore suo .

14 *Didici quòd omnia..... perseverent in perpetuum* : tellus , sidera , montes , arborum atque animantium genera , ipsa rerum summa . *Non possumus eis addere* : ac nequidem staturæ nostræ cubitum , aut capillis colorem : *Matt. v. 36. vi. 27.* *Quæ fecit Deus ut timeatur* : ex antecedentibus , quòd occultissima , quòd perfectissima , quibus nihil adjici , nihil detrahi possit , quòd ordinatissima , et semipternis legibus constituta .

15 *Deus instaurat* (quærerit , revocat *Heb.*) *quod abiit* : ad verbum , quod consecutum est (quod præteritum) : eò quòd alia ex aliis consequantur , ac Deus ea quæ secutura sunt , ex antecedentibus evocet , et eliciat latentibus causis . Vide 1. 9, 10. Summa est : Dei opera firma consistere : simplici et uniformi motu agi res , alias que ex aliis deduci , etiam quæ effluxerint , Dei beneficentiâ recuperari posse , ne plus æquo , aut adeptis lætemur , aut cruciemur amisis . *Quòd abiit* : *LXX. τὸν διωργεῖν* : hoc est , Deus requirit eum qui persecutionem patitur : sic et antiqua Vulgata , et ipse Hier . ad Paul . *ad consolandum* , inquit , *eum qui in martyrio perseverat* . Quam versionem prætermittere non est visum , eò quòd passim à Patribus græcis , latinisque celebretur ; quanquam non est dubium , quin

esset melius nisi lætari , et facere bene in vitâ suâ .

13. Omnis enim homo , qui comedit et bibit , et videt bonum de labore suo , hoc donum Dei est .

14. Didici quòd omnia opera , quæ fecit Deus , perseverent in perpetuum : non possumus eis quidquam addere nec auferre , quæ fecit Deus ut timeatur .

15. Quod factum est , ipsum permanet : quæ futura sunt , jam fuerunt : et Deus instaurat quod abiit .

Et adhuc vidi sub sole locum judicii, ibi impietas; et locum justitiae, ibi iniquitas.

Dixi ego in corde meo: Justum et impium judicabit Deus: quia tempus est omni voluntati super omne factum ibi.

Dixi ego in corde meo de loquelâ filiorum hominis: quia separat illos Deus, ut ostendat quia ipsi jumenta sunt:

vulgata nostra interpretatio sit congruentior, atque omnino retinenda. Pro τὰς διωκόμενα, apud LXX. quidam legisse videntur, ὡς διωκόμενα quod consecutum est, quod Heb. congruit.

<sup>16</sup> *Vidi sub sole*: aliud argumentum rebus humanis insitae vanitatis: in præsente vitâ, inter justum et impium nullam esse distantiam, sed incerto eventu omnia volutati; *atque inter judicum ipsa subsellia, non veritatem valere, sed munera*. Hier. ibi.

<sup>17</sup> *Et dixi..... Justum et impium*: clara solutio, cùm omnia sint perturbata sub sole, atque inconditis motibus ferri videantur, esse supra solem, et extra temporum vices, aliquid quo incerta et incomposita in ordinem redigantur, nec per partes Deum, et velut per singula momenta judicare, sed in futurum tempus universæ rei reservare judicium: quo fit id quod sequitur: *et tempus omnis rei tunc erit*: cùm enim in hac vitâ alia aliis temporibus congruant, nec singula singulis satis apta, atque alieno loco multa posita esse videantur, expectandum tempus quo sua cuique tribuantur, bona bonis, mala malis: ut est in parabolâ, Matth. XIII. 24. et seq.

<sup>18</sup> *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus*: redargueret: Heb. separaret, ad examen revocandos, atque omnino pervinceret *similes esse bestias*: simplieius in Heb. et apud. LXX. quòd bestiae ipsi. Aliud argumentum multò validius, jam tactum n. 15. sed hîc fusiūs exequendum: quid mirum nihil distare inter probos et improbos qui æquè homines sunt, cùm nequidem inter homines et pecudes satis sit discriminis; cùm similiter procedamus iu lucem, simul dissolvamur in pulverem? Hier.

<sup>16</sup> *Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiae iniquitatem*.

<sup>17</sup> *Et dixi in corde meo: Justum, et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit*.

<sup>18</sup> *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestias*.

Sive quia eventus filiorum hominum, et eventus pecoris, eventus unus eis. Sicut mors hujus, ita et mors illius, et spiritus unus omnibus, et amplius homini à pecore nihil est: quia omnia vanitas.

Omnia vadunt ad locum unum: omnia facta sunt de humo, et omnia revertentur ad humum.

Quis scit, spiritus filiorum hominis si ascendat ipse sursum, et spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram?

Et vidi quia non est bonum, nisi quod laltetur homo in opere suo: quia haec est pars ejus. Quis enim adducet eum, ut videat id quod futurum est post ipsum?

<sup>20</sup> *De terrâ facta sunt*: de terrâ nihil nisi corpus factum est; et signanter de corpore dicitur; terra es, et in terram reverteris: facilè itaque ostenditur nobis, quod juxta corporis fragilitatem, pecora simus. Hier.

<sup>21</sup> *Quis novit*: hoc est, haud facilè cognoveris: quâ phrasi: *Quis habitabit*: aut, *mulierem fortem quis inveniet*? quasi diceret: Satis ergo constat homines corporę non nisi esse bestias: si autem videtur haec esse distantia quod spiritus hominis ascendat in cœlum, et spiritus pecoris descendat in terram, quo istud certo auctore cognovimus? Haec quæstio non nisi infrà resolvenda, xii. 7. Interim in incerto ac suspenso relinquitur, ad ignorantiam hominum declarandam, et comprimendam superbiam.

<sup>19.</sup> Idcirco unus interitus est hominis, et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spiringant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati.

<sup>20.</sup> Et omnia pergunt ad unum locum: de terrâ facta sunt, et in terram pariter revertuntur.

<sup>21.</sup> Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum.

<sup>22.</sup> Et deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

## CAPUT IV.

*Calumniæ : calamitates : vita tædio : invidia : desidia et falsa in otio quies : avarus sibi pessimus : amicitia et societas : regiæ quoque majestatis vanitas, 3. et seqq. obedientia : victimæ.*

### VERSIO S. HIERONYMI.

Et conversus sum ego, et vidi universas calumnias, quæ fiunt sub sole; et ecce lacrymæ eorum qui calumnias sustinent, et non est qui consoletur eos: et in manibus calumniantium eos fortitudo, et non est eis consolator.

Et laudavi ego mortuos, qui jam mortui sunt, super viventes, quicumque ipsi vivunt usque nunc.

Et melior super hos duos, qui nondum natus est, qui nondum vedit opus malum, quod factum est sub sole.

Et vidi ego universum laborem, et simul omnem virtutem operis, quia æmulatione viri à sodali ejus: et quidem hoc vanitas, et præsumptio spiritus.

4 Rursum industrias animadvertis patere invidiæ proximi. Stultus complicat manus suas. Totum quod disserit, hoc est ut ostendat et eum qui laborat et habet aliquid in mundo, patere invidiæ; et rurus eum qui vivere vult quietus, inopiam opprimi, et esse utrumque miserabilem; dum alius propter opes periclitatur, alius propter inopiam egestate conficitur. Hier. ibi.

### VERSIO VULGATA.

1. VERTI me ad alia, et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem; nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

2. Et laudavi magis mortuos quam viventes:

3. Et feliciorem utroque judicavi, qui neendum natus est, nec vedit mala quæ sub sole fiunt.

4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadvertis patere invidiæ proximi: et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est.

Stultus complexus est manus suas, et comedit carnes suas.

Melior est plenus pugillus cum requie, quam plenitudo manuum laboris et præsumptionis spiritus.

Et conversus sum ego, et vidi vanitatem sub sole.

Est unus et non est secundus, et quidem filius, et frater non est ei: nec est finis omni labori ejus. Et quidem oculus ejus non satiatur divitiis; et cui ego labore et fraude animam meam bonitate? sed et hoc vanitas, et distentio pessima est.

Meliores duo quam unus, quibus est merces bona in labore suo: quia si ceciderit unus, erget particeps solum suum.

Et vae uni cum ceciderit,

*5 Stultus: piger, de quo Prov. xxiv. 30. et seqq. Comedit carnes suas: hyperbolice: propter nimiam famem: Hier. marcescit mediâ: seipsum exest curis, tædio, inertiat.*

*7 Aliam vanitatem: avaritiam, quam graphicè depingit.*

*8 Unus est: solus. Suprà irriserat eum qui certi hæredis causâ seipsum stulte exercusat: nunc invenit staliorem eum qui hærede nullo, hand scicùs defraudat genium. Nec satiantur oculi ejus divitiis: nihil quidquam ex tot opibus usurpare ausus, præter insatiablem videndi libidinem, ut habetur infra, ¶ 10. Nec recogitat, dicens: positum elucidationis gratiâ: deest enim Heb. lxx. in latinâ etiam versione hujus capititis iv. apud Ambrosium, et apud Hier. Comm. ad Paulam.*

*9. 10. Melius.... duos esse.... Vae soli: meritò haec subnectit ava-*

*5. Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens:*

*6. Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi.*

*7. Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole:*

*8. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem; et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui labore, et fraude animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima.*

*9. Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ:*

*10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli:*

et non est secundus qui erigat eum.

Et quidem si dormient duo, etiam calor erit illis : et unus quomodo calefiet ?

Et si invaluerit super eum unus, duo stabunt adversus eum. Et funiculus triplex non citò rumpitur.

Melior est puer pauper et sapiens, quam rex senex et stultus, qui nescit providere in posterum.

Quoniam de domo vinctorum egreditur ut regnet : quia etiam in regno ejus natus est pauper.

Vidi universos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro illo.

ritiae; quippe avarus omnis humanitatis expers, incubat divitiis, nullum amicitiae fulcimentum querit.

<sup>12</sup> *Funiculus triplex*: proverbiale dictum, ad foedera gentium et privatorum etiam amicitiam commendandam

<sup>13</sup> *Melior est puer.... rege*: jam ad regiae majestatis vanitatem pergit. Primum quod ipsi reges vacui sapientia, puero imbecilliores sunt; alterum,

<sup>14</sup> *Quod de carcere*: quod regia etiam capita communi hominum sorte ab infimis ad summa, à summis ad infima voluntur. Sic Joseph è carcere propemodum ad regnum : sic Job è summis fortunis in sterquilinium. Tertium, quod ipsa maiestas ætate obsolescat : x. seq.

<sup>15</sup> *Vidi cunctos viventes.... cum adolescente secundo*: regni hærede designato, obsequiis promptos, atque orientem, ut aiunt, solem adorantes.

quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.

11. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet ?

12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei : funiculus triplex difficilè rumpitur.

13. Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum.

14. Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum; et alius natus in regno, inopiam consumatur.

15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

Non est finis emni populo ejus, universis qui fuerunt ante illos: et quidem novissimi non lætabuntur in eo: sed et hoc vanitas, et præsumptio spiritū.

*Custodipedem tuum cùm vadis in domum Dei, et appropinqua ut audias. Super donum enim insipientium sacrificium tuum: quia nesciunt quòd faciunt malum.*

16. *Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum: et qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo: sed et hoc vanitas, et afflictio spiritū.*

17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multò enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.*

*16 Infinitus numerus..... ante eum: eos, regem scilicet patrem et filium. Hier. ex Heb. LXX. ad verbum: ad facies eorum: coram ipsis: innumerabiles et ipsorum ævo fuere, et postea futuri sunt qui eos nesciant; tam angustè regnant.*

*17 Custodi pedem tuum: attende tibi, cùm ad Deum accedis. Appropinqua ut audias. Multò enim melior: postremum illud deest Heb. Tota sententia ex Heb. Accede ad audiendum (sive obedientium) potius quam ad dandas stultorum victimas; quia nesciunt quòd faciunt malum: eodem cum Vulgatâ sensu. Has sententias et reliquas usque ad ¶ 9. sequentis capitîs non facilè connectas cum antecedentibus. Verum Ecclesiastes dum omnia vana prædicat; ne etiam pietatem vanis accensere videatur, hæc de precibus, deque inspectore Deo, votisque interserit. Fortè etiam quòd inter vana computet falsum cultum, et in exterioribus tantum positum.*

---

## C A P U T V.

*Multiloquium: vota: qui negant providentiam: imperiorum ordo: divitiarum vanitas, 9, 12 et seqq. Dulcis ex opere somnus: frugalitas: partis uti optimum, 27 et seqq.*

### VERSIO S. HIERONYMI.

Noli festinare in ore tuo,  
et cor tuum non festinet ad  
proferendum verbum in  
conspectu Dei: quia Deus  
in cœlo, et tu super terram.  
Propter hoc sint verba tua  
panca:

Quia veniet somnium in  
multitudine sollicitudinis,  
et vox stulti in multiplicatio-  
ne sermonum.

Cum votum voveris Deo,  
ne moreris reddere illud:  
quia non est voluntas in in-

### VERSIO VULGATA.

1. Ne temerè quid loqua-  
ris, neque cor tuum sit ve-  
lox ad profereendum sermo-  
nem coram Deo. Deus enim  
in cœlo, et tu super terram:  
idcirco sint pauci sermones  
tui.

2. Multas curas sequun-  
tur somnia, et in multis ser-  
monibus invenietur stulti-  
tia.

3. Si quid vovisti Deo,  
ne moreris reddere: displi-  
cet enim ei infidelis et stulta

<sup>1</sup> *Ne temerè.... coram Deo: ergo ad pietatem pertinet, parcè et moderatè loqui, cùm de verbo otioso rationem reddi oporteat, Matt. xii. 36. scriptumque sit; in multiloquio non decrit peccatum. Prov. x. 19. Quin etiam de orando Deo Christus præcipit: Orantes autem, nolite multū loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exandiantur. Matt. vi. 7, 8. Ac notantur Pharisæi, quòd viduas decipient sub obtentu prolixæ orationis. Mare. vii. 40. Matt. xxiii. 14. Luc. xx. 47. Deus enim in cœlo: plana sententia, quòd Deus sublimis, nos humiles; et quòd coram rege tacere, reverentia sit.*

<sup>2</sup> *Multas curas: sicut turbida et multa somnia sollicitum hominem designant, sic multa verba stultum. Ideo de Deo rebusque di-  
vinis parcè loquaris: quòd etiam ea quæ nosse nos arbitramur, per  
speculum videmus et in ænigmate, et velut somnium comprehendimus,  
quod tenere nos putamus: Hier.*

<sup>3</sup> *Displacet enim ei infidelis et stulta promissio: quia nou est vo-*

sipientibus. Quæcumque voveris, redde.

Melius est non vovere, quâm vovere, et non reddere.

Non des os tuum, ut peccare facias carnem tuam; et ne dixeris in conspectu angeli, quia ignorantia est: ne irascatur Deus super vocem tuam, et disperdat opera manuum tuarum.

Quia in multitudine somniorum et vanitates, et verba plurima: sed Deum time.

Si calumniam pauperis, et ruinam judicii, et injustitias videris in regione, ne mireris super negotio: quia ex-

luntas in insipientibus: Hier. ex Heb. Nulla constantia voluntatis, neque ullum decretum, aut propriè voluntas; sed, ut in somniis, cæci vanique conatus.

5 *Ne dederis os tuum:* ne abutaris sermone, ut te ipsum in adulteria et corruptelas illicias; quod faciunt qui dicunt: *Non est providentia:* non est ultio; sive, ut habet Heb. Error est, aut ignorantia est: res humanas nemo respicit: omnia cæco errore volvuntur. *Coram angelo:* executore divinæ ultiōnis.

6 *Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri;* qualis est somniator vana cogitans, talis nugax et loquax vana effutiens: ut supra, ¶. 2. *Tu verò Deum time:* ut ¶. 1.

7 *Si videris calumnias:* pauperibus illatæ calumniæ, ne te conturbent, cùm sint suo ordine et loco constitutæ in republicâ potestates, quæ maleficia ulciscantur.

promissio: sed quodcumque voveris, redde:

4. Multòque melius est non vovere, quâm post votum, promissa non reddere.

5. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo: Non est providentia: ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri: tu verò Deum time.

7. Si videris calumnias egenorum, et violenta iudicia, et subverti justitiam in provinciâ, non mireris

celsus super excelsum cus-  
todit,

Et excelsior est super il-  
los, et amplius terræ in om-  
nibus est rex in agro culto.

Qui diligit argentum,  
non implebitur argento; et  
qui diligit divitias, non  
fruetur eis: sed in hoc va-  
nitas.

In multitudine enim bo-  
norum, multi sunt qui co-  
medunt ea; et quæ est for-  
titudo habenti illam, nisi ut  
videat oculis suis?

super hoc negotio: quia ex-  
celso excelsior est alius, et  
super hos quoque eminen-  
tiores sunt alii,

8. Et insuper universæ  
terræ rex imperat servienti.

9. Avarus non implebitur  
pecuniâ; et qui amat divi-  
tias, fructum non capiet ex  
eis: et hoc ergo vanitas.

10. Ubi multæ sunt opes,  
multi et qui comedunt eas.  
Et quid prodest possessori,  
nisi quòd cernit divitias ocu-  
lis suis?

8 *Et insuper universæ terræ* (seu totius regionis) *rex omnibus* præsit, et subjectas potestates in ordinem cogat. Postremus versus in Heb. sic habet: et excellentia (sive emolumentum) terræ est in omnibus; rex ipse agro servit; à quâ interpretatione non abhorret Hier. ad Paulam. Sensus est: cùm sint aliæ aliis subditæ potestates: inest tamen quædam rebus æqualitas, communisque altrix omnium tellus: rex ipse agro servit, atque inde victum accipit, nec à communi conditione eximitur. Hunc potestatum invicem subjectarum ordinem, alii cum Hieronymo referunt ad Deum et angelos regum regnorumque præsides, qui injuriam prohibere, vel præsentę pœnâ ulcisci possent, nisi Dei judicium ad futurum sèculum servaretur, missis angelis messoribus qui colligant de regno ejus omnia scandala, ut est Matt. xiii. 30, 41. suprà, iii. 16, 17.

9 *Avarus non implebitur*: jam ad vanitates redit, ac primum ava-  
ritiæ et opum; quòd animum non expleant: quòd nullus ex illis di-  
gnus fructus: ¶ 9. quòd utcumque sis dives, non tamen ipse tu plus  
cæteris capias, sed tantum importunos atque otiosos ventures acce-  
ras: ¶ 10. quòd nec ipse utare, sed tanquam à sacris abstineas,  
solà tibi intuendi facultate reliet: ibid. quòd utcumque utare, te-  
que cibis ingurgites, id tantum lucrere, ut somni suavitatem cru-  
ditate turbes: 11. quòd tibi quoque malè vertant, cùm potentiori-  
bus prædæ futurus sis: 12. quòd pereant, teque destituant, in

Dulcis somnus operanti,  
sive paululum, sive plus  
comederit; et saturitas di-  
vitis non sinit eum dormire.

Est languor pessimus  
quem vidi sub sole, divitias  
custodiri in malum possi-  
denter eas.

Et perierunt divitiæ illæ  
in distensione pessimâ: et  
genuit filium, et non est  
in manu ejus quidquam.

Sicut exivit de utero ma-  
tris suæ, nudus revertetur:  
ut eat sicut venit, et nihil  
accipit de labore suo, ut  
teneat in manu ipsius.

Sed et hoc vanitas, et  
languor pessimus: sicut  
enim advenit, ita et abibit.  
Quæ abundantia ejus qui in-  
ventum laborat?

Et quidem omnibus die-  
bus suis in tenebris come-  
dit, et luctu, et iracundiâ  
multâ, et languore, et in-  
saniâ.

*afflictione* (sive occupatione: Heb.) *maximâ*, cùm iis maximè indi-  
geas: 13. quòd, etsi vel maximè in re splendidâ vivas, non è tibi  
liberi fortunatores futuri: ibid. quòd denique divites æquè ac cæ-  
teri mortales nudi atque egeni et nascantur et intereant: 14, 15. at-  
que omnino se excrucient atque conficiant inanibus curis: 15, 16.  
Nota autem hanc sententiam: *dulcis somnus operanti*, ¶ 11. ne  
otio torpescas: *sive parum, sive multum comedat*: ut nou in copiâ  
sed in sufficientiâ sit quies, somniique atque adeo totius vitæ suavi-  
tas. Ex quo efficitur istud:

11. Dulcis est somnus ope-  
ranti, sive parum, sive  
multum comedat: saturitas  
autem divitis non sinit eum  
dormire.

12. Est et alia infirmitas  
pessima, quam vidi sub  
sole: divitiæ conservatæ in  
malum domini sui.

13. Pereunt enim in afflic-  
tione pessimâ: generavit  
filium, qui in summâ eges-  
tate erit.

14. Sicut egressus est nu-  
dus de utero matris suæ,  
sic revertetur; et nihil au-  
feret secum de labore suo.

15. Miserabilis prorsus in-  
firmitas; quomodo venit,  
sic revertetur. Quid ergo  
prodest ei quòd laboravit in  
ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ  
comedit in tenebris et in  
curis multis, et in ærumnâ,  
atque tristitia.

Ecce

Ecce quod vidi ego bonum , quod est optimum ; comedere , et bibere , et cernere jocunditatem in omni labore suo , quo laboravit sub sole ; numero dierum vitae suæ , quos dedit ei Deus : hæc quippe est pars ejus .

Sed omnis homo cui dedit Deus divitias et substantiam ; concessitque ei , ut vesceretur ex eis , et tolleret partem suam , et lætaretur de labore suo ; hoc Dei donum est .

Non enim multum recordabitur dierum vitae suæ ; quia Deus occupat in lætitia cor ejus .

*17 Hoc itaque visum est mihi bonum , ut comedat quis : ad compensationem ejus , qui tanto cruciatu ac tædio , peritura comparat , meliorem dicit esse eum qui præsentibus fruitur .*

*18 Hoc est donum Dei : qualemque , non donum illud maximum de quo infrà : præsertim cap. XII.*

*19 Non enim satis recordabitur dierum vitae suæ : labentis ac tædio plenæ ; ut tota hujus vitæ suavitas in obliuione sui posita videatur .*

17. Hoc itaque visum est mihi bonum , ut comedat quis , et bibat , et fruatur lætitia ex labore suo , quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitae suæ , quos dedit ei Deus , et hæc est pars illius .

18. Et omni homini , cui dedit Deus divitias , atque substantiam , potestatemque ei tribuit , ut comedat ex eis , et fruatur parte suâ , et lætetur de labore suo ; hoc est donum Dei .

19. Non enim satis recordabitur dierum vitae suæ , eò quod Deus occupet deliciis cor ejus .

## CAPUT VI.

*Divitiarum vanitas : anxio et avaro divite melior abortivus : partis frui : hoc etiam vanum, 7, 8, 9. hominum sapientia, nihil nisi verba : unus Deus sapiens.*

## VERSIO S. HIERONYMI.

Est malum quod vidi sub sole, et frequens apud homines :

Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et gloriam, et nihil deest animæ ejus ex omnibus quæ desideravit; et non dedit ei Deus potestatem, ut manducaret ex eo; sed vir alienus comedit illud. Hæc vanitas est, et languor pessimus.

Si genuerit vir centum liberos, et annis multis vixerit, et plures fuerint dies annorum ejus, et anima ejus non repleatur bonis:

*2 Vir, cui dedit Deus divitias: rursus ad divitias; neque exagitare cessat radicem omnium malorum avaritiam, quam quidam appetentes, teste Paulo, I. Tim. vi. 10. erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis; quæ Salomon fusè commemorat.*

*3 Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos: sive, ut infra, 6. etiamsi duobus millibus annis vixerit. Duo sunt quibus, vel maximè, humana vita protendatur: primum si ipsa longissima fuerit, postea si in sobolem amplissimam diffundatur, in quâ et vivamus lætiùs, et etiam mortui reviviscamus. Atqui hæc duo vana sunt, et infructuosa avaris. Et anima illius non utatur bonis:*

## VERSIO VULGATA.

1. Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et qui-dem frequens apud homines :

2. Vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, et miseria magna est.

3. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis sub-

nec sepulcrum fuerit illi , dixi melius ab eo esse abortivum.

In vanitate quippe venit, et in tenebris vadit , et in tenebris nomen ejus abscondetur.

Et quidem solem non vidit , nec cognovit : requies huic magis quam illi.

Etsi vixerit mille annos duplices , et bonitatem non vidit : nonne ad locum unum omnia properant ?

Omnis labor hominis in

si infelix ille est, et cæco errore devius , qui hujus vitæ bonis avaritiâ se fraudat, quantò magis qui veris bonis, fide ac doctrinâ sanctâ , Deique gratiâ non utitur ? Quòd melior illo sit abortivus . Bonum erat ei , si natus non fuisset homo ille . Matt. xxvi. 24. Diligenter adverte ; non absolutè melius, sed melius ipsi.

4. 5. *Frustra enim venit.... non vidit solem.* Clarum hæc pertinere ad abortivi comparationem. Attende, christiane , qui fructum parturientis spiritus abortire facis , neque dedueis ad solem , sed perire in tenebris, et obliuione deleri sinis. Perpende illa verba ; *Frustra ille venit*, qui nec Deo gloriam , nec sibi felicitatem peperit; et à Dei regno pulsus, ad tenebras exterioreas mittitur : ubi est fletus et stridor dentium . Matt. xxii. 13.

6 *Nonne ad unum locum properant omnia?* Alia sententia , ad quam sequentia pertinent. Sic autem habet : Miserrimi illi sunt, qui concessis bonis non utuntur : fac autem utare ; non èris beatior, cum mors ingruat. *Ad unum locum properant : omnes enim morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* II. Reg. xiv. 14.

7 *Omnis labor hominis :* hujusmodi quem diximus , comedentis ac bibentis, partisque opibus utentis , in ore ejus , circa palatum versa-

stantiae suæ , sepulturâque careat : de hoc ego pronuntio quòd melior illo sit abortivus.

4. Frustra enim venit , et pergit ad tenebras , et obliuione delebitur nomen ejus.

5. Non vidit solem , neque cognovit distantiam boni et mali :

6. Etiam si duobus milibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis : nonne ad unum locum properant omnia ?

7. Omnis labor hominis in

ore ipsius, et quidem anima ejus non implebitur.

Quid enim amplius sapiens à stulto; quid pauperi, nisi scire ut vadat contra vitam?

Melior est aspectus oculorum super ambulantem in animâ: sed et hoc vanitas, et præsumptio spiritûs.

Quid est quod futurum est: jam vocatum est nomen

tur: miserabilis labor qui ventri et putredini serviat. *Sed anima ejus non implebitur*: animus majori bono natus, his impleri non potest.

<sup>8</sup> *Quid habet amplius sapiens à stulto?* Supple: si in edendo et bibendo vita constat, et quid pauper, ac frugi, habet scilicet, nisi ut perget illuc ubi est vita? nisi ut ea adipiscatur quibus vivat, atque organum corporis sustentet, nec pereat inediâ: Hier. quod magis Heb. congruit. Quid pauperi (deest) scienti pergere ante vitas, seu vitam sustentare? quasi diceret: pauperi æquè ac divitie virtus communis; nec sapiens eâ re plus habet aut scit, quam cæteri: communis eis cura, ut vitam protendant. Attende autem, christiane, hæc vivendi cura, quam benè ad veram æternamque vitam transferatur, de qua infra dicetur.

<sup>9</sup> *Melius est videre*: melior est aspectus oculorum super ambulantem in animâ. Hier. ex Heb. id est, vana et imaginaria sectantem; quod èodem pertinet atque antecedentia, nempe ut intelligamus melius esse ac præstantius frui præsentibus bonis quæ in promptu habeamus, quam animum inani spe pascere, aut philosophantium more, vanas ac supra nos, atque inextricabiles tentare quaestiones.

<sup>10</sup> *Qui futurus est.* Et hoc pertinet ad humanæ sapientiae vanitatem, scire omnia à Deo prævisa, suisque jam distincta nominibus, eunque unum scientem sapientemque esse, qui omnia ac futura æquè ac præterita mente complectatur. *Et scitur quòd homo sit*: scitur, inquam, hominem tantum esse hominem: et quòd frustra

ore ejus: sed anima ejus non implebitur.

8. Quid habet amplius sapiens à stulto? et quid pauperi, nisi ut perget illuc, ubi est vita?

9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias: sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritûs.

10. Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus,

**e**ius et cognitum: quia homo est, et non poterit judicari cum fortiore se.

Quia sunt verba multa multiplicantia vanitatem.

et scitur quòd homo sit, et non possit contra fortiorum se in judicio contendere.

11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

uititur supra vires: et non possit contra fortiorum se in judicio contendere: contra Deum scilicet.

11 *Verba sunt plurima*: alia ratio retundendae sapientium vanitatis, quòd in hominum quæstionibus ac disputationibus, nihil nisi verba sint, et inanis loquacitas; sive, ut habet Heb. quia sunt verba plurima multiplicantia vanitatem: quòd etiam sequentia pertinent.

---

## CAPUT VII.

*Vana scientia: quæstiones: majora se querere: quid quo melius: risus, 4, 5. correptio: adulatio: patiens, 9. ira stultorum est: stultum tempora præferre temporibus: sapientia: 13, 20. divitiae: cavere, 15. sapere ad sobrietatem, 17, 18. nemo sine peccato, 21. de sapientiæ obtinenda præsumere, 24, 25. mulieres, 26 et seqq. homo rectus, 30. quis sapiens.*

### VERSIO S. HIERONYMI.

Quid plus homini? quis enim cognovit quid sit bonum homini iuvit? numerum dierum vitæ vanitatis ejus, et faciet ea quasi umbram: quia quis annuntiabit homini quid sit post eum sub sole?

### VERSIO VULGATA.

1. Quid necesse est homini majora se querere, cùm ignoret quid conducat sibi in vitâ suâ, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit?

<sup>1</sup> Majora se querere: torquere se quæstionibus quæ captum exsuperent: alia ratio quâ scientiarum patescat vanitas: altiora scrutari, obvia et necessaria ignorare.

Bonum est nomen super  
oleum bonum, et dies mortis  
super diem nativitatis.

Melius est ire ad domum  
luctus, quam ad domum  
convivii, in quo finis est  
omnis hominis; et qui vivit,  
dabit ad cor suum.

Melior est ira quam risus:  
quia in merore vultus  
emendabitur cor.

Cor sapientis in domo  
luctus, et cor insipientis in  
domo laetitiae.

Melius est audire incre-  
pitationem sapientis super  
virum audientem carmen  
stultorum.

Quia sicut vox spinarum  
sub olla, ita risus stulti:  
sed et hoc vanitas.

2. Melius est nomen bo-  
num, quam unguenta pre-  
tiosa, et dies mortis die  
nativitatis.

3. Melius est ire ad do-  
mum luctus, quam ad do-  
mum convivii: in illa enim  
finis cunctorum admonetur  
hominum, et vivens cogitat  
quid futurum sit.

4. Melior est ira risu: quia  
per tristitiam vultus, corri-  
gitur animus delinquentis.

5. Cor sapientium ubi tris-  
titia est, et cor stultorum  
ubi laetitia.

6. Melius est a sapiente  
corripi, quam stultorum  
adulatione decipi.

7. Quia sicut sonitus spi-  
narum ardantium sub olla,  
sic risus stulti: sed et hoc  
vanitas.

<sup>2</sup> *Melius est nomen bonum: cum tam brevis vita sit, ut saepe antea memoratum, hortatur ut faciat famam vitæ longiorem.* Hier. *Melior dies mortis die nativitatis: non tantum propter vitæ ærumnas, verum etiam quod nascentis incerta studia, mortui laus in tuto sit posita.*

<sup>4</sup> *Melior est ira (sive indignatio) emendantis et castigantis, risu blaudientis et adulantis.*

<sup>5</sup> *Cor sapientium ubi tristitia est: cor sapientium in domo luctus; cor stultorum in domo convivii (sive laetitiae):* Heb. LXX. *Lætitia enim dissolvit sapientiam, luctus superbiam stultitiamque com- primit.*

<sup>6</sup> *Quam stultorum adulacione decipi: quam canticum stultorum, supple, audire:* Heb.

<sup>7</sup> *Quia sicut sonitus spinarum ardantium sub olla: sic stultorum*

**Calumnia conturbat sapientem , et perdit cor fortitudinis ejus.**

Melius est novissimum sermonis, quām principium ejus. Melior est patiens super excelsum spiritu.

Ne festines in spiritu tuo, ut irascaris : quia ira in sinu stultorum requiescit.

Ne dixeris : Quid factum est, quia dies priores erant meliores quām isti? quia non sapienter interrogasti de hoc.

Bona est sapientia cum hæreditate , et amplius videntibus solem.

gaudia , grata licet in speciem , nihil nisi inanem strepitum , et evanidam lucem præbent. Quæ omnia à §. 3. pertinent ad humanæ lætitiae vanitatem , de quâ etiam suprà n. 2.

<sup>8</sup> *Calumnia conturbat (etiam) sapientem; et perdet robur cordis illius :* sic LXX. sic Hier. ad Paulam : Heb. eodem sensu : et munus (seu donum) perdit cor (sive mentem) supple, sapientis; de quo primo membro : juxta illud Deut. xvi. 19. *munera excœcant oculos sapientum :* quibus humanæ sapientiae imbecillitas demonstratur.

<sup>9</sup> *Melior est finis orationis :* sermonis ; quām principium , ut missis proloquiis ad rem ipsam veniamus , et quām brevissimè fieri poterit concludamus. Melior etiam cujusque rei finis quām principium , juxta §. 2. *Melior est patiens :* cùm arrogans sibi aliquid esse videatur, vanum tamen istud est, et pati melius quām contumeliosè et arroganter aliquid agere.

<sup>11</sup> *Stulta est hujuscemodi interrogatio :* vani imperitique homines putant incidisse se in ea tempora , in quibus inauditæ sint , atque haec tenus inexpertæ calamitates; sed hoc quām vanum sit , docent antecedentia , suprà , 1. 10. III. 15.

<sup>12. 13.</sup> *Utilior est sapientia cum divitiis :* sive cum hæreditate :

**S. Calumnia conturbat sapientem , et perdet robur cordis illius.**

**9. Melior est finis orationis , quām principium. Melior est patiens arrogante.**

**10. Ne sis velox ad irascendum : quia ira in sinu stulti requiescit.**

**11. Ne dicas: Quid putas causæ est , quòd priora tempora meliora suere quām nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.**

**12. Utilior est sapientia cum divitiis , et magis prodest videntibus solem.**

Quia quomodo umbra sapientiae, sic umbra argenti, et quod plus est, scientia sapientiae vivificabit habentem se.

Vide opera Dei: quoniam quis poterit adornare, quem Deus perverterit?

In die bonitatis esto in bono, et in die malo vide. Et quidem istud congruum huic fecit Deus ad loquendum, ut non inveniat homo post eum quicquam.

Omnia vidi in diebus vanitatis meæ: est justus periens in justitiâ suâ, et est

Heb. utiles divitiae, si sapientia adsit; sed sapientia potior, que veram vitam tribuit.

<sup>14</sup> Quòd nemo possit corrigere quem ille despicerit: quem seu quod ille curvaverit: Heb. juxta illud quod scriptum est: *Quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cœcum? nonne ego, Dominus Deus?* Exod. iv. 11. ut frustra obloquentur homines, cum quæ ego sive recta, sive distorta fecerim (aut permiserim) mutare nemo possit: Hier. Hunc versum Ecclesiastæ Chal. hic refert ad vitia corporis, ut nemo gibbosum, claudumve restituere possit in reetam staturam; ac proverbialiter intelligendum; ut discant bimines pati, quæ Deus justis de causis inemendata esse voluerit sive permiserit.

<sup>15</sup> In die bond: præcedentis sententiae corollarium, ne obloquentur Deo aut rebus humanis, sed omnia excipias prout eveniunt; æquè enim fecit Deus bonos dies malosve, prosperos et adversos; neque quidquam fortè, aut cæcà necessitate fit, sed Dei sapientiæ. Ut non inveniat homo justas querimonias: Heb. et non inveniet homo post cum quidquam, post Deum scilicet: ne te exerceiayeris emendandis Dei operibus.

<sup>16</sup> In diebus vanitatis meæ: hujus vitæ vanissimæ. In justitiâ sua:

13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.

14. Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despicerit.

15. In die bonâ fruere bonis, et malam diem præcavere. Sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: justus perit in justitiâ suâ, et

impius longævus in malitiâ suâ. impius multo vivit tempore in malitiâ suâ.

Noli esse justus multûm, et ne quæras amplius, ne obstupescas.

Ne impiè agas multûm, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

Bonum est retinere justum. Et quidem ab hoc ne dimittas manum tuam: quoniam qui timet Deum, egredietur ad omnia.

Sapientia confortabit sa-

17. Noli esse justus multûm: neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas.

18. Ne impiè agas multûm, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

19. Bonum est te sustentare justum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

20. Sapientia confortavit

virtutis studium non prohibet acceleratam mortem: quæ querela passim in sacris libris, præsertim Jer. xii. 1. etc. Sed hujus rei causa, his diebus vanissimis, procul submovetur ab hominum aspectibus. Vide infrà, viii. 11, 12, 13. ix. 2.

<sup>17</sup> *Noli esse justus multûm*: qui summo et stricto semper iure agat; qui truceum et rigidum gerat animum, nunquam indulgens veniam, maximè verò qui superstîtiosus se scrupulis torqueat: hunc scito plus justum esse quam justum est, et ex cunctatione, vel fluctuatione animi penè in stuporem verti: haec ferè Hier. *Ne obstupescas*; alii, ne desolationem tibi accersas.

<sup>18</sup> *Ne impiè agas multûm*: id est, diu, nec peccata peccatis addas. Debemus enim nos statim erigere post ruinam; non imitari eos, qui semel desertâ regulâ, tradunt se vitiis desperantes: Ephes. iv. 29. Cur autem hic inserantur sententiae non ita proposito cohærentes, diximus suprà, iv. 17.

<sup>19</sup> *Bonum est te sustentare justum*; istum: Heb. lxx. Nempe justum de quo x. 17. *Sed et ab illo ne subtrahas manum tuam*: nempe ab impio, de quo x. 18. Bonum est justis benefacere, sed peccatoribus benefacere non est malum; bonum domesticis fidei benefacere, sed et omni potenti tribuere: Hier. *Qui timet Deum, nihil negligit*: cum omnibus exhibet: Heb. lxx. prospero eventu: cum Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum: Rom. viii. 28.

pientem super decem po- sapientem, super decem testatcm habentes, quisunt principes civitatis. in civitate:

Quia non est homo justus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet.

Et quidem in omnes ser- mones quos loquentur im- pii, ne dederis cor tuum, ut non audias servum tuum maledicentem tibi.

Etenim frequenter scit cor tuum, quia et tu male- dixisti aliis.

Omnia hæc tentavi in sapientiâ, et dixi:

Sapiens efficiar: et ipsa longius facta est à me, magis quam erat. Et alta pro- funditas: quis inveniet eam?

Circuivi ego cor meum, ut scirem et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem; et ut cognoscerem impietatem stulti, et imprudentiam errorum.

Et inveni ego amariorem morte mulierem: quæ la-

12. Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet.

22. Sed et cunctis sermo- nibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne fortè audias servum tuum maledicentem tibi.

23. Scit enim conscientia tua, quia et tu crebrò ma- ledixisti aliis.

24. Cuncta tentavi in sa- pientiâ: Duxi: Sapiens effi- ciar: et ipsa longius recessit à me,

25. Multò magis quam erat: et alta profunditas; quis inveniet eam?

26. Lustravi universa ani- mo meo, ut scirem et con- siderarem, et quærerem sapientiam, et rationem; et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem im- prudentium.

27. Et inveni amariorem morte mulierem, quæ la-

<sup>24</sup> *Cuncta: cuncta hæc: Heb.*

<sup>25</sup> *Quis inveniet eam? Vide Job. xxviii. 12, 27.*

<sup>26</sup> *Lustravi universa. 27 Et inveni. En egregium tot inquisitionum atque experimentorum fructum: inveni amariorem morte mulierem: quæ nihil nisi suavia, merasque voluptates præ se ferebat. Quâ enim non morte amarius aut tetrius, impiæ dominæ servire libidinibus atque*

**queus venatorum** est, et **sagena** cor ejus, **vincula** sunt manus ejus. Bonus coram Deo eruetur ab eâ, et qui peccator est, capietur in illâ.

Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes: unam ad unam, ut invenirem numerum,

Quem adhuc quæsivit anima mea, et non inveni. Hominem unum de mille inveni, et mulierem in omnibus his non inveni.

erroribus, et Deum colere quemcumque decerneret, ut Salomonis contigit? quasi diceret: Cùm de omnibus hominum erroribus diligentissimè quereretur, nihil certius reperi, quâd istud de muliere: quôdque ea sit, *laqueus*, *sagena*, *vinculum*, quo te nec volens nittensque extricare possis, tam fœdâ quâd miserâ servitute: quæ expertus dicere, et ab insanî suâ resipiscere videtur: Hier.

<sup>28</sup> *Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes*: sanè et hoc mente et cogitatione perviderat. Prov. II. 16. v. 3. vi. 24. vn. 5. et alibi passim. Quid igitur hic addit inventis, nisi ut id, quod ratione perspexerat, ipso experimento doctus, referat, et inculcat? *Ecce, inquit, hoc inveni*: egregium operæ pretium, *dixit Ecclesiastes*: quod est momentis, inculcantis, infarcientis. *Unum et alterum*: ad verbum: unam ad unam: phrasi Heb: quod nos in neutrum vertimus, hoc est, versando in animo unum ad unum, sive, unum post alterum, atque, ut ait Hier. sigillatim ac minutatim, velut subductâ ratione, perpendens omnia, et diligenter eventilans, *ut invenirem rationem*,

<sup>29</sup> *Quam adhuc querit anima mea*: in quâ adhuc labore, animumque exerueians ac pertundens, non possum hujus rei, hoc est. muliebris nequitiæ assequi causam; sed hoc, inquit, unum compri: *virum de mille unum reperi*, qui saperet: mulierem verò nullam; sive ut habet textus: *mulierem ex omnibus non inveni*. « Omnes enim me ad luxuriam, et non ad virtutem deduxerunt »: Hier. hic.

queus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illâ.

28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem,

29. Quam adhuc querit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

Solummodo hoc inveni, quia fecit Deus hominem rectum; et ipsi quæsierunt cogitationes multas.

50. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum; et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?

3º *Solummodo hoc inveni*: tanquam diceret: Quærenti, cogitantes, cur humanum genus, ac præsertim fœmineum sexum cui et viri serviant, insipientia peryagata corruperit, unum illud occurrit, nempe quod Deus hominem non tam, qualis nunc est, fecerit: immo quod fecerit Deus hominem rectum: neque illa quam vidimus pervertitas et obliquitas, sit natura instituti hominis, sed pœna damnati, ut præclare Augustinus. *Quod fecerit Deus hominem rectum*; recta sentientem, recta diligenterem, sociis æquum, Deo subditum; et ipse se distortum jam inde ab initio fecerit. Quomodo autem distortum, nisi quod ipse se infinitis miscuerit quæstionibus: vel, ut habent. Heb. lxx. ipse Hier. ad Paulam, eodem planè sensu: et ipsi quæsierunt cogitationes multas; in varia ac pessima se studia ac dubia distracterunt. Cujus rei fons est, quod cum homini veritas divinæ legis decisione constaret, huic definitioni non steterit, ac de præcepto ipso quæsiverit, parendumne esset: audiveritque libens fœmina quæstionem temerariam: *Cur præcepit vobis Deus?*..... (Gen. iii. 1.) viroque persuaserit ut eadem de re ances quæreret. Sic aliæ ex aliis ortæ quæstiones, dubitatumque de Deo, de propriedati, de legibus, deque certis æquæ ac de incertis: abiitque prorsus ex humano genere illa rectitudo, quam Deus fecerat; extiteruntque cogitationes, sive, ut Hieronymus hic elegantissime verit, quæstiones ac fluctuationes, quibus ipse se homo conturbaret, atque perverteret.

---

## CAPUT VIII.

*Supiens vultu quoque agnoscitur: regum majestas, 2 et seqq. rerum commodi nexus et opportunitates, 6. hominum imperitia, 7. dominanili libido, 9. hypocritæ, 10. malorum res prosperæ; bonorum adversæ, 11, 14. bene piis, malè impiis, 12, 13. impiorum sententia, 15. opera Dei investigabilia, 16, 17.*

### VERSIO S. HIERONYMI.

*Quis ita ut sapiens, et quis novit solutionem verbi? sapientia hominis illuminabit vultum ejus, et fortis faciem suam commutabit.*

*Ego os regis custodio, et loquelam juramenti Dei.*

*Ne festines à facie ejus abire, et ne stes in verbo malo: quoniam omne quod voluerit, faciet.*

*Sicut dixerit rex, potestate habet, et quis dicet ei, Quid facis?*

<sup>1</sup> *Sapientia hominis lucet in vultu ejus: illuminat vultum ejus: Heb. gratum reddit. Et potentissimus faciem illius commutabit: et fortitudo (sive obstinatio, austeritas) faciei ejus mutabitur: Heb. Nil asperum, nil pervicax; sedata omnia, in vultu sapientis.*

<sup>2</sup> *Ego os regis observo: observa: Heb. ut supplendum sit, ego moneo, vel quid simile. Os regis: id est, mandatum. Et præcepta juramenti Dei, propter juramentum Dei: Heb. regi scilicet præstium. Nota fidem regi sacramento obligatam. Idque videtur significare fœdus populi cum Davide coram Domino. II. Reg. v. 3. Item cum Joas, IV. Reg. xi. 17. Item principes dant manum Salomonis. I. Paral. xxix. 24.*

<sup>4</sup> *Et sermo illius potestate plenus est: regis: Heb.*

### VERSIO VULGATA.

*1. SAPIENTIA hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit.*

*2. Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei.*

*3. Ne festines recedere à facie ejus, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit, faciet:*

*4. Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?*

*Qui custodit mandatum, non cognoscet verbum malum: et tempus et judicium cognoscit cor sapientis.*

*Quia omni negotio est tempus et judicium: afflictio quippe hominis multa super eum:*

*Quia nescit quod futurum est: sicut enim erit, quis annuntiabit ei?*

*Non est homo potestatem habens in spiritum, ut prohibeat spiritum, et non est potestas in die mortis, et non est emissio in die belli: et non salvabit impietas habentem se.*

*Omnia hæc vidi, et dedi cor meum in omne opus, quod factum est sub sole: et dominatus est homo homini ut affligeret eum.*

*5. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit.*

*6. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio:*

*7. Quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio.*

*8. Non est in hominis potestate, prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.*

*9. Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus, quæ sunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.*

*5 Qui custodit præceptum: regis scilicet. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit: rationem, morem (regis scilicet allocundi): Heb.*

*6 Omni negotio..... opportunitas: judicium, ratio; eadem voce, ac suprà, ¶. 5. quam responsionem vertit interpres: et multa hominis afflictio: difficile est opportunitatem invenire, et commodos verum nexus.*

*8 Non est in hominis potestate: quemadmodum extremum vitæ halitum colibere nemo potest, nec se expedire citatus ad bellum; ita neque salvabit impietas impium: quamvis ad servandum se, nec sceleri parcat. Prohibere spiritum: animam fugientem. Nec sinitur quiescere ingruente bello: Heb. nec est missio.*

**E**t tunc vidi impios sepultos , et venerunt ; et de loco sancto egressi sunt , et laudatisunt in civitate , quia sic fecerunt : sed et hoc vanitas.

**Q**uiam enim non est contradicatio facientibus malum citò : ideo repletum est cor filiorum hominum in eis , ut faciant malum.

**Q**ui a peccator facit malum centies , et elongat ei Deus : ex hoc cognosco ego , quòd erit bonum timentibus Deum , qui timebunt à facie ejus :

**E**t bonum non sit impio , et non prolonget dies quasi umbra , qui non timet à facie Dei.

**E**st vanitas quæ fit super terram : quia sunt justi super quos veniunt quasi facta impiorum , et sunt impii ad quos perveniunt quasi facta

**10.** Vidi impios sepultos : qui etiam , cùm adhuc vive rent , in loco sancto erant , et laudabantur in civitate quasi justorum operum : sed et hoc vanitas est.

**11.** Etenim quia non profertur citò contra malos sententia , absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

**12.** Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum , et per patientiam sustentatur , ego cognovi quòd erit bonum timentibus Deum , qui verentur faciem ejus.

**13.** Non sit bonum impio , nec prolongentur dies ejus , sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.

**14.** Est et alia vanitas quæ fit super terram . Sunt justi , quibus mala proveniunt , quasi opera egerint impiorum : et sunt impii , qui ita

**10** *Et laudabantur in civitate quasi justorum operum* : Ita LXX. at Heb. oblivioni tradentur , *ischtachoau* : pro *ischtabehou* , laudabun tur : caph pro beth : simillimis litteris facile invicem commutatis : et ita Chal. et Syr. Vulg. sensus apertior.

**12** *Attamen.... ego cognovi*. Si enim tanta est etiam erga malos Dei indulgentia ac misericordia , ut eorum supplicia differat ut corrigitur ; quam putemus ejus esse benignitatem erga justos , ut mercedem præstet ? simile argumentum , III. 16, 17.

justorum. Dixi quia hoc vanitas est.

Et laudavi ego lætitiam : quia non est bonum homini sub sole , nisi comedere , et bibere , et lætari . Et ipsum egredietur cum eo de labore suo diebus vitæ , quos dedit ei Deus sub sole .

Quapropter dedi cor meum , ut cognoscerem sapientiam , et viderem occupationem quæ facta est super terram . Quia et in die et in nocte somnium in oculis suis non est videns .

Et vidi omnia opera Dei : quia non poterit homo inventire opus quod factum est sub sole : in quo laboravit homo ut quereret , et non inveniet : si quidem et si dixerit sapiens se cognoscere .

<sup>15</sup> Laudavi igitur lætitiam : ex personâ impiorum , qui , quòd omnia in futurum serventur incerta , nihil melius factu arbitrantur , quam ut voluptati se dedant .

<sup>16</sup> Et intelligerem distentionem : negotium , περιπτασμόν , occupationem , suprà , i. 13. curam superfluam : suprà , ii. 26. *Est homo , qui diebus ac noctibus somnum non capit :* qui seipsum excruciat quærendis rerum et eventuum causis ; *cur alius cæcus , et debilis , alius videns nascatur et satus ; ... iste sit nobilis , ille inglorius :* nihil aliud proficit , nisi in suâ tuntum quæstione torqueri , et disputacionem pro tormento habere , nec tamen invenire quod querit . Hier. hic .

<sup>17</sup> Nullam possit homo invenire rationem , exactam , accuratam , perspicuam , neque omnino ullam , nisi Dei lege institutus , aut lumine collistratus . Quantò plus laboraverit .... etiam si dixerit sapiens

scere

securi sunt , quasi justorum facta habeant : sed et hoc vanissimum judico .

<sup>15.</sup> Laudavi igitur lætitiam , quòd non esset homini bonum sub sole , nisi quòd comederet , et biberet , atque gauderet : et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ , quos dedit ei Deus sub sole .

<sup>16.</sup> Et apposui cor meum , ut scirem sapientiam , et intelligerem distentionem , quæ versatur in terrâ : est homo , qui diebus et noctibus somnum non capit oculis .

<sup>17.</sup> Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum , quæ sunt sub sole : et quantò plus laboraverit ad quærendum , tantò minus inveniat : etiam si

scere, non poterit invenire. dixerit sapiens se nosse,  
non poterit reperi.

*se nosse*: duo tradit verissima; priūm, quò plus conere Dei arcana  
persequi, cò magis te ambagibus ac dubitationibus involvas; alte-  
rum, sapientiam humanam nihil esse nisi jactantiam; quod etiam *se-  
quentia* ostendunt.

---

## CAPUT IX.

*Arcana Dei*: nemo scit an odio, an amore sit dignus: inde corru-  
ptelæ: impiorum sensus, 4, 5, 6 et seqq. res humanae casu regi  
videntur, 11, 12. sapientia contemptui, divitiæ pretio habentur:  
cùm tamen sapientia armis sit melior, 14, 15, 16, 17, 18. in uno  
peccans: ibid.

VERSIO S. HIERONYMI.

VERSIO VULGATA.

OMNE hoc dedi in corde  
meo, ut considerarem uni-  
versa: quia justi et sapien-

1. OMNIA hæc tractavi in  
corde meo, ut curiosè intel-  
ligerem: sunt justi atque

<sup>1</sup> *Sunt justi atque sapientes.* Idem argumentum de bonis malis-  
que in præsente vitâ pari modo habitis, miris versat modis. Vide au-  
tem Heb. ex Hier. quem ipse sic expouit: Etiam in hoc dedi cor  
meum, et scire volui quos Deus diligenter, quos odisset: et inveni ius-  
torum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur à  
Deo, an non, nunc eos scire non posse et ambiguo fluctuare, utrum  
ad probationem sustineant quæ sustinent, an ad supplicium: in fu-  
turo igitur scient et in vultu eorum sunt omnia; id est, antecedit eos,  
cùm ex hæc vitâ decesserint, notitia istius rei; quia tunc est judi-  
cium, nunc certamen, et quicunque adversa sustinent, utrum per  
amorem Dei sustineant ut Job, an per odium, ut plurimi peccato-  
res, nunc habetur incertum. Rectè omnino; idque apertè evincit  
Ecclesiastes, adeo ambigua esse omnia, ut nemo nec de aliis, nec  
de se ipso sciat an amore, an odio sit dignus, quod et nos latere  
possint occulta peccata: *delicta enim quis intelligit?* Ps. xviii. 13.  
et Deus quid de quoque sentiat, nedum ullo indicio prodat, in-

tes, et opera eorum in manu Dei. Et quidem caritatem et quidem odium, non est cognoscens homo : omnia in facie eorum.

In omnibus eventus unus; justo et impio, bono et malo, mundo et polluto, sacrificanti et non sacrificanti. Sic bonus ut peccator : sic jurans sicut juramentum timens.

Hoc est pessimum in omni quod factum est sub sole, quia eventus unus omnibus.

sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo utrum amore, an odio dignus sit :

2. Sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat.

3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eve-

volvat magis. *Opera eorum in manu Dei* : solus ipse novit : et tamen nescit homo : et quidem caritatem (Dei erga se) et quidem odium non est cognoscens homo : Hier. ex Heb. lxx. Quod cùm sit universim traditum, inde profectò efficitur, ut nec de aliis quisquam, nec de se ipso liquidò sciat amarine, an odio Deo sit. *Omnia in futurum* : omnia ante facies eorum : Heb. lxx. sive, ut verit Symm. apud Hier. Omnia coram eis incerta : ut Deo soli id constet, quemadmodum suprà dictum est : *Opera eorum in manu Dei*.

2. *Eò quòd universa æquè eveniant justo et impio* : etsi enim plerumque veri legis observatores promissa à lege temporalia bona recipiebant; tamen nec penitus ad omnes, nec ad quodcumque vitæ tempus ista pertinebant. Job enim, David, Tobias, Daniel, diutissimè multa perpessi, vix tandem à tot malis expediti sunt: prophetæ autem Isaias, Jeremias, et alii multi, nunquam : ipse legislator Moyses, cùm inter populi contumacis odia ac seditiones asperrimam duxisset vitam, nec ad terram illam admissus est. Deus igitur homines ad meliora promissa præparabat ; et tamen agebat miris modis, ut promissa temporalia in plerisque valerent, et in totâ republícâ Judaicâ maximè elucescerent. *Ut perjurus* : Heb. lxx. jurans (temere scilicet) sicut is qui juramentum timet : religiosus perjurusque nullo discrimine habiti.

Sed et cor filiorum hominum repletum est malitiā ; et errores in corde eorum in vitā suā : et post hæc ad mortuos.

Quia quis est qui communicet in omnes viventes ? est confidentia , quoniam canis vivens melior est leone mortuo :

Quia viventes sciunt quòd moriantur , et mortui ne- sciunt quidpiam ; et non est eis amplius merces : in obli- vione enim venit memoria eorum.

niunt. Unde et corda filio- rum hominum impletur malitiā , et contemptu in vitā suā ; et post hæc ad inferos deducentur.

4. Nemo est qui semper vivat , et qui hiujus rei ha- beat fiduciam : melior est canis vivus leone mortuo.

5. Viventes enim sciunt se esse morituros , mortui verò nihil neverunt amplius , nec habent ultrà mercedem : quia oblivioni tradita est memoria eorum.

<sup>3</sup> *Et contemptu* : procacitate : Symm. apud Hier. et insaniae (sive errores) in corde eorum in vitā eorum , et postea ad mortuos (per- gunt) Heb. nec unquam resipiscunt. Quæ item ex personā impiorum dicta , postea in fine libri claram solutionem habebunt , ut sæpe monuimus.

4 *Nemo est qui semper vivat.* Symm. antecedenti sic jungit : Cor hominum repletur malitiā et procacitate in vitā suā ; novissima au- tem veniunt ad mortem ; quis enim potest in sempiternum perseve- rare vivens ? quæ interpretatio Hieronymo clara : sensusque sit : quòd bonis malisque æqua omnia eveniant : homines totā vitā in errore versantur ; donec deveniamus ad mortem , malorum omnium terribilissimum et ultimum , post quod non spes , aut merces uila super , nullusque ab errore resipisciendi locus ; atque omnino ignorantia insanabilis : ex Heb. et LXX. sic habes : Nam quis communicat in om- nes viventes ? quis eorum consors (semper) esse potest ? hoc est , quis potest semper vivere , ut habet Symm. pergit Hier. Est confidentia (sive spes) viventi , scilicet : quoniam *melior est canis vivus leone mor- tuo* : vita , etiam miserrima , quāvis morte præstat : quod morte spes omnis mercesque , atque etiam rectè gestorum memoria pereat ; ut est in sequentibus , 5 et 6. Quæ rectè consonant impiorum dictis , quorum hic personam agit.

Sed et dilectio eorum, et odium eorum, et zelus eorum jam periit: et pars non est eis adhuc in sæculo, in omni quod fit sub sole.

Vade et comedere in lætitiâ panem tuum, et bibe in corde bono vinum tuum, quoniam jam complacuerunt Deo opera tua.

In omni tempore sint vestimenta tua candida: et oleum de capite tuo non deficit.

Vide vitam cum muliere quam dilexisti omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole: quia hæc est pars tua in vitâ, et in labore quo tu laboras sub sole.

Omnia quæ invenit manus tua ut facias, in virtute tuâ fac: quia non est opus, et cogitatio, et scientia, et sapientia in inferno, quò tu vadis illuc.

6. Amor quoque, et odium et invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in operc quod sub sole geritur.

7. Vade ergo et comedere in lætitiâ panem tuum, et bibe cum gudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua.

S. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.

9. Perfruere vitâ cum uxore, quam diligis cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vitâ, et in labore tuo, quo laboras sub sole.

10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

6 *Amor quoque, et odium:* quod uno verbo Psalmista transigit: *In illâ die peribunt omnes cogitationes eorum.* Psal. cxlv. 4. in nullâ parte vitæ humanae sunt.

9 *Cum uxore:* Heb. cum muliere; quamcumque dilexeris: hæc enim continuat in personâ impiorum, ac voluptuosorum hominum.

10 *Quodcumque potest..... instanter..... quia nec opus..... apud inferos:* vanam, brevemque vitam vanâ et brevi voluptate percurre; et si quid delectare potest, festinus carpe ne pereat. Hier.

Converti me, et vidi sub sole, quoniam non est velocium cursus, nec fortium prælium, nec sapientium panis, nec prudentium dicitiae, nec scientium gratia: quoniam tempus et eventus occurret omnibus illis.

Et quidem nescit homo tempus suum: quasi pisces qui retinentur in retiaculo malo, et sicut volucres quæ colligantur in laqueo, similiter corruent filii hominum in tempore malo, cum ceciderit super ipsos extemplo.

Sed et hanc vidi sapientiam sub sole, et magna est apud me.

Civitas parva, et viri pauci in eâ: et venit ad eam rex magnus, et circumdedit eam; et ædificavit ad-

11. Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: sed tempus, casumque in omnibus.

12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

15. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam:

14. Civitas parva, et pauci in eâ viri, venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, extruxitque munitiones per

<sup>11</sup> *Nec velocium esse cursum*: quòd nec optimi elegantur, et etiam optimos successus ipse fallat, neque possit homo providere quidquam, ut <sup>1</sup>. 12. Longè aliter Paulus: non enim è quòd neque fortitudo, neque cursus velocitas valeat apud homines, exinde concludit, casu omnia agi, sed contrà, Dei esse optatos dare successus: *Non enim volentis, neque currentis. sed miserentis est Dei.* Rom. ix. 16.

<sup>12</sup> *Nescit homo finem*: tempus: Heb. lxx. commodaque aut incommoda ex eo provenientia, sed in prospera et adversa cæco impetu se infert.

<sup>13</sup> *Hanc..... vidi sapientiam*: humanam sapientiam hactenus insectatus, nunc commendare videtur quām maximē; sed postea docet, id etiam esse humanæ vanitatis, ut tanta quoque sapientia, nisi dicitiae accedant, nihil apud homines habeatur.

versus eam machinam magnum.

Et invenit in eâ virum pauperem et sapientem, et salvavit hic civitatem in sapientiâ suâ : et homo non recordatus est hominis pauperis illius.

Et dixi ego meliorem esse sapientiam super fortitudine, et sapientia pauperis quæ despacta est, et verba ejus quæ non sunt audita.

Verba sapientium in quiete audiuntur, plusquam clamor potestatem habentis in stultis.

Melior est sapientia super vasa belli; et peccans unus perdet bonitatem multam.

gyrum, et perfecta est ob-sidio.

15. Inventusque est in eâ vir pauper et sapiens; et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

16. Et dicebam ego, me-liorem esse sapientiam for-titudine : quomodo ergo sa-pientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita?

17. Verba sapientium au-diuntur in silentio, plus-quam clamor principis inter stultos.

18. Melior est sapientia quæm arma bellica : et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

<sup>17</sup> *Verba sapientium*: Hier. *Quemcumque in Ecclesiâ videris declamatorem et cum quodam lenocinio, ac venustate verborum excitare plausus, risus excutere, audientes in affectus lœtitiae concitat; scito signum esse insipientiæ, tam ejus qui loquitur, quam eorum qui audiunt: verba quippe sapientium in quiete et moderato audiuntur silentio: hactenus Hier. et tamen ille tam silenter auditus, ac potentiorum vociferationibus antepositus, ad rerum humanarum ludibrium, et ipse sæpe despicitur, ut habes præcedente versu.*

<sup>18</sup> *Et qui in uno peccaverit*: unus peccans: Heb. Sicut unius sapientiæ civitas servatur; sic unius imperitiæ bona res malè perit.

## CAPUT X.

*Ex minimis delictis grandis jactura : stultus non se, sed alios omnes  
stultos putat, 3. ne principum gratiā glorieris, 4. regimen per-  
turbatum; principum errores, 5. suā foveā captus : majorum insti-  
tuta, 8, 9. labore acuitur industria, 10. detractor: stultorum mul-  
tiloquia, 12, 13, 14. alia ex aliis mala, caque graviora, 15. rex  
puer, 16. rex temperans, 17. desideria : pecuniæ parent omnia:  
non detrahendum regi, etiam occulte, 20.*

### VERSIO S. HIERONYMI.

MUSCÆ morituræ exter-  
minant oleum compositio-  
nis : pretiosa est super sa-  
pientiam et gloriam stultitia  
parva.

Cor sapientis in dexterâ  
ejus, et cor stulti in sinistrâ  
illius.

Sed et in viâ cùm stultus  
ambulat, cor ejus minuitur:  
et dicit, omnis insipiens  
est.

Sis spiritus habentis potes-  
tatem ascenderit super te,  
locum tuum ne dimiseris :

<sup>1</sup> Muscæ morientes..... Pretiosior est sapientia et gloria , parva et ad tempus stultitia : id quod pretiosum ex sapientiâ, et gloriâ, stu-  
ltitia parva , Heb. supple , corruptit. Sicut exiguæ muscæ optimum  
unguentum, sic paululum stultitiæ excellentem sapientiâ et gloriâ  
virum corruptit ; cavendumque omnino ne leves defectus multitu-  
dine gravent.

<sup>2</sup> In dexterâ : dextera recti , sinistra pravi symbolum.

<sup>4</sup> Si spiritus.... ascenderit super te : si te benignior aura favoris  
afflaverit ; si aliquam acceperis dignitatem : locum tuum ne dimise-  
ris : noli efferri animo , noli relinquere priora opera. Hier. Quia cu-

### VERSIO VULGATA.

1. Muscæ morientes per-  
dunt suavitatem unguenti.  
Pretiosior est sapientia et  
gloriâ , parvâ et ad tempus  
stultitia.

2. Cor sapientis in dexterâ  
ejus, et cor stulti in sinistrâ  
illius.

3. Sed et in viâ stultus  
ambulans, cùm ipse insi-  
piens sit , omnes stultos aesti-  
mat.

4. Si spiritus potestatem  
habentis ascenderit super  
te, locum tuum ne dimise-

quia sanitas requiescere facit peccata magna.

**Est malum quod vidi sub sole, quasi ignorantia egrediens à facie potentis,**

Dari stultum in sublimitatibus magnis, et divites in humilitate sedentes.

Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram.

Quis fudit foveam, in ipsam incidet; et qui dissipat sepem, mordebit eum serpens.

Qui subtrahit lapides, dolabit in eis; et qui scindit ligna, periclitabitur in eis.

ris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

**5. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis:**

**6. Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.**

**7. Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos.**

**8. Qui fudit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.**

**9. Qui transfert lapides, affligetur in eis; et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.**

*ratio: sive cautio, ac modesti animi pudor, non splendor dignitatis, faciet cessare peccata maxima.*

**5 Quasi per errorem, (aut ignorantiam: Heb. atque involuntariè: LXX.) egrediens à facie principis: adeo absurdum, ut non nisi imprudenti excidat principi. Vide autem quā multa peccent principes per ignorantiam, queis tamen respublica pessumdatur.**

**6 Stultum in dignitate,.... et divites (sive optimates) sedere deorsum, magnā rerum perturbatione, quam et sequens indicat, ubi servi dominantur, principes humili repunt.**

**8 Qui fudit foveam..... qui dissipat sepem: qui prisca instituta subvertit, aut qui reipublicæ robur, nobilitatem scilicet, structis insidiis, malisque artibus pessumdat, ut ille servus, ¶ 6 et 7. is sibi, ac reipublicæ quam improvidus regit, accersit infortunium.**

**9 Qui transfert lapides: præcedentem firmat; ut non frustra gestes ingentes lapides, aut ligna scindas manibus; sic nec frustra convellas instituta majorum: quod item vetat sapiens alia et huic cognatà similitudine, grayi hoc interdicto, ne terminos moyeas. Proverb. xxii. 28.**

**S**i retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed conturbatum fuerit, virtutibus corroborabitur; et reliquum fortitudinis sapientia est.

**S**i momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam.

**V**erba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.

**I**nimum verborum stulti insipientia, et novissimum oris ejus error pessimus.

**E**t stultus multiplicat verba. Ignorat homo quid sit quod factum est: et quod futurum est post eum quis annuntiabit ei?

**L**abor stultorum affliget eos, qui nesciunt ire in civitatem.

**V**æ tibi, terra, cuius rex

**10.** Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur; et post industriam sequetur sapientia.

**11.** Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

**12.** Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.

**13.** Initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus.

**14.** Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit: et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

**15.** Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt iuurbem pergere.

**16.** Væ tibi, terra, cuius

**10** *Si retusum fuerit ferrum rubigine: et hoc non ut prius: supple, sciderit: et non terserit aciem: Heb. supple, qui eo utitur: sed hebetatum fuerit: cuius loco Hier. sed conturbatum fuerit: (quod tamen Heb. deest) multo labore, ac viribus exacuetur; virtutibus (seu laboribus) corroborabitur: Hier. ex Heb. et post: post industriam sapientia: vel ut habet Heb. (sic) et excellentia in dirigendo, sapientia (est) sensus: sapientis est cogitando et meditando dirigere ac perpolire animum, ut terendo et detergendo, perpolitur ferrum.*

**12** *Præcipitabunt eum: dejicient, perdent.*

**15** *Qui nesciunt in urbem pergere: qui rem obviam et notissimam non inveniunt: proverbium.*

adolescens est, et principes tui manè comedunt.

Beata terra, cuius rex tuus filius ingenuorum, et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non in confusione.

In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum stillabit domus.

In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes: et argento obediunt omnia.

In mente tuâ regi ne maledixeris, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia volucres cœli au-

rex puer est, et cuius principes manè comedunt.

17. Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.

18. In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.

19. In risum faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes: et pecuniæ obediunt omnia.

20. In cogitatione tuâ regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves

<sup>16</sup> *Cuius rex puer est: sic apud Isaiam, iii. 4. Dabo pueros principes corum: neque tantum ætate, sed sensibus: et cuius principes manè comedunt; luxuriâ, non necessitate: ut seq. v. Sic idem Isaías, v. 11. Vœ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam. Chal. de iis accipit qui ante juge sacrificium manè comedenterent.*

<sup>17</sup> *Nobilis: heroum, sive clarorum ac fortium virorum filius: Heb. lxx.*

<sup>18</sup> *In pigritiis: meritò luxuriæ desidiam addit comitem, viribus animi et corporis voluptatis studio dissolutis: unde humiliatur contignatio: res humanæ sponte labuntur, ac suo ruunt pondere, nisi validè sustententur, quod mollities ac desidia prohibent.*

<sup>19</sup> *In risum faciunt: vanissimi homines, qui cibos ad voluptatem, non ad sustentationem corporis sumunt, potationesque et luxuriam pro verâ vitâ habent, horum venalis anima pecuniæ servit, ac per pecuniam ventri: sic illi apud Paulum, quibus Deus venter, dea pecunia est. Phil. iii. 19. Eph. v. 5.*

<sup>20</sup> *Regi ne detrahas: etsi puer sit, luxuriæque ac voluptati deditus, ut suprà dixerat; tamen parce nomini, majestatem reverere.*

ferent vocem tuam, et ha- cœli portabunt vocem bens pennas annuntiabit tuam, et qui habet pennas verbum. annuntiabit sententiam.

*Diviti*: potenti, principi. *Aves cœli*: en quantâ celeritate maledicta, tutis licet, ut quidem videbatur, auribus commissa, tamen velut pennis ad principem evolent; en aves in aulis frequentes, quæ cum aliud agere, et velut in incerum volitare videantur, studiosissimè colligunt quæ etiam incautis exciderint.

---

## CAPUT XI.

*Eleemosyna, quibuscumque obviis, 1. copiosè danda, 2. cave quo statu moriaris, 3. nimia cautio, 4. opera Dei inscrutabilia: labor assiduus, 6. mors certa demonstratio vanitatis, 8. ætatis flos et voluptas, vana, 10.*

## VERSIO S. HIERONYMI.

MITTE panem tuum super faciem aquæ, quia in multitudine dierum invenies illum.

Da partem septem, et quidem octo: quia non scis quid futurum malum sit super terram.

Si repletæ fuerint nubes,

## VERSIO VULGATA.

1. MITTE panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum.

2. Da partem septem, necnon et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

3. Si repletæ fuerint nu-

<sup>1</sup> *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quod omni potenti sit dandum, ex Luc. vi. 30. indiscretè faciendum bene: Hier. neque pereant data egenis, sed tutiū recondantur, ac mala futura præveniant: x. 2, 3.*

<sup>2</sup> *Da partem septem, necnon et octo: muluis, imò omnibus: sic, Mich. v. 5. septem pastores et octo primates, pro multis.*

<sup>3</sup> *Si repletæ fuerint nubes: esto sicut nubes, quæ copiosè et ul-*

imbrem super terram effundent. Et si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem; in locum ubi ceciderit lignum, ibi erit.

*Qui observat ventum, non seminabit: et qui aspirat nubes, non metet.*

**Quomodo** non cognoscis tu quæ sit via spiritùs; et sicut ossa in utero prægnantis: sic nescis opera Dei, qui facit omnia.

**In** matutino semina semen tuum, et ad vesperum ne dimittas manum tuam: quoniam nescis quid placeat,

bes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem; in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

**4. Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, nunquam metet.**

**5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritùs, et quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.**

**6. Manè semina semen tuum, et vesperè ne cesser manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud:**

pluviam largiuntur; ita tu eleemosynam. *Si ceciderit lignum:* cave quò te inclines, sive in bonum, sive in malum, cùm quò cecideris, ibi perpetuò mansurus sis.

**4 Qui observat ventum:** cunctanti ac trepido, et adversa semper tempora metuenti, beneficiandi proximo, atque universim bene rei gerendæ occasio elabitur.

**5 Via spiritùs:** venti: ipso Domino dicente: *Nescis unde veniat, aut quò vadat:* Joan. III. 8. quâ similitudine sancti quoque Spiritùs operatio designatur, spirantis ubi vult: ibid. atque, ut vult, dona singulis dividentis: I. Cor. XII. 11. Nec desunt qui viam spiritùs eam intelligent, quâ anima corpori se infundat, propter sequentia de fœtu. *Sic nescis opera Dei:* nec quâ ratione tibi pro benefactis atque eleemosynis bona retribuat.

**6 Manè semina..... et vesperè ne cesser:** bona opera assidue frequentanda, ac semper beneficiendum proximo, neque unquam parcendum labori, quamvis, aliquâ ex parte, successu frustretur:

aut hoc , an illud : et si et si utrumque simul, me-  
utrumque, quasi unum ho- lius erit.  
num est.

Et dulce lumen , et bo-  
num oculis videre solem:

Quia si annis multis vixerit  
homo, in omnibus his læte-  
tur, et meminierit dies tene-  
brarum, quia plurimæ erunt.  
Omne quod venturum est  
vanitas.

Lætare , adolescens , in  
juventute tuâ , et in bono  
sit cor tuum in diebus ado-  
lescentiæ tuæ : et ambula in  
viis cordis tui , et in intuitu  
oculorum tuorum. Et scito  
hoc , quia super omnibus his  
adducet te Deus in judi-  
cium.

cum futurus sit aliquando proventus , quo labores etiam irriti repen-  
sentur.

*8 Si annis multis.....et.....lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi  
temporis, seu noctis æternæ, et dierum multorum: mortis scilicet,  
postquam æternitas. Qui cum venerint, vanitatis arguentur præter-  
ita: etiam gaudia, voluptatesque, quarum ex ore impiorum com-  
mendatio tanta præcesserat. Hic incipit solutio quæstionum ac flue-  
tuationum, quibus ex impiorum personâ, voluptuosam vitam lau-  
dare videbatur.*

*9 Lætare ergo, juvenis, in adolescentiâ tuâ: ironice dicta, ut  
videtur, sicut Matt. xxvi. 45. Dormite jam, et requiescite: quasi  
diceret: Jam lætare, si potes, in conspectu mortis: jam prædicta  
evanidas fluxasque lætias: scito tamen futurum, ut pro omnibus  
his quibus lætatus fueris, adducat te Deus in judicium: et quidem*

7. Dulce lumen, et delec-  
tabile est oculis videre so-  
lem.

8. Si annis multis vixerit  
homo, et in his omnibus læ-  
tatus fuerit, meminisse de-  
bet tenebrosi temporis, et  
dierum multorum: qui cum  
venerint, vanitatis arguen-  
tur præterita.

9. Lætare ergo, juvenis,  
in adolescentiâ tuâ , et in  
bono sit cor tuum in diebus  
juventutis tuæ , et ambula  
in viis cordis tui , et in in-  
tuitu oculorum tuorum : et  
scito, quod pro omnibus his  
adducet te Deus in judi-  
cium.

Et repelle iram à corde tuo, et aufer malitiam à carne tuâ: quia adolescentia et stultitia vanitas est. 10. Aufer iram à corde tuo, et amoove malitiam à carne tuâ. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

post mortem, cujus antea meminisse jussérat. Jamne ergo vides, insane, jamne sentis vitam non esse lusum: Sap. xv. 12. neque vana omnia, quæ in rem tam gravem, tamque tremendam desinant?

*10 Aufer iram .... malitiam, seu flagitium à carne: in irâ omnes perturbationes animi comprehendit: in carnis malitiâ universas corporis voluptates: Hier. quo efficitur, non jam in voluptate ducendam vitam, sed omnem ad divinum judicium traducendam esse cogitationem. Adolescentia enim et voluptas vana sunt: etiam ea quæ inter vitæ vanitates solatio erat voluptas, inter vana reputanda est: quo uno omnes impiorum argutationes corrunt. Pro voluptate, pubertatem Heb. stultitiam Hier. et lxx. habent: hoc est procul dubio voluptatem ipsam, quæ homines dementat.*

## CAPUT XII.

*Conclusio operis: de Deo cogitandum ante molestias et imbecillitatem senectutis, 4. corpus ad terram: spiritus ad Deum: vana omnia: audiendi sapientes: eorum sententiæ quales, 11. nimia scriptio et lectio, 12. verum bonum: scientiæque et vitæ summa, 13. reddenda ratio, 14.*

VERSIO S. HIERONYMI.

VERSIO VULGATA.

Et memento creatoris tui in diebus juventutis tuae: in diebus juventutis tuae, antequam veniant dies malitiae, et appropinquent annos afflictionis, et appropin-

<sup>1</sup> *Memento creatoris: te judicaturi. Praeclara conclusio egregii operis hoc capite: in diebus juventutis tuae: quanto magis cum ju-*

ni, in quibus dices : Non est mihi in illis voluntas. quent anni, de quibus dicas : Non mihi placent.

Antequam obtenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam.

In die quo commoti fuerint custodes domus, et perierint viri fortitudinis. Et cessabunt molentes, quoniam imminutæ sunt : et contenebrescent quæ vident in foraminibus.

4. Et claudent ostia in plateâ, in humilitate vocis molentis; et consurgent ad vocem volucris; et obmutescunt omnes filiae carminis.

2. Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam :

3. Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina :

4. Et claudent ostia in plateâ, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescunt omnes filiae carminis.

dicum appropinquaverit ! *Et anni de quibus dicas : Non mihi placent, seniles scilicet, et ad sepulcrum præcipites.*

<sup>2</sup> *Et revertantur nubes post pluviam : senum oculi caligine obducunt, etiam cum serenum est, nubes videre se putant.*

<sup>3</sup> *Quando commovebuntur (tremen) custodes domus : manus protegendo corpori natæ. Et nutabunt viri fortissimi : crura, femora quæ corpus sustentant : et otiosæ erunt molentes : dentes : et tenebrescent videntes per foramina, oculi : fœmin. hebraicæ.*

<sup>4</sup> *Et claudent ostia in plateâ, in humilitate vocis molentis, sive oris commolentis cibos, hoc est, claudentur labia extrinsecus, sublatis dentibus compressa, ut vox exire nisi exilis et fracta non possit. Et consurgent ad vocem volucris : somnus levis, facilè galli cantu abrumpendus : et obsurdescunt, deprimentur : Heb. omnes filiae carminis : aures : delectatio musicæ et cantus concidet : Sic Berzellai, II. Reg. xix. 35. Octogenarius sum hodie : numquid vident sensus mei.... vel audire possum ultrâ vocem cantorum atque cantatricum? vel, quidquid erat vocale conticeset.*

Sed et ab excelsis timebunt, et formidabunt in viâ. Et florebit amygdalum, et impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ; et circuibunt in plateâ plangentes.

Antequam rumpatur funiculus argenti, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super lacum;

*5 Excelsa quoque timebunt:* triste silicernium, neque altiora concendere neque aspectare poterit; omnia ei ruinæ proxima videbuntur: *et formidabunt in viâ:* planissima quæque, quasi impedita et coufragosa videntur: sic timidè incedit. *Florebit amygdalus:* caput canescet. Hier. *Impinguabitur locusta:* incrassabitur, ingravescet: etiam minima quæque, crassa et gravia videbuntur infirmo seni. Alii, locustæ, seu cicadæ stridulæ nomine, linguam intelligunt in senibus gravem et impeditam: pro locustâ, verti potest talus, sive pedes intumescentes et podagrâ prægravati, quod magis Chal. placuit. *Et dissipabitur capparis:* libido, concupiscentia. Hier. cibi appetentia, vigor omnis, membrorum rupto fœdere.

*6 Antequam rumpatur funiculus argenteus:* medulla spinalis, argentea propter colorem, incurvata, mox faticens. Item nervi ex eadem spinâ producti, tum soluti, ac flaccescentes. *Et recurrat vitta aurea:* frangatur lenticula aurea: Heb. Vesicula fellis, quâ tabescente cibi concoctio cessat, et alvis incompositè solvit aut astringitur; quod maximè in senibus: *et conteratur hydria,* quæ jam urinam non contineat: *super fontem:* vesica urinaria: *et confringatur,* nutet, sive in catharros defluat. *Rota,* sive sphæra: caput volubile et rotundum: cranium: *galgal:* quæ vox pro capite sumitur: Exod. xvi. 16. Num. 1, 2. *Super cisternam:* super cavum pectoris: Chal. et decurrat cranium ad sepulcrum tuum: quod planius videtur.

Et

*5. Excelsa quoque timebunt,* et formidabunt in viâ, florebit amygdalus, impinguabitur locusta et dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ; et circuibunt in plateâ plangentes.

*6. Antequam rumpatur funiculus argenteus,* et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam:

**E**t revertatur pulvis in terram suam sicut erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. **7. E**t revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

*7 Et revertatur pulvis in terram suam unde erat*: plana expositio ænigmatis, et plena solutio quæstionum, præsertim illius: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam*: suprà, iii. 21. *E*t rectè in antecedentibus dissolutio corporis tam studiosè describitur, ut inter machinæ fatiscentis ruinas, animus integer ad Deum redire doceatur. *In terram suam*: *spiritus ad Deum*: subtiliter omnino; et ex ipsâ rerum origine quæstio deciditur. Ili enim à Deo quidem, verùm è limo terræ corpus singitur: spiritus verò totus ex Deo, nullà aliâ causâ: Gen. ii. 7. unde terra in terram, spiritus ad Deum, ad sua quæque revertuntur. *Ad Deum*: judicandus sanè, ut antecedentia et sequentia docent: et vel meritò repellendus, vel æterno fœdere conjungendus. Cave autem hic à pessimâ Grotii notâ, ubi refert Euripidis locum tanquam huic geminum, in Supplicibus: reverti res omnes eò unde ortæ: corpus quidem in terram, spiritum verò ad æthera: qui locus parum abest ab illo Virgilii:

— atque in ventos vita recessit.

Atqui Ecclesiastes disertè pronuntiat redire hominis spiritum, non ad æthera, sed ad Deum qui dedit illum. Æther autem profectò non Salomoni Deus, sed Stoicis, apud Ciceronem dicentibus:

Aspice hoc sublime candens quem invocant omnes  
Joveus.

et apud Virgilium:

At pater omnipotens secundis imbris æther.

Pari exemplo idem Grotius locum illum Sap. ii. 2. *Sermo scintilla est, Empedoclis loco comparat, quo cogitationem, sive cogitandi vim docet esse sanguinem, cordi circumfusum. En viri theogiam inter oratorum ac poetarum lectionem natam, atque adultam in socinianismi fæce. Hic sanè vult videri sua ad Job. xxxiv. 14. et Gen. ii. 7. qui loci errorem firmant. Et ad Jobum quidem: ita docet vitam omnium animalium à Deo esse, quam si revocaverit, intereant: ut hominis spiritus haud magis sit à Deo, vel redeat ad Deum, reli-*

BOSSET. II.

Vanitas vanitatum , dixit Ecclesiastes , universa vanitas.

Et amplius quia factus est Ecclesiastes sapiens , adhuc docuit scientiam populum , et audire eos fecit , et scrutans composuit proverbia.

Multum quæsivit Ecclesiastes , ut inveniret verba voluntatis , et scriberet rectè verba veritatis .

Verba sapientum ut sti-

8. Vanitas vanitatum , dixit Ecclesiastes , et omnia vanitas.

9. Cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes , docuit populum , et enarravit quæ fecerat : et investigans composuit parabolas multas.

10. Quæsivit verba utilia , et conscripsit sermones rectissimos , ac veritate plenos.

11. Verba sapientium sic-

quarum animantium spiritu . Ad Genesim autem rotundè docet , neque ibi , neque Eccl. xii. 7. agi de immortalitate animorum , quippe quæ non primæ , sed novæ creationis sit : hoc est , non antiqui Testamenti , sed novi : atque ideo in Apocalypsi passim , sanctorum animas Deo viventes iintroducit : post novi quidem Testamenti graniam , non antea . Quin etiam ad hæc verba : omnes autem vivunt ei , Luc. xx. 38. hæc habet : Atqui mortui tunc erant : sanè : sed vivunt quoad Dei potentiam , quæ potest mortuos vitæ meliori reddere : ipse enim est vocans ea quæ non sunt , tanquam ea que sunt : quæ quidem nec veretur extendere ad patriarchas ipsos Abrahamum , Isaacum , Jacobum et horum , inquit , similes : ac proinde illi quoque eorum numero qui non sint , reponuntur . Quæ quām à christianæ theologie plaeitis abhorreant , nemo non videt . Alia autem multa , quibus ille et ecclesiastica , et sua quoque meliora convellit , suo loco notari operæ pretium ducimus : ne plus æquo credant scriptori progradienti paulatim ad catholicam veritatem , sed non eam professo , multaque ex inolitis erroribus retinenti ; quod , etsi viro favemus , veritatis amore , ac fraterni periculi metu , tacere non possumus .

<sup>8</sup> *Vanitas vanitatum* . Confectâ probatione quam toto libro suscepit , ad caput redit , meritòque infert vanâ esse omnia : sub sole quidem ut semper : quare animum altius , atque ad Deum ipsum evchi oportere , ut statim concludit , ¶ 13.

11. *Verba sapientium* . Postquam stultas quæstiones et opiniones

muli, et quasi clavi in altum defixi, habentibus cœtus, data sunt à pastore uno.

Et amplius ab ipsis, fili mi, cave, faciendi libros multos, quibus non est finis: et meditatio plurima, labor est carnis.

Finis sermonis verbi uni versi, auditu perfacilis est. Deum time, et mandata ejus custodi, hoc est enim omnis homo.

Quia omne factum Deus

ut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.

12. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est.

13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.

14. Et cuncta quæ fiunt,

hominum dissolvit, ad veram sapientiam, verosque sapientes sectaudos adhortatur. *Sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi:* quòd debeat hærere, et pungere, non palpare: sed errantibus et tardis pœnitentiæ dolores et vulnus infigere: Hier. *Quæ per magistrorum consilium:* valent enim verba sapientium, si non auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum omnium proferantur: Idem ibid. *Data sunt à pastore uno:* sive Salomone, antiquarum sententiarum diligentissimo collectore, v. 10. vel quòd unus magister sit Dominus: Hier. omniaque à Deo ejusque spiritu profecta.

12 *Frequensque meditatio:* commentatio, lectio, quæ omnia Heb. congruunt.

13 *Finem loquendi:* dictorum summam, ad quam lectors omnes provocat: ut jam non necesse sit petere libros, qui per hominum manus nullo fine, aut operæ pretio circumferuntur, 9, 10, 11, 12. neque se *meditationibus*, studiis, Heb assiduâ lectione conficeret, 12: sed unum id infligere animo, quod omnium caput est: librorumque omnium et cogitationum ipsiusque adeo vitæ summa: *Deum time:* hoc est omnis homo: ut alia, quibus se homo torquet, ne ad hominem quidem spectent. Clara ergo conclusio, quòd omnia hujus libri dicta collimant, ut quando omnia vana sunt sub sole, ad id convertamur quod sit æternum.


14 *Et cuncta quæ fiunt:* etiam in vitæ fine: alioquin ea pars vitæ

adducet in judicium de adducet Deus in judicium  
omni abscondito , sive bo- pro omni errato , sive bo-  
num , sive malum sit. num , sive malum illud sit.

quæ præcipua est, à Deo judgee immunis esset. *Pro omni errato*  
*pro omni occulto , abscondito : Heb. ut non modò aperta, sed*  
*etiam occulta peccata Dei judicio subsint, neque evadendi locus.*  
*Hinc dictorum finem, hanc summam pariter omnes audiamus , in*  
*eaque aquiescamus : ita faxit Deus.*

---

CANTICUM CANTICORUM  
SALOMONIS.



# PRÆFATIO IN CANTICUM CANTICORUM.

VERBI Dei, seu Sapientiæ divinæ, atque Ecclesiæ, sublimumque, quibus illa maximè constat, animarum miram conjunctionem, miros amores Scriptura prædicat. Verbum enim illius amoris vi pertractum in terras suscepit hominem, et sublimes animas adjunxit ita sibi, ut, teste Paulo, unus cum eo sint spiritus. (I. Cor. vi. 17.) Ecclesiam quoque, ac sublimiores animas, Verbo ad se accedenti, miram amoris rependere vicem, testantur illa Pauli, *Mihi vivere Christus est*: (Philip. 1, 21.) et illud Davidis, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*: (Ps. LXXII. 28.) et illud, *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*: (LXXXIII. 3.) aliaque ejusmodi. Hos ergo amores Salomon ille templi conditor, quo veram Ecclesiam adumbravit; et pacifici nomine Christum repræsentans, de quo item, ut speciali Christi figurâ, dictum est, *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium*; (II. Reg. VII. 14.) hos, inquam, amores Salomon in hoc Cantico, miris affectibus, mirâ varietate et concinnitate cecinit. Hujus autem Christi cum Ecclesiâ conjunctionis, in conjugali amore sancto illo, castoque, ac divinitus instituto, vivam expressit imaginem. Quo etiam sensu in Proverbiis, *Posside sapientiam..... dilige eam, et conservabit te..... arripe illam, et exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris*

I.  
Christi  
cum Ec-  
clesiâ,  
sanc-  
tue ani-  
mabus  
con-  
junc-  
tio, con-  
jugalis a-  
moris fi-  
gurâ ac  
sacra-  
men-  
to, adum-  
brata.

*amplexatus* : (Prov. iv. 5, 6, 8.) quod interpretatus ille, qui Salomonis nomine ac spiritu, librum Sapientiae scripsit : *Hanc amavi*, inquit, *et exquisivi à juventute meā*, *et quæsivi sponsam mihi eam assumere*, *et amator factus sum formæ illius* : (Sap. viii. 2.) quare per omnia Scripturæ volumina hæc imago diffusa est; neque quidquam frequentius, quam sponsi et sponsæ nomine, Dei et Ecclesiæ æternam conjunctionem, amorem vehementissimum, firmam et incommutabilem fidem passim denotari. Unde etiam infidelis animæ, ad falsa numina deficientis, opprobrium, adulterii, fodæque prostitutionis infamiam, prophetæ quidem omnes, Ezechiel verò omnium copiosissimè et vehementissimè expressit : (Ezech. xvi. xxiii.) Osee etiam, famosâ muliere in uxorem ductâ. (Os. 1. 2, 3.) Manavit ea similitudo ad novum Testamentum : unde illud Joannis Baptistæ, *Qui habet sponsam, sponsus est* : (Joan. iii. 29.) et passim in Apocalypsi, Ecclesia procedit ut sponsa, Christo sponso, ornatu, amore, fide dignissima; nuptiæque Agni celebrantur : *et spiritus et sponsa dicunt, Veni* : (Apoc. xxii. 17.) eo planè more, rituque, quo se in hoc libro sponsus et sponsa mutuò invitant. Quin ipse Paulus apertis verbis docet, virum et mulierem, eorumque conjugium, jam inde ab initio fuisse à Deo institutum, ut esset *sacramentum..... magnum..... in Christo et in Ecclesiâ* : (Ephes. v. 32.) ipsamque corporum conjunctionem assumit ad exemplum conjunctionis animæ cum Deo, sive, quod idem est, cum Verbo ac Sapientiâ Dei : *Membra enim, inquit, sumus corporis ejus, de carne*

*ejus, et de ossibus ejus: propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerabit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* (ibid. 30, 31.) Et iterum, *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur; erunt enim, inquit, duo in carne una; qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.* (I. Cor. vi. 16, 17.) Hæc si quis diligenter attendat, et ab opere Dei, quod est sanctum et castum, peccato inolitam foedam concupiscentiæ labem separet, facilè intelliget meritò Salomonem, conjugalis amoris et consuetudinis specie, sanctam castamque Ecclesiæ, animarumque fidelium conjunctionem expressisse. Ille autem pulcherrimus atque amantissimus Ecclesiæ sponsus, et multis sæculis expectatus fuit, nec nisi multis votis expetitus, copiam suâ fecit; et postquam ad nos venit, ac Verbum caro factum est, abiit ad Patrem, aliquando redditurus, ut nos ad se raperet, varioque respectu Ecclesia et ejus compos effecta est, et adhuc venturum expectat. Quod autem cum universâ Ecclesiâ gestum est, id quotidie geritur in fidelibus animis, ut ad eos Christus eat, redeatque per admirabiles vices, sintque animæ perfectæ quædam, quæ in altissimam contemplationem evectæ, suo quodam modo Verbo potiri videantur: quæ vota, ac suspiria, et expectantis animæ languorem, patientis fructum atque delicias, per amoris etiam humani mirificos incredibilesque motus Salomon explicanda suscipit; nullum ut vitæ christianæ in Christum crescentis gradum prætermisisse videatur. Quo etiam factum est, ut sublimes animæ hoc Cantico semper mirum in modum delectarentur, in coquæ voluptatem Domini, ubertatemque degustarent.

II. Et quidem Salomon se, castosque suos erga filiam Pharaonis affectus, in exemplum profert; dumque in verâ historiâ ea singit, quæ flagrantissimo amori congruant, describit aptissimè, sub elegantissimæ fabulæ involucris, cœlestes amores, Christique et Ecclesiæ conjunctionem canit. Unde Bernardus : Serm. 1. in Cant. « *Rex Salomon sapientia singulare assumpti, » ris, sublimis gloria, rebus affluens, pace secundum ex Psalmo XLIV, » rus,... divinitus inspiratus, Christi et Ecclesiæ laudem utriusque discrimine, » des... et æterni connubii cecinit sacramenta:... et usque carminis » epithalamii carmen, exultans in spiritu, jucundo » compositum elogio, figurato tamen; velans et ipse, ne. » instar Moysi, faciem suam,... quod rari erant eorum tempore, qui revelata facie gloriam istam speculari sufficerent. » Quibus verbis ut totam Salomonis Christum figurantis dignitatem, ita totam hujus carminis rationem expressit. Suavissimo Canticō præluserat ipse sanctus David Psalmo XLIV. propheticō spiritu, seu quisquis ille fuit, qui eodem spiritu plenus eructavit sermonem optimum, Salomonique conjugium inituro epithalamium cecinit, eademque figurâ Christi et Ecclesiæ nuptias celebravit. Id tamen discrimen est, quod ille victorias, prælia, atque heroica prosecutus est; noster autem Salomon amoris vim, ac suavitatem carmine molliori complexus. Sed ne parum congruè, regio nomine, in amatorios sensus, ac verba deflueret, majestate tantisper sepositâ, pastorem induit, et in idem vitae genus Pharaonis traduxit filiam; ac sub eâ figurâ divinissimam fabulam iusit. Porro Judæos delectabat innocentissimæ pariter, atque occupatissimæ pastoralis vitae commemoratio, quam ab initio generis humani op-*

timus quisque, ipsique Patriarchæ cæteris prætulissent; neque illud indecorum, quòd rex pastorem egerit, recordatus reges in Scripturis passim pastores appellari, patremque Davidem ab ovibus, ad Dei populum pascendum, vocatum fuisse. (Ps. lxxvii. 70, 71.) Quin etiam instituto operi congruebat, ut velut è solio descendens, amatorem ageret, celebraturus eum, qui victus amore, è paterno sinu ad nostra delapsus est; neque mysterio vacat, quod Ægyptiam à se ductam canit, quæ est imago Christi, Ecclesiam ex alienigenis ac gentibus congregantis: quòd etiam pertinebat illud: *Audi, filia, et vide:... et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.* (Ps. XLIV. 11, 12.) Hoc igitur Salomonici carminis institutum est.

At postquam antiquos mores imitatus, pastoralem eclogam canere aggressus est, eam in septem dies divisisse videtur. Neque enim diei ac noctis passim in hoc Canticō recurrentis vices temerè memoratas arbitrari nos decet. Quid enim illud semel bisque inculcatum: *Adjuro vos, ne evigilare faciatis dilectam:* (Cant. II. 7. III. 5.) et illud: *donec aspiret dies, et inclinentur umbræ:* (ibid. II. 17. IV. 6.) haud minore studio repetitum? nonne perspicuè indicant aliquot dierum ac noctium seriem? Quid quòd sponsus bis per noctem à sponsâ quæritur, sponsa bis in custodum manus diversissimis circumstantiis incidit? (Ibid. III. 1, 2, 3. V. 2, 6, 7.) An hæc temerè effutita, sponsaque nullo ordine dormitat aut vigilat? quis hoc de pulcherrimo atque artificiosissimo carmine crediderit? Apertè ergo indicat Salomon, hîc distinguendos dies, eorumque initia, ubi obs-

III.  
Nuptialis festivitas per septem dies: hinc hujus dramaticis sive eclogæ pastoralis constitutio; quæque personæ inducantur.

curiū latent, tamen esse inquirenda: neque enim omnia eodem tenore dici, artis ac variandi operis ratio sinebat. Cur autem has somni et vigiliæ, dieique ac noctium vices, ad septenum numerum revocaremus, causa in promptu fuit; quippe quòd antiquis Hebraeis usitatum, ut nuptias per septem dies celebrarent: unde Laban Jacobo se delusum querenti, propter inductam loco Rachelis Liam: *Impie, inquit, hebdomadam dierum hujus copulæ; et hanc quoque dabo tibi:* (Gen. xxix. 27.) et ab ipsâ origine mundi, propter requiem Domini, septem dierum circulus, multis quidem populis, ac Patriarchis maximè, eorumque posteris commendatus est; manavit enim ad universam gentem mos, omnia ferè solemnia per hebdomadam peragendi: hinc et luctus septem dierum, et festi dies ferè in hunc morem compositi, maximè verò nuptialis festivitas: sic Samson, ductâ uxore Philistæâ, (Jud. xiv. 12, 15, 17.) septem dies convivii agitabat, dieque septimo finiebatur celebritas; et Raguel profecturum post nuptias Tobiam jñiorem adjuravit, ut duas hebdomadas moraretur apud se: (Tob. viii. 23.) conimorationis scilicet tempus ad hebdomadam revocans, duplicarique tantùm postulans à genero, nunquam ad se postea reddituro. Hujus rei constans est apud Judæos traditio, expressa imprimis à Rabbi Eliezer in sententiis Patrum: (Pirce Abot. c. 16.) adeoque hujus ritûs tenaces esse memorantur, ut qui plures sponsas simul duceret, eum singulis singulas hebdomadas epulares impendere, easque cum æqualibus adolescentulis, choreis et lusibus peragere doceant. Congruum ergo Salomoni visum est, septem die-

rum spatio carmen nuptiale definire; quos dies, diligentissimè, quoad fieri poterit, certis notis distinctos, in iisque vitæ perfectæ incrementa dabimus. Porrò Salomon hoc carmen, majoris suavitatis ac varietatis gratiâ, dramaticum esse voluit. Collocutores, Sponsus, ipse Salomon, et in eo delitescens Christus; Sponsa, quæ et Ecclesia, et sublimiores animæ; Puellæ, sponsæ comites adolescentulæ, animæ infirmiores, quæ tamen nonnullo sponsi, ac sponsæ amore teneantur: et hoc Salomon ex Ps. XLIV. ad suum carmen transtulit; sic enim Psalmi auctor ad Salomonem: *Astitit regina à dextris tuis: et, Adducentur regi virgines post eam: adducentur in templum regis:* (Ps. XLIV. 10, 15, 16.) id etiam ex Hebræorum moribus, apud quos et juvenes et puellæ sponsis comites addebantur; quod etiam in Samsonis ac Philistææ nuptiis factitatum, (Jud. XIV. 11.), delectique juvenes triginta numero, qui cum Samsone essent. Neque puellis deerant æquævæ virgines; unde etiam in Evangelio decem illæ memorantur: (Matt. XXV. 1.) memorantur et amicus sponsi, et filii sponsi, sive nuptialis festivitatis comites, (Joan. III. 29. Matt. IX. 15.) prorsus ex antiquis ritibus. Legimus etiam apud Theocritum elegantissimum idyllium de Menelai et Helenæ nuptiis, (Epith. Hel. Id. 18.) quo multa ex priscis illis moribus etiam ad Græcos traducta reperias. Certè coævæ virgines præsto sunt; quarum è numero selectæ duodecim, nobilissimo genere, ac Lacedæmonis decus, quæ ipso in vespere, ipso nuptiali thalamo, epithalamium canerent, festasque choreas ducent. Has igitur haud immeritò sponsæ comites

dixeris, à Salomone toties memoratas. Sic interveniunt sacro dramati Sponsus, Sponsa, Chorus comitum, sive aliarum quarumcumque puellarum; sive Hierosolymitanarum, sive etiam agrestium: chori enim variant interdum, nec unius sunt generis, neque desunt mutæ personæ, nempe amici sponsi.

## IV.

A quibus et quo spiritu hoc Canticum legendum; qualesve interpretes habuerit.

Hos igitur sponsi et sponsæ castos amores, qui ad amorem divinum, propter quem hæc scripta sunt, referre velit, is necesse est, ut humanum amorem divinumque complexus, hanc allegoriam exequatur; neque enim aliter, quām ex eorum nexu interpretatio apta consurgat. Quā in re haud leve periculum est, ne amoris humani fluxā licet gratiā deliniti sensus, animum ab excelsā sede dejiciant: neque immeritò ab hoc Cantico arcebantur adolescentuli, proni ad voluptates; teste Origene, in Proleg. utriusque operis in Cant. et Hieronymo passim, Præfatione in librum 1. Comment. in Ezech. etc. Procul ergo hinc illi, qui terrena sapiunt, animales, spiritum non habentes: adsint casti castæque, qui sanctum amorem spirent, Deoque, qui est caritas, adhærescant; accedant boni sanctique interpres, qui non se immergent carnalibus, sed qui amorum humanorum sensus, et voluptates, ut periti musici chordas, levi dīgito pulsent, tantū ut amoris divini suavissimum sonum eliciant; qui, ut hoc quoque ex Canticis sumamus, capræarum cervorumque more, vix pede terram attingant, mox transiliant sensus humanos, atque ad excelsa se efferant. Tales dedit Christus Ecclesiæ suæ Canticorum interpres: principem omnium Origenem, de quo

hæc meritò Hieronymus, ejus Commentariorum fidus interpres: *Origenes cùm in cæteris libris omnes vicerit, in Canto Canticorum ipse se vicit.* (Præfat. in Orig. Cant.) Hunc sequitur Philo Carpatherius, quarti sæculi Episcopus, quos imprimis complexus est sanctus Bernardus, quanquam ipse habuit docentem se de omnibus cœlestem unctionem. Hos maximè auctores seculi sumus; nec prætermisimus Theodoreum, Gregorium Magnum, Aponium, Bedam, hisque accinentem sanctum Thomam Aquinatem; neque è recentioribus Gasparem Sanctium, Societatis Jesu Theologum, aut Libertum Fromundum Lovaniensem; qui que nostro ævo ex Augustinianâ familiâ Aloysius Legionensis, divinorum librorum apud Salmanticenses interpres, Cantica Canticorum explanavit, pari pietatis, doctrinæ et elegantiæ laude: nec desuit sanctus Ambrosius, apis instar, mellitissimâ oratione passim hunc librum depascens. Hos semel honoris causâ appellatos, nihil necesse erit ubique nominatim adducere; sed addere licebit, quæ sacri textûs sensibus eruditis congrua videbuntur. Cæterùm hæc Salomonis cantio tota scatet deliciis; ubique flores, fructus, pulcherrimarumque plantarum copia, veris amœnitas, agrorum ubertas, horti vernantes, irrigui; aquæ, putei, fontes; odoramenta, sive arte confecta, sive quæ sponte suâ humus parturit; ad hæc columbæ, turturum voces, mella, lac, vina liquentia; postremò in utroque sexu formæ honestas ac venustas, casta oscula, amplexus, amores tam pudici quam blandi; si quid horrescit, ut rupes, ferique montes, ac leonum cubilia, totum ad volupta-

tem , ac velut pulcherrimæ tabulæ ornatum varietatemque compositum. Quorsum ista ? nisi ut eorum specie delectati, sciamus quanto horum Dominator speciosior sit , (Sap. xiii. 3.) divinique amoris Canticum ordiamur : cuius quidem Cantici, teste Gregorio , hæc ratio est, hæc vis , ut loquentes de corpore , extra corpus fiant, humanique amoris discant sermonibus , quâ virtute in divinitatis amore serveant. ( Procem. in Cant.) Non ergo prætermittendus amor humanus , sed danda opera , ut ad divinum velox sit transitus ; ne machina , quæ ponitur ut levet , ipsa magis opprimat et aggravet. ( Ibid. ) Hæc igitur præfati , jam aggrediamur divinissimum librum , quem qui legerent , eos legendi fructum hunc ferre volumus , ut quoties amoris vim incredibilem irrequietamque viderint , aut nullâ ex parte senserint , tantos animorum motus , indignos quo cumque creato ac fluxo bono , ad verum pulchrum bonumque transferri oportere cogitent. Det autem ipse Christus , ut amatorium ac nuptiale carmen amore inflammati tractemus , accensisque lampadibus Sponsum ac Sponsam faustis vocibus prosecuti , intremus cum eis ad nuptias. Amen , amen.

---

# CANTICUM CANTICORUM\*

## SALOMONIS.

---

### CAPUT PRIMUM.

*Osculum oris: ubera: odores: tractio: cellarium: nigra, sed formosa: ornatus: pulchritudo: lectulus: tigna: laquearia.*

1. **O**SCULETUR me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino ,

\* *Canticum canticorum.* Non tam quòd sit omnium longissimum, quam quòd sit omnium longè præstantissimum; neque tantum inter ea cantica, quæ Salomon benè multa composuerat, (*fuerunt enim carmina ejus quinque et mille*: III. Reg. iv. 32.) sed etiam inter omnia quotquot sunt cantica, cùm in eo canatur præcellentissimum incarnati Dei et Ecclesiæ sacramentum, eaque quæ nunquam excidit, et virtutum omnium major est, caritas. Unde Bernardus ait, Serm. 1. in Cant. n. 8. « Pro sui excellentiâ, nuptiale hoc cārmen » hujusmodi titulo præsignatur, ut meritò Cantica Canticorum singulariter appelletur; sicut is quoque cui canitur, singulariter est dictus, rex regum, dominus dominantium. *Salomonis:* pacifici, quod nomen convenit principio libri, qui incipit à signo pacis; quod est osculum ». Bern. ibid.

#### PRIMA DIES.

<sup>1</sup> *Osculetur me osculo.* Peracto ex more nuptiali couvivio, solemnique precatione factâ, cuius exempla et in Genesi et in Tobiæ libro habentur; Gen. xxix. 22. 23. Tob. vii. 15, 17, 19. sponsa castissima vesperi ad virum introducta est: ibique sumendum nuptialis hebdomadis initium, Hebræorum more, qui dies à vesperâ numerabant. Sponsus autem summo mane, quod passim in hoc libro videre est,

amore quidem incensus, nihil tamen infractus ad mollitiem, consueta rusticanae pastoralisque vitae officia repetit. Interim sponsa evigilans amore tabescet; cumque puellæ comites frusta solatia, frusta fomenta adhiberent, desideriis votisque confecta, prorumpit in has voces: *Ipse, ipse unicum solatum, atque unicus amor, ipse osculetur me osculo oris sui: osculo: ex osculis.* Heb. id est, uno ex osculis; quasi diceret: volo quidem, congeninet et conturbet oscula; sed interim reficit vel unum. *O. is illius pulcherrimi, suavissimi, facundissimi: quo, more amantium, totam infundat animam, et eliciat meam:* Amb. de Isaac, cap. 3. *Miki enim vivere Christus est:* Phil. i. 21. et, *Vivo autem, jam non ego:* Gal. ii. 20. Ecclesia igitur quam parte perfecta est, hoc est, sublimes animæ divino amore percitæ, unoque spiritu afflatæ, conjunctim et singulatim hæc dicunt, et synagoga quidem: *Qui tamdiu locutus est per prophetas, ipse nunc adsit.* Ecclesia verò novi Testamenti, quam hic magis spectamus, jam nupta, jam potita, postulat, ut non per speculum et in ænigmate ac per fidem, sed ipse manifestâ in luce resplendat. Ac sublimes animæ, alii alia; ego sacrosanctum osculum flagito, non pedum, quod pœnitentis est, sed oris, quod est sponsæ. Sponsa porrò sponsi osculo perfruitur, dum verba vitae percipit, et velut in ipso dicentis ore legit, diffusaunque in labiis haurit gratiam; Ps. XLIV. 3. exclamans cum Petro: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae æterne habes.* Joan. vi. 69. Verba autem audit, non sonantia foris, sed intus immissa, ipso Spiritu sancto infuso, quod Patris et Filii osculum est. Hic ergo exhibetur anima justificata à peccatis, et conjugata Verbo: quæ jam conversa sit ad perfectiorem vitam et Christum experta, amplexus repeatat. Ad amoris impetum pertinet statim ab osculi desiderio inchoare, nullâ circuitione, ac sponso nequidem appellato. Sic Maria Magdalene ad Christum, quem hortulanum putabat; *si tu sustulisti eum.* Joan. xx. 15. Ad eundem impetum pertinet, quod ab unâ personâ statim ad aliam transfertur oratio; à comitibus ad sponsum, quem, amore capta, ut præsentem alloquitur, cum ait: *Meliora sunt ubera tua vino: ubera tua: amores tui:* Heb. nunc et ita passim in hoc Cantico. Antiqui autem interpres habent *ubera*, haud magno discrimine utriusque vocis apud Hebræos: neque abludit sensus; *ubera enim deliciae meræ, amores meri;* quæ sponsi *ubera* Patres intelligunt duo testamenta amorem spirantia, promisso primùm, deinde exhibito Christo. *Ubera autem matrem et nutricem sonant.* Quisquis ergo vult Christi hærere uberibus, atque inde lac sugere, simplice animo ad christianæ vitae redcat infantiam. *Meliora: vino:* sic illa apud Salomonem: *veni:*

**2. Fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te.**

**3. Trahe me : post te curremus in odorem un-**

*inebriemur uberibus : sive amoribus. Prov. vii. 18. Inebriat Christi amor, ac mentem extra se rapit. Unde Paulus : Sive mente excedimus, Deo : sive sobrium sumus, vobis. II. Cor. v. 13. Et nolite inebriari vino.... sed implemini Spiritu sancto. Ephes. v. 18. quam ebrietatem, in discipulis Spiritu pleni, Petrus agnoscit. Act. ii. 15, 16, 17.*

**2 Fragrantia unguentis optimis :** ad odorem unguenta tua optima : Heb. Idem iisdem verbis sponsus sponsæ dicit, infrà, iv. 10. Habet Christi amor omnia quibus animæ capiantur : inest gustus velut sapor vini ; inest vis delectans et inebrians animas ; inest fragrantia à longinquò etiam alliciens, qui verus est christianæ gratiæ fructus, ut longè licet positi, et extra nos rapti, ad Dominum trahamur, ut habet sequens versus. Christi ergo bonus odor est prædicatio Evangelii, et suavitas gratiæ. *Oleum :* eadem vox Heb. quæ suprà, unguentum. *Nomen tuum :* nam ab unctione, Messiæ seu Christi nomen : quod Evangelii prædicatione toto terrarum orbe diffusum est : et consonat illud Psalmi XLIV. 8. *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus.* *Adolescentulæ :* fideles animæ in novitate vitæ ambulantes, ac spiritu, velut musto recente, plenæ.

**3 Trahe me : post te curremus.** Cupit sponsa tam arctè alligari sponso, ut quocumque ierit pertrahatur : neque, inquit, invitam rapies, ego enim et comites ultro sequemur, et quidem cursu, unguentorum tuorum suavitate perductæ. *Trahe me,* qui dixisti : *Omnia traham ad me ipsum :* Joan. XII. 32. et, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum :* ibid. vi. 44. *In odorem unguentorum tuorum :* deest Heb. Rectè tamen explicationis causæ ex antè dictis repetitum. *Post te curremus;* si traxeris. Omnis enim qui audivit et didicit, venit ad te, ibid. 45. neque quisquam sapientiæ se conjungit, nisi quem ipsa prior invitaverit, infunderitque aliquid suî. Sponsa ergo, quantumvis vehementissimo amore incitata, agnoscit se, nisi tractam, blandâque vi duetam, accedere non posse. *Præclarè Ambrosius;* lib. III. Ep. 11. *Anima osculata Verbum Dei, modum non capit.... Cupit attrahi ut sequi possit. Propterea adolescentulæ dilexerunt te : propterea certamus, sed comprehendere te non possumus : attrahe nos ut possimus currere, ut odore*

guentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus et lætabimur in te , memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te.

4. Nigra sum , sed formosa , filiae Jerusalem , sicut tabernacula Cedar , sicut pelles Salomonis.

*unguentorum tuorum , accipiamus virtutem sequendi.* Idem. n. 10. de Isaac 3. *Attrahe nos ; curremus : habemus enim cupiditatem sequendi , quam unguentorum tuorum infundit gratia.* Sed quia cursus tuos æquare non possimus , attrahe nos , ut auxilio tuo fultæ , vestigiis tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris , curremus et nos . En suavis prædicatio gratiæ. Trahe me : curremus: quòd Ecclesia et una sit et plures omnesque animæ in eam unitatem concurrant ; tum quòd sublimes animæ ut Petri , ut Pauli , validè tractæ , aliis verbo et exemplo pertrahendis inserviant. *Introduxit me rex , in cellaria :* in cubicula sua : Heb. in secretaria , in thalamum , sive conclave intimum ; in arcanos Scripturarum sensus. Et quidem non mirum est quòd amantissimus novæ sponsæ ostendat omnia : illud suavissimum , quòd ad intima deduxerit beatis amplexibus fruituram ; atque id ipsa sponsa jactat ad comites , quod sublimiores animæ interdum faciunt , ut et inferiores trahi se sinant , tum etiam ex gaudii redundantia. *Rex :* tametsi rex Salomon hic ludit cum Sulamite regis filiâ sub pastoralis vitæ formâ , tamen interdum majestatis signa præser-tim ex personâ sponsæ resumit , gratioremque familiaritatem facit ipsa majestatis recordatio. Quoties autem sponsa vocabulo regis uti-tur , significare videtur , animam ad divinam Christi naturam carne transgressâ penetrasse ; unde hic in cubiculum , in ipsum penetrale admittitur. *Exultabimus in te :* statim enim ad sponsum reddit. *Recti diligunt te :* eò sponsæ carior , quòd bonis omnibus amabilior ; et meritò ad Christum ; *recti diligunt te :* tu es enim ipsa veritas , tu rerum omnium regula et modus.

4 *Nigra sum , sed formosa :* aliud enim est color . aliud venustas oris ac lineamentorum membrorumque , et totius corporis apta conexio ; nigra autem sive fusca , quia perusta sole ; colore adventitio , qui facilè detergatur , unde infrà , vii. 2 , 4. candor ejus prædicatur. Sponsa autem , sponsi pulchritudine intellectâ , veretur ne parum illi placeat , fateturque se decoloratam anteactæ vitæ peccatis. Excusat tamen eum colorem , quòd non tam nativus sit , quâm aliunde adveniret , formosæ ex opere Dei , deletisque peccatis ad primævi

5. Nolite me considerare , quòd fusca sim , quia decoloravit me sol : filii matris meæ pugnaverunt contra me , posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi.

6. Indica mihi , quem diligit anima mea , ubi coloris splendorem et gratiam reddituræ . *Sicut tabernacula Cedar:* Adducit quæ et nigra placeant , ut tentoria Arabum ac præsentini Salomonis ipsius , quæ caprinis pellibus per se nigris exterius tecta , intus tamen aulæis ac tapetibus pretiosis nitent ; quâ prope figurâ dixit Virgilius , Ecl. 10.

*Et nigræ violæ sunt , et vaccinia nigra :*

nisi quòd hic exempla magnificentiora protulit Salomon . Ecclesia igitur in terris peregrinata verè simillima est regiis tentoriis soli , pulveri , pluviae expositis , adeoque extrâ deformibus ac uigris , intus ornatis . Sic se habet Ecclesia , verbum crucis ac stulta Dei prædicans : I. Cor. 1. 18 , 25. quæque in mysterio abscondita est sapientiam , ibid. 11. 7. apparentque extrâ ignobilia mundi , ibid. 1. 28. et Paulus cuius sermo contemptibilis , ac præsentia corporis infirma ; II. Cor. x. 10. intus , arcana sapientiæ Dei , meritòque Salomon Psalmistæ accinit dicenti : *Omnis gloria filiæ regis ab intus. Ps. XLIV. 14.*

5 *Nolite me considerare , quòd fusca sim.* Solent mulieres excusare decoloratum vultum , ejusque causam in alios refundere . Sic ista , cuius specie fideles animæ adumbrantur , coactam se dicit à fratribus alienam custodiire vineam , cùm delicata nec custodiret suam . Hoc autem competere videtur Ecclesiæ in pastoribus , quos ad custodiendam vineam , ipsam scilicet Ecclesiam , fraterna cogit caritas , cùm se ad se ipsos custodiendos minimè sufficere posse putent ; atque hinc maculæ ex necessitate conversationis humanæ ; quod sæpe Augustinus , Gregorius , Ivo Carnotensis vir sanctissimus , et alii deplorant , ac solitudinis desiderio suspirant . *Decoloravit me sol : vehemens tentatio , meridiano ardori comparata : unde dæmonium meridianum. Ps. xc. 6.*

6 *Indica mihi.* Hic incipit intervenire sponsus , velut dilectæ sponsæ citatus suspiriis et clamoribus ; exoriturque blandum utrinque colloquium ; et illa confestim : *Indica mihi* : quasi diceret : tardus advenis ; at si venire te pigebat : *Indica mihi..... ubi pascas , ubi*

pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.

*cubes* : ipsa enim ultro accurram. *In meridie* : non me ardor meridianus à te insequendo prohibebit. Indica ergo mihi quam umbram refrigerando pecori seligere soleas, ad quas aquas pascas gregem. Sic anima fidelis Deum pastorem querens ait: *Dominus regit me..... super aquam refectionis educavit me..... virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*: Ps. xxii. 1, 2, 4. Et boni pastoris vocem oves audiunt, cumque sequuntur, et ingrediuntur, et egrediuntur, et pascua inveniunt. *Joan. x. 3, 4, 9*. Anima ergo Christum querens, ab ipso petit, ut indicet ubi requiescat, ne post philosophos, aut sapientes lujus saeculi, aut post pseudoprophetas et hæreticos, similitudine quâdam delusa aherret; neque enim sponsum, nisi ipso indicate, invenerit. *Ne vagari incipiam* : quid enim ero, quasi declinans ad greges sodalium tuorum? *Heb. quod concitatius est* : vult enim sponsa statim ac facilè invenire sponsum nou ab aliis, etiam sodalibus, aut qui sodalitij titulo gloriantur, ubi soleat esse, percoutari.

7 *Si ignoras te* : si ignoras tu, *Heb. abi post vestigia gregum* : atqui hoc erat ipsum quod sponsa verebatur, ne de grege in gregem vagari oporteret. *Ific ergo videtur subirasci sponsus, quòd ignoret sponsa ubi ipse versari soleat* : quid enim? an amantem nescire oportet, ubi dilectus consuecat? sanè amans et scire et sciri vult. Itaque ignorantia, ambigua, nec satis ad se inveniendum profutura respondet. *Egredere ipsa quò vis*; neque enim te docbo: *et abi post vestigia gregum* : quere ipsa locum, et vagis gregum insiste vestigiis: quin etiam ipsa *pasce hædos tuos*: gregem tuum tibi habe si velis: *juxta tabernacula pastorum*: cum aliis versare pastoribus: non enim me inuenies. Sic ergo sponsæ irascitur, quâ reprehensione docta ac facta diligentior, regantibus puellis quò ille declinarit, locum ipsa indicat. v. 17. vi. 1. *Pulcherrima* : pulchra quidem, sed parum sponsi studiosa. Itaque Patres uno ore hic volunt increpatam sponsam; sponsamque indignatum respondisse, ut siquidem ipsum ignoraret, egredieretur quò vellet, nec jam ut antea manifestam viam,

8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavite, amica mea.

9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis : collum tuum sicut monilia.

sed cæca et errabunda gregum vestigia sectaretur et pasceret, non agnos sed hædos, carnales sensus scilicet, eosque qui à sinistris sunt greges, sequereturque non gregem unum, ac pastorem unum, sed greges multos et pastores; quod evenire solet iis, qui suâ negligentiâ nesciant, aut etiam oblitî sint, ubi sponsus pascat. *Si ignoras te :* sic legunt et LXX. quo loco monent Patres mala multa eventura sponsæ, si seipsam ignoraverit, et ad eujus similitudinem facta esset, et à quibus peccatis liberata, et ad quam destinata felicitatem.

<sup>8</sup> *Equitatui meo : equæ meæ :* Heb. pulcherrimæ equæ, et quidem suæ, quam præ cæteris diligit : quâ comparatione illustrat formâ dignitatem; equæ ejus scilicet, quæ non indomita indocilisque lasciviat, sed quæ jam jugi patiens, aptetur currui; atque ut ille dicit, munia comparis æquare possit. Unde et ipsum conjugii et *αὐτοῖς*; nomen. Sanè apud Theocritum elegantissimo idyllo, quod jam in prefatione menoravimus, Thessalico equo formosissimo, et jam currui apto Helena Menelao conjuncta comparatur. *Idyl. 18.* Atque ut ad sacros libros revertamur, *Apoc. xix. 11.* equus albus super quem in Apocalypsi sedet Verbum Dei, significat beatas animas, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant talem sessorem super se: ut quocumque ipse voluerit, flectat eas, et ad omnia ducantur et reducantur voluntate sessoris. Origenes hic. *Hom. 2. Pharaonis : Ägypti* meminit, unde optimi equi adducerentur; alludit et ad sponsam ex beatissimâ et opulentissimâ regione deductam. Ex hoc versu incipiunt *ἀπολέσαι*, alterni seu reciproci sermones, ferè ex comparisonibus: quæ nota in eclogis, semperque alia ex aliis clariora.

<sup>9</sup> *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis :* ita LXX. lœves, decoræ, atque ex ipso candore subrubræ visæ: faciem ejus laudat, et genarum rubore succenditur. *Pulchritudo quippe mulierum in genis dicitur esse quād maxima.* Origenes. *Hom. 1. Collum tuum ut monilia :* ex LXX. collum tuum etiam nudum, ac sine ullo decore per se pulchrum, sibique est ornamentum: ibid. elegantissimum: tamen Heb. aliter. Pulchræ sunt genæ tuæ in gemmis: (pendentibus circum et è capillatura defluentibus) collum tuum in monilibus. Spon-

10. Murenulas aureas faciemus tibi , vermiculatas argento.

11. Dum esset rex in accubitu suo , nardus mea dedit odorem suum.

sam laudat, quod nativae speciei congrua ornamenta aptare noverit. Spirituali ac vero sensu : *Liga (legem Dei) in corde tuo jugiter , et circumda gutturi tuo : Prov. vi. 21. ut addatur gratia capiti tuo , et torques collo tuo.* Ibid. 1. 9.

<sup>10</sup> *Murenulas aureas* : ornamenti genus : eadem vox quæ suprà per torturem vertitur. *Murenulas aureas* : *vermiculatas argento* : quas antiqui interpres aurum tortile , argenteis clavis seu virgulis interstinetum vertunt. Gregorio, inauris : ad similitudinem pisciculi qui captus se in circulum vertat. Hieronymo autem hujus interpretationis auctori, *murenula* quid esset, ipse melius exponet; aurum scilicet colli , quod quidem murenulam vulgus vocat, quo scilicet metallo in virgulas lentescente , quædam ordinis flexuosi catena contextur. *Ep. xv. ad Marc.* Recentiores addunt, colluentes gemmas. Ut cumque est , sponsus significat , quandoquidem dilectæ hujusmodi ornamenta cordi sint, sibi quoque ac sodalibus voluptati futurum, ut ei compingant talia: *faciemus*, inquit, *tibi*. Spirituali sensu : ego et qui verbum meum ministrant , variis te dotibus ornabimus, mixto caritatis auro cum argenti, sacrique eloquii, virtutumque omnium gemmis. Quale ornamentum sanctis animabus apparabat Paulus colligens *fructus spiritus*, quales sunt: *caritas, gaudium, pax, etc.* *Gal. v. 22, 23.* Quanto autem studio animas, sponsas sibi destinatas Deus exornet, his verbis docet apud Ezechiel: *xvi. 11, et seqq.* *Ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torqueum circa collum tuum; et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo.* Sponsus amantissimus in sponsâ nihil inornatum relinquit: et dona donis cumulat: *habenti enim dabitur et abundabit.* *Lue. xix. 26.*

<sup>11</sup> *Dum esset rex..... nardus mea* : tam exquisita, tam odorata erat. Sponsa enim jaetat suam in conquirendis odoramentis quibus rex delectetur industriam, et illa quidem sponsi laudaverat fragranciam, quæ pertracta ad ipsum curreret: *¶. 2, 3.* nunc autem sponsum eadem arte conciliat. Christus quoque et nos trahit nominis sui famâ, ac dulcedine, et à nobis trahitur odore virtutum. Neque enim tamen Christo , sed etiam piis animabus sua odoramenta sunt, quæ

12. **Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.**

13. **Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.**

14. **Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.**

*sunt orationes sanctorum*, Apoc. v. 8. viii. 4. castusque verbi amor sponsum ad animam invitans, ut in eam cum Patre veniat et maneat. *Joan. xiv. 23.* Antiqui etiam sancti suavissimis votis Christum venturum advocantes, assidueque clamantes: *Rorate, cœli, desuper;* eum in Patris sinu recubantem, ideoque hic regem appellatum, ad se exciverunt, *Isa. XLV. 8.* quo impletum est illud: *Et deliciæ meæ esse cum filiis honiūnum.* *Prov. viii. 31.*

12 *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Per myrrham mortuis corporibus impendi solitam Patres intelligunt Christi mortem ac sepulturam, iisque inhærentem penitentiam christianam; quam myrrham offeramus cum Magis illis, primis è gentili populo Christi cultoribus. *Inter ubera mea.* Puellæ delicate odoratos fasciculos apponunt pectori: mihi unus ille fasciculus sponsus est; semper ante oculos, ipsique pectori infixus, hoc est, principali cordis, in quo Ecclesia Christum, vel anima verbum Dei desiderii sui vinculis alligatum tenet et adstrictum. Orig. hom. 2. *Ubra. Decebat in carmine nuptiali mammae potius appellari quam pectus.* Idem. ibid. n. 5. p. 18.

13 *Botrus cypri. Copher:* Heb. Non è Cypro insulâ, sed arboris cuiusdam odoriferæ fructus. Cyprus odoramenti genus Plinio memoratum, lib. xii. cap. 24. Theodoreto notum, infrà iv. 13. ubi iterum hujus mentio. *In vineis Engaddi.* Hieron. de loc. Heb. Engaddi in campis Jerichuntiis, usque hodie vicus prægrandis Judæorum juxta mare Mortuum, unde et opobalsamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat. Balsamum autem et gustu et odoratu suavissimum, ut sponsa in dilecto delicias omnes reposuisse videatur. Botrus autem cypri, non idem est fructus cum illo qui nascitur in Engaddi vineis: sic ergo supplendum ex hebraicæ phrascos ingenio: Botrus cyprii; Botrus in Engaddi vineis, etc.

14 *Oculi tui columbarum:* columbæ oculi, amoris, suavitatis ac modestiæ pleni. Laudata Christo columbæ simplicitas procul omni

15. Ecce tu pulcher es , dilecte mi , et decorus.

16. Lectulus noster floridus : tigna domorum nos-trartum cedrina , laquearia nostra cypressina.

fictione et simulatione; laudatus oculus simplex qui recta videat ; non ille eruendus, qui videat ad concupiscentum , et nos scandalizet. *Matt. x. 16, vi. 22. v. 28, 29.*

<sup>15</sup> *Ecce tu pulcher es..... et decorus :* Aliud enim est pulchrum , aliud ipsum decens , cuius maxima vis est. Amor est pulchri desiderium , et iu ipso quies. Unde sponsa tota est in sponsi pulchritudine commendandâ. Hanc pulchritudinem Augustinus paucis comprehendit , in *Ps. XLIV. n. 3 : Nobis credentibus ubique sponsus pulcher occurrat.... pulcher in cœlo , pulcher in terrâ , pulcher in utero , pulcher in manibus parentum , pulcher in miraculis , pulcher in flagellis , pulcher invitans ad vitam , pulcher non curans mortem , pulcher deponens animam , pulcher recipiens , pulcher in ligno , pulcher in sepulcro.*

<sup>16</sup> *Lectulus noster floridus :* en deliciæ ; jam magnificentia : *tigna cedrina : laquearia cypressina :* abiegnæ : Heb. queis magnifica domus et ampla describitur , qualem decebat esse Salomonis. Neque hæc dedecebat pastorem eum , qui , Abrahæ patriarcharumque more , dives peccorum et auri , nihilo tamen secius eorum exemplo ; rusticana opera exercebat. Laboremus et nos contignare domum , Orig. firmisque fulcire nos verbi divini præsidiis. Tigna rôbori , laquearia ornamento. S. Thom. *lectulus , pax Ecclesiæ post persecutions.*

## CAPUT II.

*Flos campi : lily inter spinas : sub unbrâ : cella vinaria : lan-guor : amplexus : somnus : vox dilecti : capreæ hinnulique per-nicitas : cancelli : fenestræ : paries. Grata post hiemem veris amoënitas : flores : tempus putationis : vox turturis : vulpeculæ : dilecti ac dilectæ consensio.*

1. Ego flos campi , et lily convallium.

<sup>1</sup> *Ego flos.* Eò quòd statim dixerit : *lectulus noster floridus : 1.*

2. **Sicut lilyum inter spinas , sic amica mea inter filias.**

3. **Sicut malus inter ligna silvarum , sic dilectus meus inter filios. Sub umbrâ illius quem desideravera-ram , sedi , et fructus ejus dulcis gutturi meo.**

4. **Introduxit me in cellam vinariam , ordinavit in me caritatem.**

15. **imò , inquit , nos ipsi sumus recentes odorantesque flosculi. Ego flos campi : se floribus sponsa comparat , qui in campus atque con- vallibus , non in cultioribus hortis nascantur ; et castarum animarum modestiam ac simplicitatem exprimit.**

<sup>2</sup> **Sicut lilyum.** Cùm se lilyum appellet sponsa , resumit sponsus ; lilyum quidem eam esse , sed inter spinas , mediisque in sentibus cresentem , comitesque utcumque formosas , spinarum instar esse , si cum ipsâ conferantur : demonstraturque simul fidelis animæ pura caritas inter mundi aspera , sollicitudines , illecebras item ac fallaces divitias , quas etiam spinas Christus appellat. *Matt. xiii. 22.*

<sup>3</sup> **Sicut malus :** sicut arbores fructiferæ et cultæ inter silvestres et steriles. **Sub umbrâ illius... et fructus ejus :** tanquam arboris scilicet quæ et umbrâ delectet et fructu. Sub umbrâ autem , siquidem in principio non possumus cum Verbo proprium conferre sermonem ; verum , ut ita dicam , quâdam majestatis illius umbrâ perfruimur. Orig. Umbra etiam tutela , protectio : **Sub umbrâ alarum tuarum :** Ps. xvi. 8. Indicat sanè optatis se potitam amoribus et amplexibus ; eâ ratione quâ supervenit Spirius sanctus in Mariam , et obumbrante Altissimi virtute Verbum illa concepit : quo etiam spiritu influente fideles animæ fœcundantur. Allusum etiam ad uxoris copulandæ ritum , de quo Ruth. iu. 9. **Expande ,** inquit ad Booz , **palliū tuum super famulam tuam. Sub umbrâ illius.... sedi :** acquievi , cùm audivi dicentem : **Venite ad me , qui laboratis.** *Matt. xi. 28.*

<sup>4</sup> **In cellam vinariam :** ad verbum , in domum vini : in deliciarum sedem : quò introducti sunt illi quibus Christus enarrabat Scripturas , seque ipsum in illis ; cùm dicerent : **Nonne cor nostrum ardens erat in nobis ?** Lue. xxiv. 27 , 32. Vinum in locis mundis et ornatis , cum oleo aliisque liquoribus veteres recondebat. Qualis erat Ulyssis apotheca in edito cœnaculo , ubi testas vino et oleo plenas eum auro , argento et veste asservabat : *Odyss. g. 237.* ubi etiam thalamus erat nuptialis. **Ordinavit in me caritatem :** vexillum ejus super me

5. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo.

6. Læva ejus sub capite meo , et dextera illius amplexabitur me.

7. Adjuro vos , filiæ Jerusalem , per capreas cer-

caritas : Heb. amorem suum super me professus est , quasi vexillis expansis . LXX. et post eos Vulgata , ordinavit : unde Origenes , Augustinus et alii Patres passim intelligunt de caritate , quæ à Deo ad proximum suo ordine graduque descendit : quæ Justus Orgelit : paucis complexus : hæc est ordinata caritas , ut diligit proximum propter Deum ; sic verò diligit Deum , ut semetipsum abneget propter illum . Bernardus ad discretionem refert , quâ in cellâ vinariâ haustum ferventioris amoris poculum temperetur , serm. 49. in Cant. n. 4 , 5. et seq.

5 *Fulcite me.* In hanc igitur cellam introducta , tantique amoris recordatione permota , amore ipso deficit , fulcirique petit *floribus* : lagenis : Heb. viri scilicet potionē. *Stipate me malis* : iis scilicet quorum edore et succo languida recreetur , ut citreis , granatis , etc. Quibus designantur amori deficienti adhibita à Christo solatia , quæ nos sensibilis devotionis vocamus. His abundat anima in ipsis vitæ perfectioris initiis , eaque undecumque conquirit.

6 *Læva ejus sub capite meo* : sic per dulcia colloquia , aliasque blanditiis tandem labente die ad castos amplexus sponsa perducitur : lævamque sustentantis , dexteram amplexantis et protegentis agnoscit ; quo divinæ gratia adumbratur virtus sustentans , ac fovens et delectans. Verbum autem , velut in animæ sinu , requiescit , cum eam requiescere facit à perturbationibus , ut cum Davide canat : *In pace in idipsum dormiam et requiescam , quoniam tu , Domine , singulariter in spe constitueristi me* : Ps. iv. 9, 10. Qui animæ in Christum deflentis , in eoque acquiescentiis beatissimus somnus est ; de quo iterum infrà. v. 2. atque is prīmæ diei finis.

#### SECUNDA DIES.

7 *Adjuro vos.* Manifestum alterius diei initium : jam jam evigilatur sponsa . Suavissimo somno captam relinquit sponsus : quem interruipi vetat , quiescentique prospicit , ipse ad consueta opera profecturus . *Filiæ Jerusalem , ne evigilare faciatis dilectam.* Solebant canere duplex

vosque camporum , ne suscitetis , neque evigilare faciatis dilectam , quoadusque ipsa velit.

8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus , transiliens colles .

epithalamium ; alterum ad vesperam sponsis quieturis , alterum matutinum sponsa è cubili processurā , ut ad faustos cantus et obdormiscere et expurgisci videretur. Hujus rei testes adducimus toties ex Theocerito , Idyl. 18. citatas virgines Menelao et Helenæ gratulantes : quæ quidem ad crepusculum decantato epithalamio spondent se reddituras ad auroram , ubi primus cantor ( gallus ) , versicolorem cervicem erigens , velut canendi signum dederit. Ergo virgines jam adstantes et brevi canituras monet sponsus , ne *dilectam* excitent *quoadusque ipsa velit*. *Per capreas* , per oblectamenta vestra , per capreas et feras quas assidue insectamini : quibus significat eas esse venatrices. Palæstinis enim virginibus idem videtur , qui vicinis Tyriis , mos fuisse , gestare pharetram , etc. Æneid. 1. Libet hic observare priscos mores , si quis eorum commemoratione delectatur ; ut puellæ quoque ac virgines operibus , vigiliis , venatu assiduo exercitiae , procul à nostrorum temporum mollitie ac desidiâ viverent. Spirituali sensu : habet Christus ut piscatores , ita et venatores suos , de quibus propheta : *Mittam eis multos venatores*. Jerem. xvi. 16. Sic prohibet ne fideles animæ , quæ alios Christo venantur et capiunt , ipsam sublimem animam divino amore et altâ contemplatione defixam , in eâque suavissimè quiescentem , ad actuosam vitam revocent , quoad ipsa divino spiritu acta , eò se sponte conferat. Quo loco Bernardus , serm. 52. n. 6. *Novit sponsus .... satis propriâ caritate matrem sollicitari de profectibus filiarum , .... propterea que securè discretioni ejus credendam censuit hanc dispensationem*. Gregor. Quiescentem sponsam carnales qui sunt in Ecclesiâ importunè excitant , quia ejus vitam à vulgatis laboribus abstinentem , inutilem existimant. Capreæ et hinnuli , quorum hic passim mentio , fidelium animarum sunt imagines ; quod statim tactâ terrâ resultent , saltibusque potius quam gressibus ferantur : capreæ acutissimo visu feruntur : quippe ἀφράτις dictæ , οὐ τοῦ ἀφράτου : videre. Phil. Carp. *Dilectam* : amorem , caritatem , Heb. LXX. sponsam ipsum , amores meos , delicias meas ; imò amorem ipsum.

<sup>8</sup> Vox dilecti mei. Hæc et similia videtur primum sponsa secum ipsa loqui , ut sit in magnis affectibus ; postea autem , tanquam votis

9. Similis est dilectus meus capræ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum respi- ciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi :

10. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

vocatus et suspiriis, ipse intervenire sponsus. Illa ergo, ut sponsum semper somniabat, eum audire se putat evigilans; quin etiam videre citatis ad se passibus properantem, jam montes, jam colles transilientem more caprearum atque hinnulorum, jam proximum : et revera sponsus ad auroram egressus, ut vidimus, sed brevi reversus aderat amoris impatientia.

9 *Capræ, hinnuloque*; blanda vocabula, quibus sponsus et sponsa vicissim se compellant. Unde illud in Proverbiis, v. 19. *Cerva carissima, et gratissimus hinnulus*: ubera ejus inebriant te in omni tempore: in amore ejus (casto illo et conjugali) delectare jugiter: quæ blanditiae, ex venandi studio juvenibus puellisque communi, profectæ esse videntur: hic autem velocitatem sponsi occurrentis exprimunt. *En ipse stat post parietem*: paries inter nos et Christum, mortalitatis conditio. Paries, lex vetus Christi morte vacuata, ut solutis inimiciis, gentes cum populo Dei in unam Ecclesiam coalescerent. *Eph. 11. 15, 16.* Paries, iniquitates quæ inter nos et Deum dividunt, et abscondunt faciem ejus à nobis, ne exaudiatur: *Isa. LIX.* 2. etiam ne vox ejus penetret ad nos. Paries, creaturæ post quas stat ipse Deus per eas loquens; ac si fas dicere, paries, ipsa Christi caro oppansa divinitati, per quam dulce sonat, vimque suam exercit. *Prospiciens per fenestras... per cancellos*: non intrare ausus, ne dormientem excitaret; cum tamen velut amore victus, statim alloqui incipiat. Praclarè Ambros. *In Ps. cxviii. oct. 6. n. 18.* Sponsus tanquam lascivienti ludens amore, quia vèlit pertentare sensus amantis, sàpe egressus ut quereretur à sponsa, sàpe regressus ut invitaretur ad oscula, adstans post parietem, prospiciens per fenestras, emi- nens super retia (seu cancellos), ut non totus abesset, nec quasi totus intraret, et ipse ad se sponsam vocaret, ut veniendi ad se invicem fierent gratiiora commercia, amorisque vim mutuis adole- rent (accenderentque) sermonibus.

10 *Surge, propera. Prædica verbum: insta opportunè, importunè:*

11. Jam enim heins transiit, imber abiit, et recessit.

12. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ : tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terrâ nostrâ :

13. Ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni :

14. Columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriae : ostende mihi faciem tuam ; sonet

II. Tim. iv. 2. Properato opus, nec segnes conatus patitur aut spiritus efficacia, aut animarum periculum. *Surge* : de quiete contemplationis in quâ me unum cogitas, et *veni* ad excitandos desides animos. *Columba*, deest hic Heb. sumptum ex LXX. habetur infra 14.

<sup>11</sup> *Hienis* : persecutio[n]es, tentatio[n]es.

<sup>12</sup> *Flores* : rus invitat ipsa veris amcenitas. *Tempus putationis advenit* : age, pariter arripiamus cultellos mundaudis ac putandis arboribus et vineis. Spirituali sensu, *sectio*, *remissio peccatorum est*, moderatio affectuum : Orig. Hom. 2. in Cant. *Vox turturis* : ejus avis quæ semper in montium jugis et arborum verticibus conumoratur : n. 12. pag. 22. vox scilicet sublimium animarum, procul ab hominum cousortio degentium. *Vox turturis* : fidissimæ, castissimæque amantis, nec post unum amatorem, alterum admittentis unquam. Apon. Item, *vox turturis* ingemiscentis potius ac veluti suspirantis, quâm aliquid resonantis; quod nobis quoque solitarie agentibus inspiret pios gemitus, et ad unum Christum blanda suspiria.

<sup>13</sup> *Ficus protulit grossos*. *Ab arbore fici discite parabolam*. Matt. xxiv. 32. A proventu ramorum, foliorum, nodorum, fructuum, piarum animarum progressus cognoscite. Origenes. *Vineæ florentes*: si flores erumpunt, erit et uva: si odor, erit et sapor: ita et in piis animabus. Idem.

<sup>14</sup> *Columba mea* : columbæ similis illi solitarie, quæ in foraminibus petræ, seu rupis, trepida latitat: aut in cavernâ maceriae, in hiatibus sicci muri, sive interrupti et labentis. Age, erumpe è tuis latebris. *Ostende mihi faciem tuam* : sonet vox tua: si aperire non

vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis , et facies tua decora.

15. Capite nobis vulpes parvulas , quæ demoliuntur vineas ; nam vinea nostra floruit.

16. Dilectus meus mihi , et ego illi , qui pascit inter lilia,

17. Donec aspiret dies , et inclinentur umbræ.

vis, ostende te saltem, dignare vel verbulo, amantique ac dolenti aliquid solatii impertire. Sic amans vel exiguum quid à dilecta voluntate ferre velit; neque aliter, suo more Christus.

15 *Capite nobis vulpes*. Posteaquam sponsa tam blandè invitata consurgit , jam ad puellas sponsæ comites se convertit sponsus , casque cum ipsâ simul invitat ad insectandas vineæ insidiantes vulpeculas. Hæc igitur, inter oblectamenta rustica , secunda dies desinit , peragratisque campis, ac venatu defatigata sponsa domum anteit , multum adhortata sponsum ut nullà morâ veniat; negat enim , aut sibi sine sponso , aut ipsi sine sponsâ fas esse vivere , unde sequitur:

16 *Dilectus meus mihi , et ego illi*; quod repetit infrà vi. 2. et vii. 10. quale illud Apocal. iii. 20. *Cœnabo cuni illo , et ipse mecum*. *Qui pascit* : qui agit oves *inter lilia*. Alii : pascitur : nam ipse quoque pascitur : reficitque se in locis amoenissimis. Hoc etiam iterat infrà vi. 2. sponsum semper videns floribus , et omni veris amoenitate circumdatum. Pulchrè Ambrosius in Ps. cxviii. Serm. 2. « Pauci » possunt dicere : *Dilectus meus mihi , et ego illi*: ille dicit, qui » adhæret Deo totis sensibus, et aliud cogitare non noverit : non » ille , cui non satis est Dei filius, in quo sunt omnia: non ille , qui » jussus omnia vendere, contristatus est : ille dicit, qui potest dice » re : *Ecce nos reliquimus omnia , et secuti sumus te* ». Math. xix. 22 , 27.

17 *Donec aspiret dies* : donec redeat dies , cujus initio et aura lenis afflare solet et umbræ diffugere. De quâ aurâ Anchises apud poetam : *Aeneid*. v.

*Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.*

*Inclinentur umbræ* : fugiant. Heb. *Similis esto capreæ hinnuloque cervorum*, qui versantur *super montes Bether*: Adrichomio , in Benjamin montes nemorosos , repletosque plantis aromaticis , quibus

Revertere :

**Revertere : similis esto , dilecte mi , capreæ , hin-nuloque cervorum super montes Bether.**

cervi et capreæ maximè delectentur. Ilis ergo tam vegetis , tam velocibus redditum sponsum æquiparari postulat. Ergo summa est : Revertere ad me , capreis hinnulisque velocior , quieturus tecum , donec te dies revocet ad consuetos labores.

His autem adumbratur sublimis anima , sopitis sensibus , altissimâ intus quiete potita , sponsique intus alloquentis incitata vocibus. Atque is prout vult spirat , venit , elabitur , appropinquat , accelerat , abit , revocatur ; per cancellos prospicit et fenestras , quia hujus vitæ tempore non plenâ luce se infundit , hortaturque sponsam et provocat , non sedere intrinsecus segnem , sed exire ad se foras , et conari ut , non jam per fenestras et cancellos , sed procedens foras facie ad faciem , videat eum. Origen. *Hom. 3. in Cant.* Ver post hiemem : gratia post peccata per poenitentiam. Ibi in floribus certa spes fructuum , virtutumque primitiae , animæque diligenter exultaæ suavis odor et sponso gratissimus. Hæc igitur secundâ die , grata vitæ novitas ; et recentiore adhuc conversione hiemis transactæ commemoratio , et in amplâ licet virtutum copiâ , tamen comparatione futurorum proventuum , flores potius quam fructus , tempusque putationis , ac multa resecanda ; quodque èodem aliâ sub figurâ recidit , captura vulpium pusillarum. Sunt enim maligni spiritus , Origen. *Hom. 4. vulpes illæ pusillæ , quæ per foveas et occulta insidiantur vineis , ubi primum germen ostenderint , nec sinunt eas ad florem pervenire ; sive etiam pravæ cupiditates , quæ dum adhuc parvæ sunt , capi jubentur ; tunc enim facile perimuntur ; allidendique ad petram parvuli Babylonis , neque permittendum ut crescant.* Huic aliisque patribus accinit Bernardus. Sponsus saliens in montibus , transiliens colles , est Christus præteriens Angelos , ac semen Abrahæ apprehendens : Origen. *Homil. 3. idem. Christus animæ laboranti Scripturarum ænigmata intus exponens , sponsus est loquens ille quidem , sed tamen adhuc post parietem delitescens , mox per fenestras et cancellos aspiciens pleniore jam luce. Qui cùm magis ac magis appropinquare cœperit , et illuminare quæ obscura sunt ; tunc eum videt anima salientem supra montes et colles , excelsæ scilicet intelligentiæ sensus suggesterentem.* Rursus , hiems , tempus passionis Christi : ver , Ecclesia nascens : tempus putationis , martyrum ætas , quæ Ecclesia succisa crevit : vinearum florentium odor , Ecclesiarum recentium fama ubique diffusa : vox tururis , vox Ecclesiæ Christo

discedente desolatæ, ejusque desiderio laborantis; tum suaves gemitus pœnitentiæ animæ. Vulpeculæ, hæretici Ecclesiam devastantes; qui primum per insidias sese insinuant infandâ astutâ; mox aperte grassantur, vix ut comprimi possint, nisi principiis obstes: dolosum animal, nec mansuescere solitum. Apon. Bern. Thom.

Duobus his diebus licet intueri crescentem amorem. In primo sponsa quantumcumque ardens, sponsumque confidenter invitans, nonnihil tamen suæ formæ dissidit, ac veretur ne pulcherrimo sponso fastidio sit: blanditias adhuc quærit: needum satis novit ubi recubet sponsus, aut cum satis subtiliter à sodalibus discernit. Secundâ verò die, sponsus statim atque discessit, citato gressu, et quidem non vocatus redit, sponsamque ultro, omni sermonis suavitate, omni objectâ ruris amoenitate, vocat ad loca solitaria, ubi secum assidue versetur; invitat etiam ut capiat vulpeculas, inolitasque labes abstergat. Quæ omnia ad animæ purgationem, primumque christianæ vitae perfectionis gradum pertinere videntur: positis interim beatæ contemplationis initiis, in illo sopore animæ, Verbi inter amplexus suaviter quiescentis.

### CAPUT III.

*Lectulus: quæsivi nec inveni: circuire: vigiles: odoramenta: lectus: custodia: ferculum: diadema Salomonis.*

1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.

2. Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et

#### TERTIA DIES.

<sup>1</sup> *In lectulo meo.* Hic sponsa ad altiorem statum provehenda, incipit exerceri desideriis et curis: postquam enim tertiae diei initio in lectulo sponsum expectans, ne serâ quidem nocte advenisse sentit, angitur, eumque moræ impatiens, quærit. *Per noctes:* plurali numero, qui saepè pro singulari ponitur. An quòd expectanti nox longa, nec jam una esse videatur?

<sup>2</sup> *Circuibo civitatem.* Me miseram, quæ potita Verbo, et ad ejus thalamum recto tramite intromissa per excelsissimas contemplationis vias, nunc circuire cogor, ac per vicos plateasque oberrare

plateas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.

3. Invenerunt me vigiles , qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea , vidistis ?

4. Paululum cùm pertransissem eos , inveni quem diligit anima mea : tenui eum , nec dimittam , donec introducam illum in domum matris meæ , et in cubiculum genitricis meæ .

amens , avia , sine duce ! Sic sæpe pœ ac sublimes animæ desolate ad tempus relinquuntur : sed quò magis recedere sponsus videtur , eò vigilantiū latentem , ac veluti fugientem investigare oportet . Per vicos et plateas quæram . Cœlum terramque peragrabo , ut dilecti vestigia relegam , eumque reposcam ab omnibus creaturis .

<sup>3</sup> *Vigiles , qui custodiunt* : Heb. custodes qui circumeunt civitatem . En Ecclesiæ pastores , eorumque officium designatum . *Num quem diligit* : quasi verò omnes tenere oporteret quid cogitet ipsa . Bern. serm. 79. in Cant. n. 1.

4 *In domum matris meæ , et in cubiculum genitricis meæ* . Ejusdem materni cubiculi mentio iterum infrà viii. 2. Certus quidem erat apud antiquos thalamo lectoque geniali destinatus in ædibus locus , ac nepotibus sacer . Sic Isaac Rebeccam introduxit in tabernaculum Saræ matris suæ , et accepit eam uxorem . Gen. xxiv. 67. Vel ergo matrem sponsi suam vocaverit , vel proverbiali locutione maternum vocaverit thalamum nuptiale ; quanquam aliud postulare videntur hæc verba : *in cubiculum genitricis meæ* : Heb. ejus quæ me concepit : nec absurdum , postea quæ filia Pharaonis traducta est Jerosolymam , etiam insecutam matrem ; cui unica et unicè dilecta fuisse memoratur vi. 8. aut aufugientem sponsum à sponsâ deductum ad parentem carissimam , ejus quoque fideliori sollicitudine asservandum domi . Hæc etiam juxta litteram in Mariâ Magdalénâ , quæ Ecclesiæ typum tenuit , impleta sunt : Joan. xx. 1, 2, 13, 17. quæ surgit è lectulo cùm adhuc tenebræ essent , quæsitura Christum ; nec invento , hac illacquæ discurrevit , à tumulo ad apostolos , ab apostolis rursus ad tumulum , videtque non ipsum , sed angelos , custodes Ecclesiæ datos ; ac dum quaquaversus circumspicit , ipsum Jesum intuetur nondum tamen suâ specie , parique cum sponsâ amoris impetu quærit : *Domine , si tu sustulisti eum* . Joan. xx. 15.

5. Adjuro vos , filiae Jerusalem , per capreas, cerasusque camporum , ne suscitetis , neque evigilare faciatis dilectam , donec ipsa velit.

6. Quae est ista , quae ascendit per desertum , sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae , et thuris , et universi pulveris pigmentarii ?

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt ex fortissimis Israel :

8. Omnes tenentes gladios , et ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum , propter timores nocturnos .

9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani :

Denique intuetur coram , tenuitque pedes ejus increpante licet Christo , neque dimisit unquam , quae in eum resurgentem credidit , fidemque resurrectionis afflictæ Ecclesiæ prima tradidit. Ilæc ferè Beda , lib. iii. in Cant.

5 *Adjuro vos.* Transacta nocte surgit sponsus , sponsamque sopitam relinqueus , eadem comitibus præcipit quæ suprà n. 7.

6 *Quae est ista.* Jam surrexerat , jam ornata et unguentis delibuta , relicto thalamo procedebat , per desertum : per agros ubi sponsum inveniret ; quam chorus comitum admiratur. *Virgula fumi:* alii , columna : ex Heb.

7 *En lectulum Salomonis.* Ne me admiremisi , sed sponsum Salomonem , regalemque quâ stipatur cohortem , ædiumque et supellestis magnificentiam . Jam ergo adest Salomon à sponsâ requisitus , atque ultro accurrens . Adest autem non jam pastorali habitu , sed ut Salomon , regiâ majestate verendus , dialemate redimitus , et solito satellitio clarus , quasi sponsæ ostentans regiæ custodiæ dignitatem et robur . Nec absimilis locus de Davide insidente cathedram , fortissimorum stipante catervâ . II. Reg. xxiii. 8.

8 *Propter timores nocturnos :* eam in rem maximè comparati ; quanquam etiam die aderant ad apparatus magnificentiam .

9 *Ferculum :* Heb. *Apirion* , quod alii lectum geniale exponunt , quasi à fœcunditate dictum ; alii lecticam gestatoriam ; quod huic

10. Columnas ejus fecit argenteas , reclinatorium aureum , ascensum purpureum : mediâ caritate constravit propter filias Jerusalem.

11. Egredimini et videte , filiae Sion , regem Salomonem in diademate , quo coronavit illum mater pompa magis convenit. *De lignis Libani* : de odoratis illis, atque incorruptis cedris.

10 *Reclinatorium . . . ascensum* : Heb. stratum , sive stragulam auream , integumentum sive cœlum , ex purpurâ. *Media* : neutro plurali , ea quæ media sunt: LXX. id quod intùs. *Caritate constravit* ; medium ejus stratum est amor : Heb. in medio ipse amor, Salomon scilicet collocatus , quâ figurâ , sponsa quoque vocatur amor , supra n. 7. m. 5. *Propter filias Jerusalem*. Hæc omnia fecit , ut se puerilis mirabilem exhiberet , his enim maximè delectantur.

11 *Egredinūi , . . . filiae*. Palam igitur apparente Salomone , totâque gloriâ coruscante , hortatur sponsa conites ad admirandam novi sponsi magnificentiam , matrisque in eo adornando studium. *Diadematæ* : et sponso et sponsæ etiam privatis coronæ imponebantur , teste Rabbi Eliezer , Pirce-Aboth. c. 16.

His adumbratur Ecclesia , sive ejus optima pars sublimis anima , quæ jam adulta viribus probatur et exercetur. Neque tamen despondet animum , sed exsurgit , totamque circuit Ecclesiam , imò universum orbem , ubique occurrentibus , uti prædictum est , sponsi vestigiis : quærantem inveniunt Ecclesiæ pastores , quibus maximè auctoribus , dilectum erat inventura ; neque tamen iis hæret , sed pertransit , paululum tamen ; neque enim aut ab ipsis expectat omnia , aut omnino declinat : statimque invenit sponsum. Ipse enim occultus illabitur , quem statim atque irradiat complectitur sponsa , quoad in ipso genitricis Ecclesiæ sanctuario cum ipso conquiescat. Hoc autem designat sacra mysteria , intimos Scripturarum sensus , et arcana divinæ sapientiae animæ se infundentis. Unguenta , sponsæ bona opera et exempla. Locus ille quo de Salomone loquitur , ex illis est in quibus , personâ pastorali tantisper omissâ , ad propriam redeunt ; neque inmerito. Nempe ut significant post sollicitudines , et quærendi labore ac perseverantiam , apparere sponsum , manifestâ in gloriâ , jam Salomonem , jam Regem , jam Christum et Deum. Quare sub Salomonis figurâ commemorat sublimia Christi mysteria , ejus nempe invictam fortitudinem , apostolosque et doctores undi-

sua in die desponsationis illius, et in die lætitiae cordis ejus.

que circumstantes, et regiam magnificentiam ascendentis in cælos, totamque Ecclesiam illustrantis. Quo statu, occultam hactenus divinitatem exerit, dicitque : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ*: Matt. xxviii. 18. estque gloriâ et honore coronatus : Heb. ii. 9. et in capite ejus diademata multa. Apocal. xix. 12. *Die desponsationis ejus*. Aponio; quo immaculatus immaculatæ conjungitur, sive que corporis et sanguinis tactu immaculatam efficit Ecclesiam.

---

## CAPUT IV.

*Oculi columbarum : occulta sponsæ : capilli : dentes : duo ubera : tota pulchra : cordis vulnera : in uno crine : soror et sponsa : fatus : lac : hortus conclusus : odoramenta : fons : puteus : aquilo : venti.*

i. QUAM pulchra es, amica mea, quàm pulchra es ! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrin-

<sup>1</sup> *Quàm pulchra es.* Meminerimus jam adstare Salomonem, atque ab ostentato splendore ad amores, blanditiasque conversum. *Absque eo quod intrinsecus latet* : Heb. absque occultis tuis, mihi tantum, tibique notis; quæ verba repetit infrâ 3. et vi. 6. LXX. ἐκτος τῆς σωπνούσεως εἰναι: præter silentium tuum; sive, ut antiqua Vulgata vertebat, apud Ambrosium passim, et Hieronymum, *Is. xlviij. 2.* præter taciturnitatem tuam, præter tacenda in te. Significat autem singulares animi dotes, et in ipso corpore, imò verò in ipso vultu, in ipsis oculis, in genis, labellis, reliquisque de quibus hic agitur, præter ea quæ ab omnibus collaudantur, multa aliis indeprena, occultam videlicet gratiam, venustumque illud et decens, quod verbis exprimi nequeat; certè amantes in dilectæ dotibus detegendis perspicaces esse se volunt. Nam quod hic alii alia suspicantur, etsi verba non repugnant, nec abhorret Hieronymus, à consequentiâ sermonis alienissimum est. Quidam ex Heb. vertunt, præter cincinnos tuos; quòd ex comis defluentibus, genis accedat gratia; non tamen tanta illa, ut tanto affectu bis terque ingeminanda videatur. Atque omnino arcana illa sponso dulcissima, sacroque occultanda silentio, spectant ad mys-

secus latet. Capilli tui sicut greges caprarum , quæ ascenderunt de monte Galaad.

2. Dentes tui sicut greges tonsarum , quæ ascenderunt de lavacro , omnes gemellis fœtibus , et sterilis non est inter eas.

3. Sicut vitta coccinea , labia tua , et eloquium tuum , dulce. Sicut fragmen mali punici , ita genæ tuae , absque eo quod intrinsecus latet.

4. Sicut turris David collum tuum , quæ ædificata ticos sensus infrà commodiùs reserandos. *Sicut greges caprarum :* caput ipsum sponsæ comparat monti eminus viso , ut infrà viii. 5. capillos gregi caprarum , tum propter nigredinem et nitorem , tum quòd pecora in montis cacumine gregatim incidentia , eminus prospicientibus fluctuare videantur. *De monte Galaad :* altissimo , piu-  
guissimo.

<sup>2</sup> *Sicut greges tonsarum :* quòd albi dentes , quòd æquales , et sibi cohærentes. *Omnes gemellis fœtibus.* Hæc ad ornatum addita , ut res subjiciatur oculis ; neque in comparationibus , sive in allegoriis , ac parabolis omnia minutatim excuti et aptari necesse est , dum summa ipsa conveniat. Cæterū hæc ut pleraque , quæ litterali sensu vix ullam habent congruentiam , spiritualiter intellecta , illustriores habent sensus infrà memorandos. De comparationibus tamen illis sublimioribus , gregum , montium , turrium , civitatum , quæ deinceps passim occurront , hæc ad litteram semel admonere sufficiat , eas amoris indoli imprimis convenire : cùm enim amantes , ex amoris vehementiâ , in se mutuò excelsius aliquid atque humana formâ augustius videre videantur ; hinc sit , ut omnia , quæ usquam sunt decora et splendida , sive etiam jucunda , conquerant , atque ad exprimendam eam , quam ardent , pulchritudinem , congerant ; neque refugiunt illa quæ à vulgari sermone abhorreant , propter eam quam animo informaverint , rei amatæ imaginem : quam cùm verbis assequi se posse desperent , nimirum per ardua et quodammodo absurdâ præcipitant , quod etiam magis congruit Orientalium ferventioribus ingenii.

<sup>3</sup> *Sicut fragmen mali punici:* propter figuram et colorem.

*4 Sicut turris :* collum altum et erectum. *Cum propugnaculis :* humeris scilicet. Nam sponsa verè formosa , non juncea , ut ait ille

est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex eâ , omnis armatura fortium.

5. Duo ubera tua , sicut duo hinnuli capreæ gemelli , qui pascuntur in liliis.

6. Donec aspiret dies , et inclinentur umbræ , vadam ad montem myrræ , et ad collem thuris.

7. Tota pulchra es , amica mea , et macula non est in te.

8. Veni de Libano , sponsa mea , veni de Libano , veni , coronaberis : de capite Amanæ , de vertice

apud Comicum , gracilique staturâ , nec decore modò , sed quâdam etiam majestate conspicua. *Mille clypei* : ex monilium figurâ. *Omnis armatura fortium* : tanquam ad sponsam amantium munera , ut devictorum ducum arma , appensa sint.

<sup>6</sup> *Sicut duo hinnuli* : an propter teneritudinem? an etiam quòd geminorum animalculorum more , spirare sub veste , ac velut micare viderentur? an potius , quòd à tactu abhorreant , feri , atque uni sponso tractabiles? quo sponsæ formosissimæ severa et inaccessa castitas commendatur. Utcumque est , has amantium blanditias , in pudico , conjugalique amore , et à nobis indicari , et levissimo pede transiliri oportebat , ne quid excideret quod litteræ tangeret elegantiæ. *Qui pascuntur in liliis* : propter pectoris candorem.

<sup>6</sup> *Donec aspiret dies* : donec illucescat. *Vadam ad montem myrræ* : ad sponsam ipsam , odores suavissimos efflantem. Infrà 10, 11, 14, 16. Memor lamentorum quæ sponsum quærendo per noctem sponsa profuderat , spondet non discessurum , usque ad lucem futuram.

<sup>8</sup> *Veni..... coronaberis* : undecumque veneris , sive de Libano , sive de monte Hermon , locis omni ubertate et amœnitate conspicuis , sive de locis horrentibus , ferarumque latibulis ; quamcumque ludendo et venando , sive etiam peregrinando , Israelitici agri partem peragraveris , grata et jucunda venies , tibique flores decerpemus , et coronas nectemus. Alii : omitte montes quos incolebas aut peragrabas , atque hic consiste tecum. *Coronaberis* : alii ex Heb. respice , hoc est : tantum respice ; læta erunt omnia , undecumque aspiceris.

Sanir et Hermon , de cubilibus leonum , de montibus pardorum .

9. Vulnerasti cor meum , soror mea sponsa , vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum , et in uno crine colli tui .

10. Quām pulchræ sunt mammæ tuæ , soror mea sponsa ! pulchriora sunt ubera tua vino , et odor unguentorum tuorum super omnia aromata .

11. Favus distillans labia tua , sponsa , mel et lac sub linguâ tuâ , et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris .

12. Hortus conclusus , soror mea sponsa , hortus conclusus , fons signatus .

13. Emissiones tuæ paradisus malorum puni-

9 *Vulnerasti cor meum* : lxx. elegantissimè ; cor abstulisti nobis : ἔκκαρδιάσας ἡμᾶς , ut habent nonnulli codices apud. Flam. Ambrosius in *Ps. cxviii. serm. 16. n. 19.* cor meum cepisti ; et alibi ; corde nos cepisti , quo exponit illud : *defecit anima mea* : *defecerunt oculi mei* : quod est , in id unumquocumque migrare quod diligit . Simili phrasi , *Prov. vii. 10.* iidem lxx. de muliere blandiente , quæ facit juvenum avolare corda . *Uno oculo* : uno aspectu : tanta vis incst. *Uno crine colli tui* : vel uno in collum delapso ; adeo te omnia decent : uno torque , Heb. uno ornameinto imposito . Non multis ornamentis eges : placet ipsa simplicitas .

10 *Mammæ : ubera* : amores : Heb. eadem vox utrobique et eadem quæ suprà 1. 1. *Pulchriora* : meliores , amores scilicet : Heb. *et odor unguentorum* . Idem de sponso suprà , 1. 2.

11 *Favus distillans* . Sic Menelai apud Homerum melle dulcior fluebat oratio .

12 *Hortus conclusus* : post formæ pulchritudinem , suavitatemque sermonis , nunc integritatem , castitatemque commendat . *Fons signatus* : sic illud : *Bibe aquam de cisternd tuā..... et : habeto eas solus* . *Prov. v. 15, 17.*

13 *Emissiones* : propagines : ex te omnia grata et pulchra proveniunt . Ex te clara soboles orbem illustratura : quale illud : *Pro pa-*

corum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,

<sup>14.</sup> Nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloë cum omnibus primis unguentis.

<sup>15.</sup> Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

<sup>16.</sup> Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

*tribus tuis, nati sunt tibi filii.* Ps. XLIV. <sup>17.</sup> *Cypri seu eyperi cum nardo: omnigena odoramenta, ut suprà 1. 13. de quibus, si tantum est operæ pretium, vide Theodoreum hic lib. 3. in Cant.*

<sup>14</sup> *Lignis Libani: arboribus thuriferis:* Heb.

<sup>15</sup> *Fons hortorum: unde scilicet hortus irriguus.* Ejusmodi ergo horto uberrimo, atque odoratissimo sponsam comparat.

<sup>16</sup> *Perfla hortum meum: sponsam scilicet. Et fluant aromata: odor diffundatur flatu.*

## C A P U T V.

*Hortus fructuum: sponsi convivium: somnus corde vigili: vox dilecti pulsantis: sponsæ cunctatio: sponsi fuga: iterum circuitio ad quærendum: custodes: sponsa cæsa, nudata: dilecti pulchritudo: candidus: rubicundus: quæremus tecum.*

<sup>1</sup> **I.** VENIAT dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum

<sup>1</sup> *Veniat.* Si hortus sum tuus, ut memoras, *veniat dilectus meus*, neque abseedat unquam. Resumit sponsus: equidem *veni*: primâ personâ præteriti temporis: Heb. *venio*. *Messui myrrham mean*: demeto montem illum myrræ de quo suprà iv. 6. *Comedi favum*: comedo: tanquam diceret: *venio* equidem, sed post cœnam amicis jam paratam. Sunt tamen qui de vero horto simplicius intelligunt, in quo amicis paret. Vide autem quām inemptas et simplices dapes.

meum , soror mea sponsa : messui myrrham meam  
cum aromatibus meis : comedì favum cum melle

*Inebriamini, carissimi:* notum in Scripturā , iuebriari quid sit, hoc est, lēta inter pocula , dulcesque sermones, hilare nec immodes-  
tum agitare convivium. Illic certē ad cœnam et vesperam tertii diei  
finis; ac sponsa discedit, seque somno tradit, ut habet ḥ seq. Ne-  
que liberiori, et ad multam noctem protractæ inter juvenes cœnæ,  
sobria et pudica mulier interesse narratur.

Jam ut ad veros sensus animum erigamus, Christus sponsam pur-  
gatam cupiditatibus et testamentis exercitam, totam pulchram et  
sine maculâ esse proclamat, iv. 7. quippe quam gloriosam sibi spon-  
sam exhibeat, non habentem maculam aut rugam,.... sed ut sit  
*sancta et immaculata.* Ephes. v. 27. Unde apud Ezechielem, xvi.  
13, 14. *Decora facta es vehementer nimis..... perfecta eras in decore  
meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus :* itaque ejus  
formâ rapitur, eique suavissimè invitanti se tradit, amatque et lau-  
dat impensè , quam infudit ipse pulchritudinem , delectaturque  
opere suo. Testatur autem non modò voluptate perfusam, sed miris  
etiam excruciatam curis, quòd eam non de locis modò uberibus ,  
amoenisque, sed etiam asperis evocat, ferarumque cubilibus, iv. 8.  
Refertur quoque ad persecutio[n]es. Philo Carpathius et alii, Iicons  
intelligunt reges persecutores; pardos, hæreticos variis maculis er-  
rorum ac vitiorum inspersos. Hi ergo pias animas vexant: quæ vexa-  
tio , emolumento est; attestante Isaïâ, xxviii. 19. *Sola vexatio intel-  
lectum dabit.* Huc etiam pertinet illud: *Surge, aquilo,* iv. 16. Quo  
significat irruentes, ventorum instar, curarum et tentationum tur-  
bines, effecturos ut latius virtutum odor diffundatur. Idem evenit  
Ecclesiae flantibus ventis, sœvientibus scilicet persecutoribus, cùm  
victoriis martyrum claresceret, fieretque id quod ait Paulus, Philip.  
1. 12. *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii ,  
ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio.* Sic  
martyriorum famâ, velut à quatuor ventis, electi vocabantur, im-  
plebaturque illud: *Surge, aquilo, et veni, auster, et perfla hortum ,  
et fluant aromata ejus :* quod ex omnibus mundi partibus odor  
sanctæ religionis adolesceret, ut ait S. Ambrosius, lib. 1. de Vir-  
ginit. De unguentis autem hic et alibi sœpe memoratis, sauctus Ber-  
nardus , serm. 10 , 12. ut sponso , ita et sponsæ unguenta sua assi-  
gnat. Unguentum scilicet pedum, quod est pœnitentiæ ; *Luc. vii.*  
38. unguentum effusum in caput, quod est pietatis in Deum , ex

meo, bibi vinum meum cum lacte meo : comedite , amici , et bibite , et inebriamini , carissimi.

recordatione beneficiorum ejus; *Math.* 26, 7. denique unguentum Christi sepulti, quo totum illius corpus perungitur : *Ioan.* xix. 39 , 40. quod est fraternæ caritatis, eoque ounia Christi membra conduntur. Partes autem corporis studiosissimè descriptæ, iv et v: sic ad animam referri possunt, ut oculus quidem sit prudentia , rectaque et simplex animi intentio : unde, *si oculus tuus fuerit simplex*, etc. *Matt.* vi. 22. et propterea columbinus dicitur. Labia , verbi prædicatio, quâ nihil est pulchrîus aut dulcius, unde illud , *sicut vittæ coccineæ, labia tua : eloquium tuum dulce*, iv. 3. ac postea 11. *favus distillans labia tua, sponsa.* Favus, Ecclesiæ prædicantis oratio ex propheticorum apostolicorumque librorum, velut florum, libatione , seu potius depastione collecta : ubera , ipsissima caritas lac parvulis ministrans, iv. 5. dentes , Ecclesiæ filii firmiores quibus non jam lacte opus sit, sed solido cibo , ȳ. 2. quo respectu ascendunt de lavacro, velut oves per baptismum lotæ , nec steriles , quippe honorum operum feraces, ac geminæ caritatis fructibus comitatæ. Per dentes , alii prædicatores intelligunt, qui in personâ Petri jubentur comedere immunda , et incorporare Ecclesiæ, *Act.* x. cuius rei gratiâ matribus ovibus meritò comparentur. Capilli , ȳ. 1. multitudo fidelium eam ob rem gregi amplissimo, ac pinguissimo comparata. *Greg. Apon. Thom. Genæ rubore suffusæ ad verecundiam* referuntur : cervix jugo Domini destinata, ad obedientiam: corporis habitus sublimis et erectus, designat animum sapientem quæ sursum sunt: unde illud : *sicut turris David collum tuum*: iv. 4. quòd turris in editis montibus posita, *non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet.* Ambr. in *Ps. cxviii. serm. 4*, n. 5. Turris autem hæc munitissima : primùm , quòd sit David bellicosissimi regis; tum quòd ædificata cum propugnaculis; denique quòd ad eam appensa arma fortium quos Ecclesia dejecit. Idem ibid.

Jam tacenda sponsæ, iv. 1, 3. eæ virtutes sunt, quas humilitate contegat et verecundiâ; ut verum sit illud , *Ps. xliv. 14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Placent ergo sponso , quæ ipsa sponsa profert exempla virtutum: multò verò magis, quæ hominum subtrahit aspectibus. Hinc illa occulta toties commendata : iv. 1, 3. vi. 6. amatque ipse sponsus, et ad cellam vinariam intimaque conclavia sponsam deducere , ii. 4. et ab ipsâ deduci ad secretiora cubicula , iii. 4. viii. 2. verumque illud: *intra in cubiculum..... ora in*

## 2. Ego dormio, et cor meum vigilat : vox dilecti

*abscondito.* Matt. vi. 6. occultaque omnia sposo intus spectanti gratiora. Quare imprimis solitudo delectat, viii. 11, 12 petraeque foramina, ii. 14. et cibilia ferarum, iv. 8. quò etiam spectat illud : *hortus conclusus, fons signatus*, ibid. 12. En clausa omnia ut uni sposo pateant; non multiloquium, non conventus; sed secessus, umbræ, alta ubique silentia.

Ecclesia verè est hortus ille conclusus, ac fons signatus, quò nullus error; sublimis quoque anima, quam nulla prava penetret cupiditas; ac vera illa Jerusalem civitas sancta, quā nullus incedat *incircumcisus et immundus*: Is. lxi. 1. tum luxus horti mira fœcunditas, fructusque toto orbe diffusi: v. 13. quæ fœcunditas Ecclesiæ maximè tribuitur; propter sublimes animas Deum gemitibus exorantes, atque impetrato spiritu Ecclesiam fœcundantes: ut August. passim. Aquæ, doctrina salutaris; v. 15. nunc puto abscondita, propter profunditatem: nunc cum impetu fluens à Libano, propter celestem verbi efficaciam. S. Thom.

Vestimenta sponsæ, bona sunt opera: attestante Joanne, *Apoc.* xix. 7. 8. *Venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus præparavit se: et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendentí et candido: byssinum enim justificationes sunt sanctorum:* unde Isaïas de imperfectis operibus: *Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Is. lix. 6.

De convivio autem dominico, quo suos convivas pascit; v. 1. deque ejus rationabili et sine dolo lacte, quod innocentes animæ concupiscant; I. Pet. ii. 2. deque optimo vino et ebrietate spirituali, ac mentis excessu, per se omnes intelligunt. Neque omittendum bonum convivam Christum, non tantum pascere, sed etiam pasci. Habet enim cibum suum de quo dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus, quod est salus hominum.* Joan. iv. 34. Nostrà ergo salute pascitur; nos in se trahit et in corpus suum coagmentat: hoc est, mel ejus, inquit Ambrosius, lib. iii. de Virg. quod diversarum virtutum concretum floribus, illarum apum quæ sapientiam prædicant, consono opere congregatum, sancta Ecclesia in favis condit, ut cibus Christi sit. Item mel, Christi doctrina salutaris, ros cœli purissimus, mera suavitas.

## QUARTA DIES.

<sup>2</sup> *Ego dormio.* Quartæ diei initio sponsa recepta in thalamum,

mei pulsantis : Aperi mihi , soror mea , amica mea , columba mea , immaculata mea : quia caput meum plenum est rore , et cincinni mei guttis noctium ?

3. Expoliavi me tunicâ meâ , quomodo induar illâ ? lavi pedes meos , quomodo inquinabo illos ?

4. Dilectus meus misit manum suam per foramen ; et venter meus intremuit ad tactum ejus.

5. Surrexi , ut aperirem dilecto meo : manus meæ stillaverunt myrrham , et digitæ mei pleni myrrhâ probatissimâ .

6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille

et quiescens sopitis sensibus , tamen animo est ad sponsum arrecto , unde ad primum ejus pulsum evigilat : sponsus ex hortis , coenâ cum amicis factâ , nocte intempestâ adest tardior ; unde ipsa tanquam subindignans aperire cunctatur . Ipse quoque iratus aufugit : nec desint iræ , quas amor ut excitare , ita sedare possit unus , suavius post iras redintegratâ gratiâ . Hæc summa hujus diei ; jam ad singula . *Aperi mihi , soror mea : sic sponsa , viii. 1. Quis mihi det te fratrem meum : amor verus omnibus necessitudinum vinculis delectatur . Quia caput meum plenum est rore : ne tantum amore , sed etiam misericordiâ compellatur ad aperiendum ; tum ut statim rure profectus , non quòquam diversatus videatur .*

3 *Expoliavi me tunicâ..... lavi pedes meos : delicatæ sponsæ colorata excusatio ; sed sanctis animabus magno documento futura .*

4 *Manum..... per foramen : lxx. de prospectu , de fenestrâ , quasi irrupturus . Melius , per foramen seræ , quasi aperturus dígito . Ut claves , ita seræ multum à nostris distabant , ingensque erat aperitura , clavesque humeris gestabantur . Is. xxii. 22. Venter meus intremuit ad tactum ejus · pulsantis fores , aditumque tentantis : interiora mea commota sunt super eo : Heb. lxx. ad ejus præsentiam .*

5. 6. *Manus meæ stillaverunt myrrham : delicatissimis unguentis perfusæ cubabant , cubili etiam his asperso : aspersi enim cubile meum myrrhâ et aloë et cinnamomo . Prov. vii. 17. Digitæ mei..... myrrhâ probatissimâ..... Pessulum ostii : lxx. Digitæ mei myrrham plenam super manus pessuli , scilicet effuderunt : Heb. myrrhâ transente super manubria pessuli . Aperui dilecto meo : hoc est , pessulus*

declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est : quæsivi, et non inveni illum : vocavi, et non respondit mihi.

7. Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem : percosserunt me, et vulneraverunt me : tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langleo.

9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum ? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos ?

10. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.

ipse unctus est myrrhâ, quâ perfusæ erant manus, nec enim extensi digitos, tanta erat festinatio. *Anima mea liquefacta est* : egressa est: Heb. lxx. Rapit me totam, et in suâ amorem ac desiderium transfert. Ambr. *Dum locutus est* : ostendit se non sponsi neglectu, sed desidiâ quâdam et indignatione cunetatam, sive quodam ejus probandi studio.

7 *Invenerunt me custodes*. Iterum per plateas discurrat quærens, ut suprà, iii. 2. sed pejus habita est à custodibus per noctis tenebras, ac licentiam militarem, demonstratque se nullum periculum fugisse, ut dilectum inveniret. *Pallium* : lxx. theistrum : Philoni Carpathio, capitis velamentum : Amb. de Is. 6. n. 55. pallium quo caput obnubaret.

8 *Adjuro vos*. Cæsa, spoliata, non tamen plagas, sed amoris vim sentit; idque unum solatio est, si dilectus sciat amari se, quem nuntium ad eum perferendum quibusvis obviis mandat. *Si inveneritis, nuntiate* : alii cum lxx. ex Heb. sic vertunt : si inveneritis dilectum, quid annuntiabis ei? (nempe id) quòd amore langleo ; quòd ego illa sum amore vulnerata : flagrantissimè et elegantissimè.

9 *Dilectus.... ex dilecto* : præ dilecto, Heb. dilectissimus.

10 *Dilectus meus*. Sponsa vehementissimis motibus abripi solita, hic primum et semel sponsum studiosè describere aggreditur, puel-

11. Caput ejus aurum optimum : comæ ejus sicut elatae palmarum , nigræ quasi corvus.

12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum , quæ lacte sunt lotæ , et resident juxta fluenta plenissima.

13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14. Manus illius tornatiles aureæ , plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus , distinctus sapphiris.

Iarum interrogatione provocata. *Electus ex millibus* : ex myriadibus : Heb. insignis illæ formæ præstantiâ , qui etiam inter millia facile dignosci possit.

11 *Caput ejus aurum* : quodcumque pulchrum et pretiosum est , aurum dicitur. *Comæ : elatae palmarum* : cincinni ejus crisi . Heb. aliter : acervi : *thalathalim* : Græc. θάλατται , arborum genus , sive abies , seu palma ; aut potius recens palmarum germen : unde hæc vox , *elatae* , quæ græca est in Vulg. inventa : additum , palmarum , ad designandam arborem. Beda hic ex Plin. lib. xii. cap. 28. Comæ autem comparantur arborum ramis , eâ translatione , quâ frondescentes rami arborum comæ dicuntur.

12 *Oculi ejus sicut columbæ* : sicut oculi columbarum : quæ lacte sunt lotæ : tam candidæ , tam nitentes , ut lacte lotæ videantur : qualium oculi pulcherrimi et suavissimi esse solent. *Juxta fluenta* : juxta plenitudines : Heb. pulcherrimæ , habitantes in locis uberrimis et irriguis.

13 *Areolæ aromatum consitæ* : ut areolæ aromatis , ut flores odoriferi : Heb. id est , ut areolæ consitæ floribus et plantis odoriferis. *Unguenta* è comis in genas defluentia notat. *Lilia* : sunt lilia quædam purpurea : his labia comparantur , propter mollum flexum , quo se lili calix aperit , et spiritus suavitatem : unde *myrrham primam* , seu præcellentissimam stillare dicuntur.

14 *Manus illius tornatiles aureæ* : circuli aurei : Heb. propter teretes digitos omni auro pretiosiores. *Plenæ hyacinthis* : gemmis violaceis : *tharsisim* : manus levissimæ efflorescentibus venulis. *Venter ejus* : interiora : Heb. quibus pectus etiam designatur : unde , *Flu-*

15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatae sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Jerusalemi.

17. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinavit dilectus tuus: et quæremus cum tecum?

*mina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. vii. 38. Eburneus: candor eboris: Heb. Distinctus sapphiris: è summâ aut ex tenui veste, pectoris candor apparet inter lapillos ipsi vesti intextos.*

15 *Crura: quatenus infra vestem parebant. Columnæ marmoreæ: propter candorem et firmitatem. Super bases aureas: calceamenta scilicet auro intertexta. Per Libanum et cedros, staturæ proceritas et dignitas designatur.*

16 *Guttur illius suavissimum: mellitâ oratione, halitu, vocis suavitate. Totus desiderabilis: totus desideria: Heb. lxx. Quasi dicere: quid' singula commemorem, aut singula membra describam? totus est desiderabilis, totus est amor. S. Thom.*

## CAPUT VI.

*Descendit in hortum: dilecti ac dilectæ consensio: sponsa decora; terribilis: ejus forma: reginæ, concubinæ, adolescentulæ: una perfecta: ut aurora: ut luna: ut sol: hortus nucum: nescivi: revertere: Sulamitis.*

1. DILECTUS meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

1 *Descendit in hortum suum, quò matutinus ire solebat, vel quò se prædixerat iturum, ut pascatur in hortis: alii: paseat: ut ad hortos greges agat, et ad valles liliis abundantes. Quàm elegans autem, dum pascuntur greges, ipsum legere flores, ad sponsam deferendos?*

2. Ego dilecto meo , et dilectus meus mihi , qui pascit inter lilia.

3. Pulchra es , amica mea , suavis , et decora sicut Jerusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata.

4. Averte oculos tuos à me , quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum , quæ apparuerunt de Galaad.

5. Dentes tui sicut grex ovium , quæ ascenderunt de lavacro , omnes gemellis foetibus , et sterilis non est in eis.

6. Sicut cortex mali punici , sic genæ tuæ , absque occultis tuis.

7. Sexaginta sunt reginæ , et octoginta concubinæ , et adolescentularum non est numerus.

<sup>2</sup> *Ego dilecto meo* : quocumque loco sit , et ego illum , et ille me cogitat.

<sup>3</sup> *Pulchra es*. Jam sponsus adest et loquitur. *Suavis et decora* : pulchra es , amica mea , sicut Thersa , decora sicut Jerusalem : Heb. Thersa erat urbs regia antiqua sub Chananæis , Jos. xii. 24. quæ Je-roboam et insequentium Israelis regum sedes fuit : III. Reg. xiv. 17. xv. 33 , etc. sub Salomone quoque nobilis. Sensus est : nou ita Thersa Ephraimitis , Judæis urbibus Jerusalem , ut tu cunctis mulieribus antecellis. Sunt qui memorent sponsarum , more urbium , turritas coronas , ad quas hic allusum ; nec absurdum puellas urbibus comparari , quæ ipsæ passim in Scripturâ puellis comparentur ; unde filiæ Judæ , et apud Græcos , metropoles. Memorat autem urbes celeberrimas , atque amoenissimas. *Terribilis ut castrorum acies* : ut necesse sit à te perdomari corda omnium. Eadem vis formæ muliebris in malam partem exprimitur his verbis : *multos enim vulneratos dejicit , et fortissimi quique interficiunt ab ed.* Prov. vii. 25, 26.

<sup>4</sup> *Me avolare fecerunt* ; me mihi surripuerunt ; invaluerunt : Heb. Fortiores me sunt , ut nec ego ferre possim. *Capilli tui* : haec cum duobus sequentibus versibus repetuntur ex iv. 1, 2, 3. iterarc enim juvat , quæ maximè affecerunt animum.

<sup>7</sup> *Sexaginta sunt reginæ* : reginæ principum filiæ erant , concu-

**8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt : reginæ, et concubinæ, et laudaverunt eam.**

bine ancillæ, adolescentulæ quæ ministrabant in regiâ, nondum thori honore dignæ. Ait ergo Salomon : cùm tot illæ sint quas ad magnificentiam habeat, unam tamen antecellere omnibus, unam esse quam diligit. Habuit autem postea longè plures, nempe reginas septingentas, et concubinas trecentas, diciturque multas adamasse ; sed primam, filiam Pharaonis, quam initio regni duxit, cuique regiam extruxit. *III. Reg. xi. 1, 3. Ibid. iii. 1, vii. 8.*

**8 Una est columba mea :** cùm tot ac tantæ sint, una est quam vel aspectu cognoscas, adeo omnes et formâ et decore vincit. Sic apud Theocritum elegantissimo illo de Helenâ Idyllo xviii. canunt selecte virgines : Adsumus quater sexaginta coœvæ virgines, flos puerarum pulcherrimus ; at nullam sine labe compereris, si cum Helenâ comparentur, ut ipsâ comparatione cum formosis etiam fœminis sponsæ pulchritudo magis elucescat. *Una est matris suæ,* jam inde à parvula præ ceteris cara : quod ad commendationem formæ pertinet, matribus filiarum egregiâ specie imprimis delectari solitis. *Viderunt eam filiæ : reginæ et concubinæ.* Tam pulchra est, ut à mulieribus, et ab ipsis æmulis laudem extorqueat, quæ tanta laus est, ut in eâ sponsus meritò conquiescat. Neque adhuc sponsam, aut uberioris laudavit, aut amavit ardentius, incensus piis, quibus illa per noctem se excruciaverat, curis; sic iræ in amorem desinunt. Hic quarti diei finis, cuius hæc series : sponsa nocte intempestâ domo exsilit; adolescentulis manè occurrit, tum sponsum reperit; miris ejus afficitur laudibus usque ad ȝ. 9. quem ad sequentem diem aptius referimus.

Jam ad veros sensus. Anima iterum exercetur, sed vehementius, ac durius, quam tertiâ die, suprà iii. Non solum enim exercetur, sed etiam castigatur tardius aperiens; docetque sponsus statim atque pulsat, aperiendum esse, cùm ipse statim transiturus sit, nisi aperias. Unde sie præmonet : *Ego quos amo, arguo et castigo.....* tum continuò : *Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Apoc. iii. 19, 20. It enim, redditque raptim, arrectamque vult animam, neque somno-

lentam , sed quæ verè dicat cum sponsâ : *Ego dormio , et cor meum vigilat* , v. 2. si autem velut in lecto languescat , sit illud ꝑ. 6. *Quæsivi et non inveni* : quem ad locum Ambrosius in Ps. cxviii. (Serm. xxii. n. 32.) « *Ego te quæsivi , sed invenire non possum , nisi tu vocas* hueris inveniri : et tu quidem vis inveniri , sed vis diu quæri . vis diligentiùs indagari .... non vis ut te dormiens querat : non vis ut te jacens investiget ». Ergo amantem licet , cunctantem tamen nactus abit , nec vocanti respondet ; nempe ut desiderium crescat , ut probetur affectus , ut exerceatur amoris negotium. Bern. Serm. lxxv. Hinc ergo sponsa facta cupidior , mox sese ad requirendum totâ aviditate dedit : Idem , ibid. nec tamen statim invenit , ut suprà , iii. crescenti enim amori gravior exercitatio incumbebat : invenitque custodes , pastores Ecclesiæ scilicet , qui percutiant , qui vulnerent , qui spolient ; sive bonos et peritos , qui vulnerent iis vulneribus , quæ osculis preferuntur : Prov. xxvii. 6. hoc est , qui desiderem et cunctantem acriter reprehendant , et quodammodo spolient ; ꝑ. 7. id est , qui nudam collocent ante oculos suos , ut suas ipsa culpas agnoscat ; sive bonos sed imperitos , à quibus gravissima patiatur ; sive etiam malos , quibus offendatur magis. Sic et sponsi fugâ , et ministerorum ejus operâ vehementissimè cruciatur. Unum interim solatium est , in clamare sponsum , et ab iis qui occurrant , requirere. Ipsâ autem exercitatione surgit illa perfectior , ac sui amoris testificatione alios ad querendum instigat , ꝑ. 17.

De sponsæ autem cunctationibus atque excusationibus , ꝑ. 3. Augustinus aliique Patres passim pedum lotionem revocant ad minutiora peccata : congruuntque Domini verba , Joan. xiii. 10. *Qui lotus est , non indiget nisi ut pedes lavet* : Observant magnas animas in contemplatione quiescentes , metuere interdum , ne ad exteriora , vel leviter delapsæ , inquinentur ; neque tamen cunctandum , præcipiente sponso ; neque prætermittendum illud , sanctas animas , infusam sibi reveritas gratiam , mirâ diligentia cavere à peccatis. *Explavi me tunicâ med* : exui veterem hominem ; quomodo iuduam illum ? quo sensu Paulus , Rom. vi. 2. *Qui enim mortui sumus peccato , quomodo adhuc vivemus in illo* ? Sponsus dígitos immittens foramini seræ , ꝑ. 4. Christus est per gratiam aditum quærens , animæque interiora commovens. Sponsus lilia colligens , vi. 1. et ubique liliis delectatus , idem Christus est , electos suos quorum innocentia et castitate delectatur , in unum coagmentans. Quòd autem anima exercitata et castigata perfectior evadat , duo docent. Primum quòd et

sponsum cognoscat, et laudet impensiūs, et aliis innotescere faciat, toto cap. v. Alterum quod ipsi magis cognita sit, hoc est, magis amata, magisque laudata, cap. vi. sicut scriptum est: *Novi te ex nomine, invenisti gratiam coram me.* Exod. xxxiii. 12, 17. Jam verbā spōsae spōnum collaudantis intelligamus, v. 10. Candidus, propter divinitatem; *Candor est enim lucis aeternae.* Sap. vii. 26, Rubicundus, propter incarnationis, passionisque mysteria; quippe qui habeat rubrum vestimentum, Isa. lxiii. 2, *vesitusque sit ueste aspersa sanguine.* Apoc. xix. 13. Caput ejus aurum optimum, v. 11. ipsa divinitas est. *Caput enim Christi Deus,* I. Cor. xi. 3. thesaurique sapientiae et scientiae absconditi: et omni auro pretiosior sapientia. Job. xxviii. et caput omnium Christi praeceptorum, caritas; aurum illud ignitum, quod ab ipso emere animae tepidæ jubentur. Apoc. iii. 18. Capilli, velamen capitinis, humanitas tegens divinitatem, nigri quidem, dum versatur inter homines: oculique mansuetudine columbini. Cæterum translato ad Patris gloriam, orbemque judicaturo, capilli candidi, tanquam lana alba, et oculi, tanquam flamma ignis. Apoc. i, 14. Manus tornatiles, v. 14. sunt opera omnia apte concinneque facta. Crura firma, quod stabili gradu stet, hostesque conculcit: item, v. 15. sive ut ait Ambrosius: crura ejus columnæ marmoreæ super bases aureas, quod solus Christus inambulet animis et gradiat in mente sanctorum, in quibus, velut aureis basibus, fundamentisque pretiosis, solidata vestigia verbi coelestis hæserunt. In ore verba vitae, totusque ipse est amor, v. 16. Hæc Patres, ex quibus intelligi cetera facile possunt. Sic ergo sponsa spōnum cognoscit. Ad eam notitiam pertinet, quod scit ubi agat, ubi pascat, vi. 1. non id sibi indicari peuit, ut antea 1. 6. Jam sponsus, cap. iv. collaudatam sponsam, in hoc cap. vi. iterum laudat, sed impensiūs et magnificientius. cum formæ venustati, ac dignitati addat hic robur invictum, posteaquam scilicet exercitata præliis, et affecta vulneribus, vi denique spoliata, non minus agit fortiter institutumque persequitur, cap. v. 7, 8. Itaque non modò pulcherrimis, et celeberrimis urbibus cam comparat, præsertim Jerusalem in se ordinatæ, ac certâ pace fundatae, sed etiam exercitui, quod sit hostibus formidabilis, vi. 3. atque ad laudum cumulum appellatur nunc primum una et perfecta, 8.

Jam de Ecclesiâ quæ hic perfectissimè adumbratur pulchrum illud comitum, v. 9. *Qualis est dilectus tuus?* nemini enim notus sponsus, nisi monstrante Ecclesiâ. Unde subdunt, v. 17. *Quò abiit dilectus tuus.... et quæremus eum tecum;* ut cùm doctrina sponsi latere, et velut in longinquum declinasce videtur, cum sponsa, cum

## 9. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora con-

Ecclesiæ eam querant, non ipsæ solitariæ, ne per avia exerrent, atque hæreticis prædæ sint. Ecclesia autem facilè dignoscitur insigni pulchritudine; urbs conspicua, et supra montem posita, Matth. v. 14. exercitus ordinatissimus, vi. 3. ducibus notissimis; adversus hæreticos et impios egregiè instructa. Est autem simul urbs et sponsa, sicut scriptum est de Jerusalem uovâ: unaque simul et perfectâ. Apoc. xxi. 2, 9, 10.

Reginæ, concubinæ, adolescentulæ, vi. 7. varii sunt ordines animarum incipientium, proficientium, perfectarum: et inter perfec-tas emiuent insigniores quedam, quæ quasi jam in cœlis cum sponso versari videantur, ipsisque præcellentissimis animabus miraculo sint, de quibus hic dicitur: *Una est columba mea: quibus etiam competit illud suprà ex Ezechiele xvi. 13. memoratum: Et decorata es vehementer nimis, et profecisti in regnum: supra omnes reginas eminentissima: quippe quæ cæteris et verbo et exemplo præsis.* Hæc autem, vel maximè convenient Ecclesiæ catholicæ, quam aliae sectæ, etiam æmulæ et invidæ, laudare cogantur, vi veritatis victæ.

Quod sponsus dicat: *caput meum plenum est rore;* intellige verba gratiæ quibus animæ irrigentur, quâ de re præclarè Ambrosius, lib. de Virg. cap. 12, n. 70. *Caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhaustur suis, aut diuturnâ deficit largitate.* Quòd autem Christus ab aspectu sponsæ avolet ¶ 4. Patres interpretantur, ab iis qui curiosius inspiciant, ipsâ suâ altitudine effugere. *Scrutator enim majestatis opprimetur à gloriâ,* Prov. xxv. 27. Cæterùm ubi sponsus dicit, *averte oculos tuos:* recordari oportet Jacob Deo præalentis: Gen. xxxii. 28. ac Moysi, cui dicitur: *Dinitte me:* Exod. xxxii. 10. Jeremiæ etiam qui sæpius veretur orare pro populo; sanctarumque animarum quæ veluti Deo vim inferant, quibus etiam dicat sponsus: *Averte oculos tuos illos humiles ac supplices et vim inferentes, quia fortiores me sunt,* juxta Heb. quæ vis Deo grata est: Tertull. *Apolog.*

## QUINTA DIES.

9 *Quæ est ista?* Sic sponsam domo manè progredientem, ac primùm apparentem adolescentulæ salutare et admirari solent: suprà m. 6. iñfrà viii. 5. Quare meritò hîc initium quintæ diei collocamus, nullâ licet factâ noctis mentione ad variandam eclogam. *Quasi aurora consurgens:* consurgens deest Heb. et hoc tempus designat

surgens , pulchra ut luna , electa ut sol , terribilis ut castrorum acies ordinata ?

10. *Descendi in hortum nucum*, ut viderem poma convallium , et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

11. *Nescivi* : anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

12. *Revertere , revertere , Sulamitis* : revertere , revertere , ut intueamur te.

domo procedentis et quasi exorientis, ut auroræ illucescenti comparatur, quod poetis etiam cæteris usitatum , ut Q. Catulo de Roscio , noto epigrammate, Theocrito de Helenâ, et aliis. *Pulchra ut luna* ; crescit comparatio de aurorâ ad lunam. *Electa ut sol*: soli sponsa comparatur, ut sol sponso thalamo egredienti , Ps. xviii. 6. Quæ igitur manè pulcherrima apparent, aurora, luna sæpe, mox sol oriens luce purissimâ, prodeuntis sponsæ pulchritudinem ac splendorem exprimunt. *Terribilis ut castrorum acies*: vide suprà 3.

10 *Descendi in hortum*. Hic sponsus: profectus, inquit, eram in hortum, curaturus arbores; consistere non potui, coactus sum ad sponsam quam citissimè regredi. *Hortum nucum*. Vidimus alium sponsi hortum, qui erat florum et aromatum; propter quem pascebat oves inter lilia, suprà vi. 1. Hic hortus fructuum est, ubi nuces, poma , vinea , mala punica.

11 *Nescivi* : nihil videbam amore turbatus. *Anima mea conturbavit me* : anima mea posuit me quadrigas Aminadab. Heb. Curriculo reversus sum , quasi citatissimis quadrigis invictus: quales videntur fuisse Aminadab equis velocibus nobilis , sive ille peritus auriga. Alii vertunt; quadrigas populi mei nobilis; quales scilicet nobilissimi habere solent.

12 *Revertore*. Alià parte discedentem sponsam , nec absente sponso ferentem hominum conspectus, puellæ revocant. ejus aspectu delectate. *Sulamitis* : pacifica: nomen fœnininum eadem origine et notione ac Salomon , ad ejus uxorem designandam, quæ jam ut dilectissima nota esset. Aquila vertit pacificam , teste Theodor. hic qui legit ut nos, Sulamitem; non Sunamitem, ut Græcum hodiernum , nullo sensu.

---

## CAPUT VII.

*Sponsæ pulchri gressus : juncturæ : umbilicus : ubera : caput : assimilata palmæ : dilecti et dilectaæ consensio : manè surgamus : poma nova et vetera.*

1. *Quid* videbis in Sulamite , nisi choros castorum ? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis , filia principis ! Juncturæ femorum tuorum , sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

2. *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam in-*

<sup>1</sup> *Quid videbis :* videbitis : Heb. ad puellas. Auditō enim sponsæ nomine , exsilit sponsus , et ad eas conversus : quid in eâ , inquit , videbitis nisi lāta omnia ut in choris , composita ut in castris ? *Quàm pulchri :* sponso accinere videtur puellarum chorus. *Pulchri gressus tui :* id est , gratus accessus , ut pulchri pedes evangelizantium pacem. Atque etiam laudantur pedes calceamentis ornati. *Filia principis :* ducis , Theodor. ex Symm. Pharaonis. *Juncturæ femorum :* quâ parte genibus committuntur ; quæ commissura exquisitissimi est operis. Alii ex Heb. moduli ambitus femorum , qui sub veste tenui vento agitatâ et corpori applicitâ , appareant. *Sicut monilia :* id est , affabré facta , aptè tornata.

<sup>2</sup> *Umbilicus tuus.* Hâc minutissimarum etiam corporis partium enumeratione , docet Gregorius commendari misericordiam Dei , quòd egregius artifex in prstantissimo opere nihil negligenter egisse videatur. Greg. proœm. in Cant. Si autem tanta fuit cura elaborandi corporis , quantò magis in animâ quam diligit nihil inornatî reliquit ? sed hæc ad spiritualem sensum ; nunc ad litteram. Umbilicus , trans vestem subtilem , etiam in quibusdam antiquis statuis , studiosè signatus visitur. Porrò orientales totum corpus , ac præser-tim umbilicum , etiam valetudinis causâ , unguentis perfundebant ; unde crateri tornato et pleno comparatur. *Crater tornatilis :* tornatile dicitur in hoc Cantico id quod affabré elaboratum videtur , ut suprà v. 14. manus illius tornatiles. *Nunquam indigens , semper plenus , poculis , potionē ; mixturâ :* Heb. unguenti compositione

digens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici,  
vallatus liliis.

3. Duo ubera tua , sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon , quæ sunt in portâ filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani , quæ respicit contra Damascum.

5. Caput tuum ut Carmelus , et comæ capitis tui , sicut purpura regis vincta canalibus.

quod LXX. vertunt *xp̄mu*; quod idem est ac *xp̄as*, potio mixta; unde crateris nomen. Igitur, commendato etiam umbilico, nihil prætermittitur, ut sponsa ad unguem, ut aiunt, perfecta appareat. *Sicut acervus tritici*: propter figuram et ubertatem. *Vallatus liliis*: ejus candorem ex reliquo corpore æstimant: omnia florida. Hæc autem laudantur in feminâ liberius à puellis, cum quibus et lavari potuerit; quæque unâ pulchritudinis admiratione teneantur, non ullo alio sensu: sic scriptor decoro seruit.

3 *Duo ubera* : suprà iv. 5.

4 *Collum tuum sicut turris eburnea*: figurâ , rectitudine , candore. *Oculi tui*: oculi tui fontibus splendidissimis splendidiores. *Ain* Heb. et oculum et fontem significat: Hesebon civitas regia , Jos. XIII. 17. in cuius portâ duo perlucidi fontes fuisse memorantur. *Filiæ multitudinis*. *Bath-rabbim*: nomen urbis ac portæ ad eam urbem. *Nasus tuus sicut turris Libani*: cùm caput monti comparetur , ¶. seq. rectè nasus turri eminus prominenti: nasus autem altos spiritus, et formæ dignitatem exprimit.

5 *Caput tuum* (Heb. LXX. super te) *ut Carmelus*; ut Carmelus è campis; ita caput tuum ex humeris exsurgit, montis instar editi, floribus ac ramis virentibus coronati. Vittas indicat capitis, ac florum coronas. *Comæ sicut purpura*: purpuræ comas comparat, non colore, sex texturâ: et vox, *argaman*, purpura, à texendo deducta. LXX. *Plexus capitis tui* purpura. *Purpura regis*: exquisitissimæ texturæ; nec absurdum comas purpuræ comparari, propter intextos purpureos flores; purpureas vittas. *Purpura..... vincta canalibus*: in purpuriorum canalibus alligata, ut bis tingatur: Heb. comæ capitis tui ut purpura; rex vinctus in tignis. LXX. congruant nisi quòd

6. Quàm pulchra es , et quàm decora , carissima ,  
in deliciis !

7. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua  
botris.

8. Dixi: Ascendam in palmam , et apprehendam  
fructus ejus : et erunt ubera tua sicut botri vineæ ,  
et odor oris tui sicut malorum.

9. Guttur tuum sicut vinum optimum , dignum

pro tignis habent : rex vinctus in transcurribus , quòd hebraicæ ra-  
dici congruit : rex vinctus in crinium plexibus , nodisque ; ac vittis  
hinc inde circa caput currentibus : quòd scilicet suprà iv. 9. dixe-  
rit : vulnerasti : sive surripuisti cor meum in uno crine colli tui : in  
tignis autem juxta Heb. intelligi potest , quòd ut tigna in laqueari-  
bus , sic nodi crinium , vittæque summo capite se protendant ; sive  
alludit ad quendam nctendæ capillaturæ ritum à tignis appellatum  
alicujus similitudinis causâ , qualia bene multa sunt in ornamentis  
muliebris.

6. *Quàm pulchra es.* Hic sponsus loquitur , ut ý. 8. satis indicat .  
*Carissima , caritas , amor meus*, ut suprà ii. 7. iii. 5. *In deliciis* :  
voces mollissimæ , ac tenerrimi affectus ; dum enim canunt comites ,  
sponsus in dilectâ desixus , et hoc intuitu et earum cantibus inarde-  
scit , inclamatque istud flagrantissimo amore : *Quàm pulchra es!*

7. *Statura tua assimilata est palmæ* : eò quòd sit procera et recta.  
*Ubera tua botris* : vineæ quæ palmae adhæreat , ex ý. seq.

<sup>8</sup> *Dixi: Ascendam in palmam* : irruam in amplexus. *Apprehendam*  
*fructus ejus* : ramos , palmites : Heb. tenebo implicitam : addit  
ubera , ora , foutesque omnes dulcedinum. Sic ipse in Proverbiis ,  
v. 18 , 19. *Laetare cum muliere adolescentiæ tue..... ubera ejus ine-*  
*briant te..... in amore ejus delectare jugiter*: Que præcipiebat ut ab  
amore adulteræ averteret ; unde subdit: *quare seduceris , fili mi ,*  
*ab alienâ?* ut hoc quoque ad bonos mores pertinere suo modo vi-  
deatur , apud antiquum certè populum ; cùm nunc altiora moneat  
Paulus : nempe *ut qui habent uxores , tanquam non habentes sint.....*  
*et qui utuntur hoc mundo , tanquam non utantur.* I. Cor. vii. 29, 31.

9. *Guttur tuum*; & sponsa , vox tua , eloquium tuum , *dignum di-*  
*lecto meo* : vadens amico meo directe : Heb. eadem locatio in Pro-  
verbiis , xxiii. 31. ubi Vulgata habet ; *ingreditur blandè , vinum fa-*

dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.

10. Ego dilecto meo , et ad me conversio ejus.

cilè et jucundè potabile amico meo euilibet : eadem vox, *Dodi*, suprà v. 1. ubi Vulgata habet : carissimi : ne quis de solo sponso eam intelligat. *Labiisque et dentibus* : loquens labiis dormientis : Heb. sermo tuus, δ sponsa, mihi tam suavis est, quān suave esse solet amico meo optimum vinum, quo epoto dormitantis īstar, somnolenta et incondita loquitur : sic se sponsae intuitu ac blanditiis in cūndem morem chrium esse significat.

10 *Ego dilecto meo* : sponsi respondet votis. *Ad me conversio ejus* : appetitus ejus. Heb. cupidus : sicut in Genesi iii. 16. de primā muliere : ubi Vulgata vertit : *sub viri potestate eris* : eadem ubique vox, *Thesuca* : id quod Græci πόθος, ἡμέρα, φιλότητα nominant : Homerus et Theocritus passim. Summa : pendemus alter ab altero, invicem ardescimus casto et conjugali amore vehementissimo; nec requies, nisi fruamur optatis amplexibus. Quo fine quintum diem claudunt : ut suprà 11. 6. infrà viii. 3. novumque exoritur rerum ac sermonum initium.

Jam ut ad altiora et cœlestia, his quasi gressibus , provehamur, sublimis anima non tantum sponso , sed etiam adolescentulis miraculo est, et quidem laudare cœperant suprà iii. 6. procedentem vaporis instar thuris odoratissimi. Nunc undique splendescēt altiori carmine concelebrant, ut auroram, ut lunam, ut solem, ut castrorum terribilem hostibus aciem , galeis et scutis percutiente sole fulgentibus , vi. 9. vocaturque Sulamitis ex ipsius Salomonis deducto nomine , vi. 12. vii. 1. ac pulchriudo ejus mirificè commendatur, ut quæ sit perfectissima in minutissimis quoque partibus, vii. 1, 2. erectoque in cœlum, instar turris ac montis , habitu: 4, 5. Hæc maximè congruunt Ecclesiæ , Christi nomine nuncupatæ ac verè pacificæ, quæ electos omnes unitate suâ ac pace complecti-  
tur; in eâ igitur sunt chori, ut scriptum est: *Sicut lœtarium omnium habitatio est in te;* Ps. lxxxvi. 7. armorumque terror, verbum Dei scili-  
cet, quo percutiuntur impii. Eamdem ad se adventantem novi populi consulant. *Quām pulchri sunt gressus tui!* vii. 1. *Quām pulchri pe- des evangeliantium pacem, evangelizantium bona!* Isa. lii. 7. Rom. x.  
15. beatamque proclamat, quòd cœlesti unctione perfusa, in Christi nomen transeat, ac numeris omnibus absoluta sit. Unde illa studiosa

enumeratio partium quam vidimus, ne omisso quidem umbilico ac ventre, femorumque juncturis : v. 1, 2. Præcisus umbilicus justificationem à peccato significat; sicut scriptum est: *Radix tua.... de terra Chanuan: et... in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aquæ non es lota in salutem.* Ezech. xvi. 3, 4. Sensus ergo: ut præcissum umbilicum corpori, ita præcisa peccata, Ecclesiæ decori vertere; multamque gratiam, ut mixturæ optimæ plenitudinem, loco peccati induci: juxta illud: *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia:* Rom. 5. 20. Neque obscurum, ventrem acervum tritici appellari, propter Ecclesiæ feracitatem: vallatum autem esse liliis, propter candorem castitatis, cò quòd Ecclesia tam casta quam fecunda sit. Hanc qui amat, vestibus quoque ejus et calceis (ibidem) filiæque regis fimbriis, ipsisque adeo ritibus ac cæremoniis delectatur, mira undique veritatis luce perfusis, et agnoscit ubique, et per omnia pulchram, in qua ubique sit Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum est; Eph. iv. 16. sed maximè in juncturis (ibid.), quam parte membra cohærent, atque coaptantur sicut addit Paulus: *Per omnem juncturam subministrationis.... augmentum corporis facit in ædificationem sùt in caritate.* Duo horti sponsi, alter florum, alter fructuum, vi. 1, 10. designare videntur in Scripturis quæque oblectent animum, quæque nutriant. Hortum nucum interpretatur Ambrosius eum, in quo fructus est propheticæ lectionis et sacerdotalis gratiæ, quæ amara in temptationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Lib. III. de Virg. Augustinus autem passim figurâ nucum significat arcanos. Scripturæ sensus, qui non nisi effracto nucleo extundi possint. Christus autem cum interdum à sponsâ sccedere videatur, tamen ultro reddit, quasi amoris impatientiæ victus, v. 1. eique arctissimis amplexibus adhaeret. v. 8. Quid sit autem Christo, amare, ac frui castis animabus, agnoscat qui intelligit illud: *Deliciae meæ esse cum filiis hominum:* Prov. viii. 31. et illud: *in caritate perpetuæ dilexi te: ideo attraxi te miserans:* Jerem. xxxi. 3. et illud: *convertimini... quia ego vir vester:* ibid. iii. 14, illud denique: *Et vidi te: et ecce tempus tuum tempus amantium: et expandi anictum meum super te... et facta es mihi:* Ezech. xvi. 8. Quod quidem quid est aliud, quam uxorem duxi te, et potitus sum tui? Addamus illud Pauli: *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo,* II. Cor. xi. 2. Fruitur etiam Christus piis animabus per verbi dispensatores, cum eorum obedientiæ delectati, dicunt: *Ita frater: ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Domino:* Philem. 20. et alia sexcenta. Per guttur sponsæ optimo vino comparatum, sermo Ecclesiæ, id est,

11. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

12. *Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica : ibi dabo tibi ubera mea.*

13. *Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma : nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.*

prædicatio Evangelii, quod ipso novo vino et generoso Christus comparat : *Luc. v. 37.*

## SEXTA DIES.

11 *Veni, dilecte mi, egrediamur.* Significat receptos domum, sed ubi illuxisset statim egressuros, initio scilicet sextæ diei. *Egrediamur in agrum.* Novum id ac singulare hæc die, quod non sponsus ut antea solus domo profectus, postea experrectam sponsam ad agros invitet, ut supra n. 10. sed ipsa sponsa sponsum; quasi pertæsa urbium turbæque, ac solitudinis amans ubi eum liberis amplexetur. *Commoremur.* Novum vitæ genus instituunt: non enim, inquit, jam ambulemus per agros, sed commoremur deinceps, ac pernoctemus.

12 *Manè surgamus ad vineas.* Maturè surgamus, ut ruris amœnitate perfruamur. *Ibi dabo tibi ubera mea.* Amores meos, ut supra. Liberius scilicet, ipsaque amœnitate turris, atque auræ suavitatem, hortorumque silentio et arborum umbris incensa in amorem.

13 *Mandragoræ :* quæ odoratâ radice celebrantur. *In portis nostris :* ad ostia: Heb. pro foribus omne fructuum genus, nec longè exquirendi. Cùm scilicet non in urbe jam, sed in ipsis hortis agrisque versabimur. *Nova et vetera.* His ingens copia designatur, sicut scriptum est: *Comedetis vetustissima veterum;* Levit. xxvi. 10. et alibi: *profert de thesauro suo nova et vetera :* Matth. xiii. 52. *Servavi tibi :* in tantâ copiâ, adhibita quoque diligentia et delectus: gratiora futura sposo, quæ sponsa ipsa selegerit, ac sponso reposuerit.

---

## CAPUT VIII.

*Oscula palam : in domum matris : me docebis : amplexus : ascendit de deserto : super dilectum : sub arbore malo : signaculum : dilectio : cenuelatio : flamma inextincta : soror parvula : vinea : fac audire vocem tuam : fuge.*

1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te; et jam me nemo despiciat?*

2. *Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis; et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

3. *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

<sup>1</sup> *Fratrem meum: ut fratrem: Heb. Sugentem ubera: fratrem uterinum, eâdem matre genitum et lactatum, eoque cariorem. Amantes enim nullo non necessitudinis nomine delectari vidimus, ñ. 2. optat etiam cum, tam liberè amplexari, ac deosculari posse, quam fratrem infantulum. Me nemo despiciat: nemo exprobret, aut contemnat, tanquam nimis amori indulgentem.*

<sup>2</sup> *In domum matris meæ: vide suprà. iii. 4. Etsi enim palam amplexari liceat, tamen ipso arcano delectatur magis. Me docebis: proba mulier, viroque ut decet obediens, ab ipso erudiri cupit. Sic mulieres jubentur domi viros suos interrogare, I. Cor. xiv. 35. Sic apud Xenophontem Iscomachus uxorem domi seducit et docet: Xenoph. OEcon. Et dabo tibi poculum. Inter loquendum, suaves liquores propinabo.*

<sup>3</sup> *Læva ejus: hîc diei finis, ut suprà. ii. 6.*

Hic sublimis anima induetur uno jam amore occupata; quoque magis oculis omnium splendet, eò magis latebras, dulcemquecessum cum sponso querens, instar Mariæ, quæ audit à Domino: porrò unum est necessarium: Luc. x. 42. Tales fuere prisci illi ana-

4. Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis

choretæ, qui Joannis Baptiste exemplum secuti, longè à convictu etiam piornm, uni Deo vacare totis animi viribus studebant. Hic igitur omnia mutantur in melius: adestque copia non modo florum, sed fructuum, pomaque vetera et nova, dum fructus fructibus, virtutes virtutibus superveniant. Hoc statu anima audacior facta, ac velut sui impos, palam etiam amori indulgere cogitur, nec tenere se potest: fitque illud quod ait Paulus: *sive mente excedimus Deo*, II. Cor. v. 13. *caritas enim Christi urget nos*: ibid. 14. et illud, *os nostrum patet ad vos, & Corinthii: cor nostrum dilatatum est*. ibid. vi. 11. et illud: *vivo ego, jam non ego*, Gal. ii. 20. Qualia multa sunt in virtù Patrum. Optat tamen cubiculum, ubi sit in abscondito, Matth. vi. 6. et secus pedes Domini posita, docentem audiatur intus potius quam foris. Luc. x. 39. Unde meritò sequitur amplexus suavissimus, et altissime contemplationis quies, sequente postremo die.

Neque hīc desunt Ecclesiæ dotes, manè surgentis excitantisque pastores, ut explorent commissam sibi vineam, ubi flores, ubi fructus, ubi etiam virtutum radices per mandragoras designatae: vii. 11, 12, 13. quā diligentia optima nutrix ubera sua impletat, ac plena Christo porrigat: nova etiam veteribus cumulet, Apostolos et Martyres, Patriarchis, Prophetisque subiungens, novā semper prole nobilis, Judgeis etiam ad extremum Domino reservatis.

#### SEPTIMA DIES.

4 *Adjuro vos.* Sponsus ut solet, ad auroram excitatus, sponsæ adhuc quiescenti consulit, ut suprà II. 7. iii. 5. incipitque septima et ultima dies.

5 *Quæ est ista?* Igitur ineunte die sponsa prodit, ac solitâ puerularum admiratione excipitur, ut suprà iii. 6. vi. 9. Videtur autem esse sabbatum. Unde, quod hactenus non vidimus, cum spousâ sponsus ipse procedit. Aliis enim diebus, sponso ad rustica opera summo mane profecto, ipsa thalamo procedebat sola. Tum hīc nihil operis, non horti cultio; non ad pascua deductum pecus. Inter se tractant: cum amicis versantur, simul ut in die festo in publicum prodeunt: exoritur pariter altior status. Neque jam commen-

affluens , innixa super dilectum suum ? Sub arbore  
malo suscitavi te : ibi corrupta est mater tua , ibi  
violata est genitrix tua .

6. Pone me ut signaculum super cor tuum , ut  
signaculum super brachium tuum : quia fortis est  
ut mors dilectio , dura sicut infernus æmulatio :  
lampades ejus lampades ignis atque flamarum .

datur sponsa ex odoratis vestibus ; aut ex cultis splendore , ac formæ gratiâ ; sed quòd unâ cum sponso ejus manu prehensa procedat , eoqne innixa , jam beatissima sit . *Sub arbore malo suscita vi te* . Excitavi à somno : Heb. sponsum scilicet ipsum ; aitque se , cùm primùm illum vidi dormientem sub illâ arbore conspicatum , ibique exarsisse in flaminas , neque temperare potuisse , quin ludibunda exagitaret , et è somno excitaret formosissimum juvenem . Addit sub illâ ipsâ arbore natum esse , ut in ejus veluti natali umbrâ libentiū conquiesceret . Quarum rerum suavissima est amantibus recordatio : ut est illud poetæ , eclog . 8 . *Sepibus in nostris* , etc . *Ibi corrupta est..... violata est* , enixa : Heb. eâdem voce repetitiâ . Ita et LXX . bis habent ἀσθνεται , neque abludit à vero rusticanam mulierem , qualis hîc singitur , dum ruri occupata discurrit , sub obviâ arbore peperisse . Martial . VI . epigr . 64 . de Curione , quem

dum prandia portat aranti,  
Hirsutâ peperit rubicunda sub ilice conjux.

Quidni etiam hæc sponsa finxerit , tali sub arbore , tam pulchrâ , tam frugiferâ ; tam florentem , tam virentem te nasci oportebat . Potest et Vulgata retineri , eòdemque recidit , ut ibidem conceptus sit pastor sponsus ; sive ibi ortus sit parentum amor , unde ipse conceptus est , pastoribus pro more sub arbore ludentibus . Hæc igitur amori congrua , divinisque mysteriis servitura , ex moribus vite pastoralis finxerit , vel , si mavis , ad occultam alluserit historiam .

*6 Super cor tuum* : sponsa prosequitur ; est enim Heb. pronomen masculinum . Tam cupio pectori tuo et brachio adhærere , quām sigillam ceræ , ut vel minimum à te divelli , sine gravissimo cruciatu , non possim . Mox amoris , æmulationisque cruciatum exprimit , ut quæ hujus aliquid experta sit , suprà 111 . et v . gravioraque sentiat ex amoris impatientiâ incumbere . *Lampades* : prunæ : Heb .

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem , nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione , quasi nihil despiciet eam.

8. Soror nostra parva , et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est ?

9. Si murus est , ædificemus super eum propugnacula argentea : si ostium est , compingamus illud tabulis cedrinis.

10. Ego murus : et ubera mea sicut turris , ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11. Vinea fuit pacifico in eâ , quæ habet popu-

7 *Aquæ multæ* : sic amor exercetur , et tamen vincit.

8 *Soror nostra* , mea , quam tu quoque mei gratiâ ducis tuam. *Ubera non habet* : nondum nubilis est , adhuc impubes : sic *ubera tua intumuerunt* , Ezech. xvi. 7. *Quando alloquenda est* : quando de eâ loquendum est : Heb. de eâ scilicet nuptui collocandâ. Et ita Ambrosius in Psalm. cxviii. oct. 22. Sponsum omni fiduciâ complexâ , de rebus familiaribus cum eo consilium habet , minoremque sororem commendat.

9 *Si murus est..... propugnacula argentea* : turriculas. Alii , coronidem argenteam. Respondeat sponsus : si solido est ingerio , conjungamus eam viro nobili et opulento , qui sit domûs ornamentum et propugnaculum. *Si ostium est , compingamus* , muniamus il/ud. Si levi est ingenio , et versatili , sapienti viro , virtute incorruptâ , tradamus , qui firmiter coercent.

10 *Ego murus*. Sponsa talem se esse gloriatur , qualem sponsus designabat , murum solidum , formâque et ætate viro gratissimam. *Ubera mea* : quasi diceret : non ego sine überibus , ut soror ; mea eminent übera sicut turris : Heb. lxx. sicut turres : quæ stant annexæ muro , pulchri operis appendix pulchra. *Quasi pacem reperiens* : inveni gratiam apud illum.

11 *Pacifico* , Salomoni : Heb. lxx. In eâ , quæ habet populos : in *Bahal hamon* : nomina propria : ita et lxx.

Ios : tradidit eam custodibus ; vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12. *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.*

13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant : fac me audire vocem tuam.*

14. *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hin-nuloque cervorum super montes aromatum.*

<sup>12</sup> *Vinea mea* (quæ mihi : Heb.) *coram me est. Pacifici* : Heb. pacifice, & Salomon : ita et LXX. His duabus versibus loquitur sponsus ut pastor, qualem se hâc eclogâ finxit. Nihil ego, inquit, invideo Salomoni ; non me regiæ opes, non regii fundi capiunt ; habet quidem rex Salomon agros, vites, cellas vinarias, quique iis præsint ; habet vineam quæstuosissimam, partem regii patrimonii haud ignobilis ; fortè vineam Engaddi balsamo insignem, I. Paral. xxvii. 27. sed vinea mea præseus mihi est, nempe sponsa. Habe tibi, rex Salomon, vineam tuam, ac ducentos viuitores tuos quos mille argenteis annuis dones, ad demonstrandam vineæ nobilitatem ; mihi sponsa sufficit, hæc una mihi possessio est. Cur autem ex tot regiis opibus, hortis, palatiis unam vineam commemoret, in promptu est ; rusticanae enim personæ quam agebat nihil est commendabilius agris, rure, vineâ.

<sup>13</sup> *Quæ habitas in hortis* : ex flagrantissimo amore petit, ut dum in hortis est, omnesque ei silent, voce suavissimâ canat.

<sup>14</sup> *Fuge, dilecte mi.* Hanc quidem illa orditur suavissimam cantilenam ; simul canendo indicat se, non multis, sed uni canere velle, ac vivere ; tanquam diceret : Amicis canere me vis? non ego ita affecta sum ; nequeo ferre turbam ; pete velox loca sola ac remotissimos montes ; tui me oculi premunt ; quo fermè sensu ipse dixerat : *averte oculos tuos*, suprà vi. 4. secessu opus est ut tantos ignes exhalare possim. *Montes aromatum* : odoratis plantis plenos, quales fuisse montes Bethel diximus, II. 17.

Hic sponsa, seu sublimis anima, in gradu caritatis perfectissimo appetat ; nihil jam verita, neque diffusa formæ, ut cùm dicebat : *nigra sum* ; innixa dilecto, in ejus amplexus resoluta, eique planè et familiariter incumbens ; quippe quæ ad eam pervenerit caritatem, quæ foras mittit timorem, I. Joan. IV. 18. deliciis affluens

propter eam pacem , quæ exsuperat omnem sensum , Phil. iv. 7. Recordatur autem arboris , sive crucis , in quâ Christum dormientem , seu mortuum suscitavit , fide resurrectionis. Neque id prætermittit , sub arbore item Eam , totamque adeo naturam humanam fuisse maledictam atque corruptam ; sub quâ etiam arbore natura eadem , eadem Eva salvatorem ex suâ venturum propagine jam spe enixa est , promittente Domino , *inimicitias ponam..... Gen. iii. 15. ipse conteret caput tuum* , secundùm LXX. sive ipsa , mulier , edito Christo. Tantæ igitur calamitatis , tantique beneficij memor , sanataque , ut Ecclesia canit , per arborem , à malis ex arbore prognatis , magis magisque incumbere vult dilecto , ejusque hærere brachiis , impri- mique pectori , more Joannis quem Dominus diligebat , in ejus pectore recumbentis. Tum significat sponsa amoris ardorem vehementissimum , summosque cruciatus. Talis est enim vitæ præsentis etiam perfectissima , Deoque conjunctissima caritas ; coarctatur anima plenè cum Christo esse desiderans et quâdam æmulatione succensa , reliquias culparum , et vel minimis inolitæ concupiscentiæ maculis , et ipsâ carnis infirmitate torquetur. Amor tamen prævalet instar ignis indefessi , quem nulla vis aquarum extinguat : dicente Apostolo. *Quis nos separabit à caritate Christi , tribulatio? etc. Rom. viii.* 35. Unde sponsa : *aquaæ multæ non potuerunt* , etc. viii. 7. indicat que se pro sposo passuram mille mortes ; ac martyrum præcinit fortitudinem ; subditque : *Si dederit homo omnem substantiam* , etc. ad commendandam pariter eorum gloriam , qui dixerunt : *Ecce nos reliquimus omnia* ; Matth. xix. 27. Neque suâ tantum sollicita est anima conjugata Christo , ejusque amore fruens ; sed sororum infirmorum profectui invigilat , easque sposo mirâ libertate commendat , à quo etiam docetur quæ cuique animæ adhibenda cura sit. 9. Sororem parvulam S. Thomas intelligit nascentem sub apostolis gentium Ecclesiam. Hoc autem loco sponsa mirum experitur Christi in vineâ suâ , ipsâ scilicet animâ excolendâ studium , utpote quam et diligat , et apud Isaiam non modò plantet , sed etiam sepiat , iuniat , custodiat , et relictis omnibus unam curet , Isa. v. 2, 4, 7. Quo Ecclesiæ catholice unitas commendatur. Hic primùm ipsa sponsa mirificè se extollit. *Ego murus* , ¶ 10. nixa scilicet sposo , quæ in se sunt dotes , cas , non ut suas , sed ut sponsi prædicat , ubi necesse est. Sic Paulus : *Abundantiùs illis omnibus laboravi : non ego autem , sed gratia Dei mecum*. I. Cor. xv. 10. et ille : *Multam inveni in me sapientiam , et multum profeci in ea : danti mihi sapientiam dabo gloriam*. Eccli. lii. 22, 23. Addamus Ecclesiam verè

murum esse super petram fundatum , vallatumque pariter , et ornatum gemino præcepto caritatis . Denique sponsus invitat ad canendum suavissimum amoris canticum , quo amici quoque ad amorem rapiantur . Illa canit , *fuge* , quod et Ecclesie est , Christum ascendentem in cœlum , sed tamen redditum laudibus prosequentis ; et sublimis animæ , quæ Christum experta sæpe recedentem , et cum maximè teneri videtur , elapsum , amorisque negotium ipso discessu exercentem , ac tum maximè liberalem , adhortatur ad ejusmodi misericordissimam fugam . Dici etiam potest amoris delectatione victam , tantum pondus ferre non posse , quemadmodum ille dicebat : *Satis est , Domine , satis est* ; et illa : *aut pati aut mori* . Licet autem admirari miras amoris vicissitudines , cum alibi absentiæ tædio desolata , exclamet anima : *Revertere , capræ hinnuloque velocior* , II . 17 . hic castarum deliciarum torrente inundata , nec sese ipsa capiens , clamare cogatur : *Fuge , dilecte mi* . Fuga autem indicitur super montes aromatum , ut cum sponsus seipso semper excelsior , refugisse visus sit in quandam immensæ suæ perfectionis arcem , ab eâ tanquam ab inaccesso monte sponsa prohibita , ejus tamen quodam odore recreetur . Nec prætermittam illud Ambrosii , lib . III . de Virg . Nescithabitare , nisi in sublimitate virtutum ; nescit commorari , nisi in talibus Ecclesiæ filiabus , quæ possunt dicere : *Christi bonus odor sumus* . II . Cor . II . 15 .

### SUMMA ET CONCLUSIO OPERIS.

Hic igitur ordo septem dierum . Perpetuum illud : Sponsa conjuncta Christo , et aeterno amore flagrans . Hi gradus . Primo quidem die , anima formæ diffidit suæ , ejusque vitia excusat , atque iis quæ sensus magis afficiunt , pietatis illecebris ac veluti blanditiis delectatur . Secundo : conversa recens ad perfectioris vitæ studium , in ipsis conversionis initiis , anteactæ vitæ tot peccatis obnoxiae commemoratione , ac tædio , novæque deliciis à sposo invitatur ad solitudinem , reliquiasque cupiditatum exterminat . Tertio die : incipiunt amoris exercitationes , inflammatur sponsa , fitque perfectior . Quarto : exercitatio vehemenior est , graviorque cruciatus , animæque non tantum gratia , sed etiam robur additur , ac vis quæ et hostium impetus frangat , et supra perfectissimas animas extollatur . Quinto : non tantum sposo , sed etiam cæteris omnibus , miraculo est . Sexto : quò splendoridior est , eò magis ad solitudinem properat , coque jam ipsa sponsum ultro invitat , ut amori liberius ac sine

ullà interpellatione serviant, ac pleniùs ipsa doceatur. Septimo: in sponsum recumbens, velut suavissimo sabbato, conquiescit.

Recordemur autem hic semper agi de animâ perfectâ, et conjugatâ Verbo, quæ jam osculo digna sit, beatisque amplexibus; sed tamen in Christum magis magisque erescat, ut Paulus: *Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum.* Philip. iii. 13. At cave hic tu mihi cogites animam per septem gradus certâ methodo ac necessariò deductam, in aliquo demum statu consistere. Hoc enim duntaxat apparet in hoc Cantico, quamecumque animam spiritus agit, eam continuis incitamentis ad ulteriora propelli, ut ea ipsa, quam Scriptura perfectam appellat caritas, seipsam supergressa, novis subinde conatibus in Deum assurgat. Huc etiam pertinet Cantici finis: *Fuge, dilecte mi, super montes aromatum.* Quæ quidem sic dicta sunt, ut eum quò magis comprehendendi putatur, eò sublimiorem visum, et quasi fugientem, ipsa pro viribus secutura sit.

Ex hoc Cantico Ecclesia, Patres ac præsertim sanctum Ambrosium eo in argumento copiosissimum secuta, multa transtulit in Mariam: ut hæc, *vox turturis*, vox Mariæ dicentis: *Ecce ancilla Domini: et, Magnificat anima mea Dominum:* Luc. i. 38, 46. vox suavissima, quæ Joannem in utero matris latenter exciverit, ut Dominum ejusque matrem, velut tripudiis salutaret. Et illud, *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea, omniisque odore odoratior castitas, invitavit eum.* Et illud, *Quæ est ista quæ ascendit innixa super dilectum.* Et illud, *Tota pulchra es.* Et illud, *Vide te, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.* Coronavit enim..... quando generavit, inquit Ambrosius; de Instit. virg. 16. n. 98. tamen hoc ipso quòd ad omnium salutem eum concepit et peperit, coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit: aliaque innumerabilia, quæ sublimioribus animis convenientia, eò magis Mariæ congruunt, non tantum accommodatione piâ, sed etiam ad litteram, quò inter sublimissimas ac perfectissimas animas sublimissima ipsa ac perfectissima est.

Nihil autem attinebat ullam hic à Salomone, Dei aut Christi fieri mentionem, cùm Christus totius allegoriæ, atque eclogæ sit ipse argumentum, absurdumque sit, rei figuratae nomen parabolæ inserere. Cæterum allegoriæ vim satis demonstrat, non tantum communis synagogæ, christianaque Ecclesiæ traditio, sed etiam Paulus, Johannes in Evangelio et Apocalypsi, Christus ipse, dum passini ad divinissimi Cantici sensus ac verba respiciunt, sponsique et sponsæ

mysteria celebrant, ut hanc parabolam non unus, aut alter Scripturæ locus, sed tota Scriptura edisserere videatur. Et quandoquidem is est Cantici fructus, ut Christum amemus, libet attexere Christi amorem spirantes sancti Ambrosii voces: *antiq. edit. lib. iii. de Virg. nov. edit. lib. de Virg. cap. xvi. num. 98.* ut carmen amatorium in egregii amatoris affectus desinat. « Omnia, inquit, habemus in Christo; omnis anima accedat ad eum, sive corporalibus aegra peccatis, sive clavis quibusdam sacerdotalis cupiditatis insixa, sive imperfecta adhuc quidem, sed intentâ tamen meditatione proficiens, sive multis aliquia sit jam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est; et omnia Christus est nobis. Si vultur curare desideras, medicus est; si febribus aestuas, fons est; si gravitis iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum queris, alimentum est. *Gustate igitur et videte, quoniam bonus est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo.* » *Psal. xxxiii. 9.*

---

L I B E R  
S A P I E N T I Æ.

4

1

2

3

4

5

6

7

8

# PRÆFATIO

## IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

LIBRUM hunc, regis Salomonis nomine, scriptum esse constat ex his verbis: *Tu elegisti me regem populo tuo..... et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo*, (cap. ix. 7, 8.) quem etiam multi Patres græci, latinique Salomoni tribuunt, atque apud Græcos *Sapientia Salomonis* inscribitur: qui titulus diutissime etiam apud Latinos valuit. Nam in Carthaginensi concilio m. cap. 47. et postea in decretō sancti Innocentii I. inter Scripturas canonicas quinque Salomonis libri recensentur. Primus Gelasius in concilio Romano 1. decreto de Apocryphis sic inscripsit: Salomonis libri tres, Sapientiæ unus, Ecclesiastici unus: quam inscriptionem latini postea secuti sunt codices. Eatenus autem Salomonis esse creditur, quod ejus sensus, non tamen compositionem aut verba contineat: neque enim tantum, ut ait Hieronymus (Præfat. ad Heliod.) græcam eloquentiam redolet, verum etiam sapit sophisticen illam sanam et eruditam, quæ sub Macedonum regum imperio, toto Oriente, ac præsertim Alexandriæ viguit. Deo enim visum est, hunc etiam stylum, ab hebraicâ licet simplicitate abhorrentem, divinis oraculis conscribendis dicari, consecrari; ut sapientia illa cœlestis, omnium hominum ac temporum sensibus et gustui sese accommodaret, quod

1.  
Quatenus liber  
iste Salomonis ha-  
beatur.

etiam secundus Machabaicæ historiæ liber luculenter ostendit.

II.  
De auctore et æ-  
tate libri  
incom-  
pertum.

De auctore libri nihil est memoriæ proditum, præter illud beati Hieronymi, loco mox laudato. Non nulli scriptorum veterum, illum esse Judæi Philonis affirmant, illius scilicet, quem Josephus (lib. 1. cont. Appion.) Demetrio Phalereo supparem memorat: neque quidquam comperimus, quo ea conjectura firmetur. De Philone verò Alexandrino, scriptis post æram christianam editis notissimo, quod nonnulli memorant confutatione non eget; adeo et ætas, et auctoritas, et ipse stylus discrepant.

De scriptionis tempore æquè incompertum. Sanè Ecclesiastici liber ad ea pertinet tempora, quæ Machabaicis propiora videantur, ut suo ostendemus loco. Sapientiæ liber nullam præfert temporum notam, neque quidquam aliud, quam quod ante Ecclesiasticum in Scripturarum canone collocetur: quanquam Hieronymus in suâ Præfatione testatur, se vidisse codices, in quibus Sapientia sub Ecclesiastæ nomine secundum obtineret locum, Ecclesiastico Siracidæ Parabolarum titulum præferente, addito et altero Cantico Canticorum, ad Salomonis exemplum.

III.  
Libri di-  
visio in  
duaspar-  
tes; pri-  
ma par-  
tis docu-  
menta.

Sapientiæ liber duas habet partes. Prima est commendatio sapientiæ usque ad caput ix. quo capite incipit prolixissima, atque ad finem usque libri ducta precatio, quâ prisca historia recolitur, atque in tuendâ piâ gente, ejusque hostibus ulciscendis, divinæ justitiæ ac sapientiæ arcana, ab ipsâ rerum origine reserantur.

Prima illa pars duo habet imprimis, quibus hujus

libri divina ac prophetica commendetur auctoritas; alterum est de Christo paciente manifestissimum vaticinium, consonum Evangelistis, nec semel à veteribus memoratum; (cap. II.) alterum, de increatæ Sapientiæ nativitate ac dotibus præclara documenta quæ Salomonica illustrent, ipsi Paulo facem præferant, ut suo notatur loco. I. VII. VIII.

Huc accedunt egregia illa; mortem non à Deo, sed à peccato esse, et diaboli invidiâ introduc tam, I. II. et tamen usque adeo beneficentiæ vertere, ut citâ morte eripi ab hujus vitæ malis ac periculis, pars sit vel maxima divini muneris. IV.

Quem ad locum pertinet illa perspicua, ac veteris testamenti conditionem propemodum supergressa, de futuræ vitæ bonis atque suppliciis revelationio, quæ evangelicæ veritati viam parare videatur, Deo ita providente, ut quo propior erat Christus, eò copiosius atque illustrius arcana cœlestia pandarentur. (cap. III, V.)

Insigne etiam illud de casti connubii, imò etiam de sanctæ continentiæ fructibus, deque imminentे adulterorum soboli ultione. (III. IV.) Neque prætermittendum id, quod est vel maximum, et ad hujus libri assequendum institutum, imprimis memorabile, nempe hunc directum esse, ac veluti inscriptum, dedicatumque regibus, optimatibus, judicibus. Unde illud initium: *Diligite justitiam, qui judicatis terram,* (I. I.) patefacto etiam arcano, potentes potenter tormenta passuros, et judicium durissimum his qui præsunt fieri. (VI.)

IV.  
Docu-  
menta se-  
cundæ  
partis.

In illâ precatione, quâ divinissimi libri postrema pars continetur, primum illud : veram sapientiam, quæ continentiae quoque nomine appelletur, Dei esse donum. (viii. 21. ix. 4, 9, 10.) Hinc ad finem usque libri, decursâ Pentateuchi historiâ edocemur, quâ mente, quo fructu sacra legatur historia; consideratâ scilicet divinâ sapientiâ, quæ suis semper consulat, ulciscatur malos; quo loco hanc habemus divinæ justitiæ, æternæque legis regulam; per quæ quis peccat, per hæc et torqueri; (xi. 17.) impiosque sibi esse supplicio, et convenientissimis affici pœnis: tum illud præclarissimum; Deum parcentem omnibus, non uno semel ictu, totâque effusâ irâ confidere adversarios, sed lente et paulatim, ut ad pœnitentiam provocet; nec nisi contumaces suæque misericordiæ contemptores adigat ad interitum; quod enim potentior, eò indulgentior, nihilque præproperè aut inordinatè, sed omnia mensurâ, pondere, numero apta disposuit. (xi. xiii.)

V.  
Divina  
libri auc-  
toritas.

His igitur, aliisque divinissimis atque altissimi spiritûs documentis Sapientiæ liber meritò à Patribus ad summum auctoritatis culmen evectus est, divinorumque voluminum canone recensitus. Jam concilii Carthaginensis iii. sancti Innocentii, sancti Gelasii, Romanorum Pontificum, edita eam in rem decreta retulimus, quæ sequitur et firmat Tridentina Synodus, notissimo decreto de Scripturis canoniceis. Sess. iv.

Præluxerunt antiquissimi, ac primæ etiam ætatis Patres, apud quos et Sapientiam et Ecclesiasticum, sacrae Scripturæ titulo prænotatos passim invenias,

nec leviter ac velut perfunctoriè; sed asseveratione  
eā, quæ et firmissima sit, et ad posteriora sæcula  
permanarit.

**D**e canonice Scripturæ titulo, non nihil à Latinis  
Græci discrepare visi; interim quosdam libros à Græ-  
cis divinos ac propheticos fuisse habitos, quos tamen  
in canonem non referrent, vel una illa Origenis ad  
Julium Africanum de Susannâ et aliis confirmat  
epistola: favet ipsum Salomonis nomen, quo non  
nisi divinitùs inspirata volumina dignarentur.

**Q**uod autem sanctus Hieronymus memorat, (eād.  
Præf.) legi quidem ab Ecclesiâ hos libros « ad ædi-  
» ficationem plebis, non ad auctoritatem ecclæ-  
» siasticorum dogmatum confirmandam » : pace  
summi viri dixerim, non ita Augustinus: qui ad  
confutandam Pelagianam hæresim, passim hunc  
adhibet Sapientiæ locum: *Raptus est ne malitia mu-*  
*taret intellectum ejus:* (Sap. iv, 11.) et illum de con-  
tinentiâ ab uno Deo impetrandâ celeberrimum, (viii.  
24.) aliosque non paucos; atque ut pariter de  
Ecclesiastico conficiamus, deductum ex eo libro  
profert egregium locum, de libero arbitrio, pari  
auctoritatis commendatione cum cæteris, qui vel di-  
vinissimi et maximè canonici habeantur. (S. Aug.  
lib. de Gr. et lib. Arb. cap. II. n. 3. Eccli. xv. 11.)

Nec mirum, cùm hinc egregios locos ipse etiam  
Cyprianus attulerit, et adversùs Judæos, opere im-  
primis dogmatico, quo non nisi receptissima, et à  
divino Spiritu dictata protulit; propheticum illud  
de Christo paciente testimonium adhibendum cen-  
suerit, ad confirmandam fidei veritatem.

His ergo permotus S. Augustinus eos, qui libri

Sapientiæ detrectabant auctoritatem, sic castigabat:  
(lib. de Prædest. sanctor. 14, n. 27.) « Non debuit  
» repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in  
» Ecclesiâ Christi de gradu lectorum, tam longâ  
» annositate recitari, atque ab omnibus christianis,  
» ab episcopis usque ad extremos laicos, fideles,  
» pœnitentes, catechumenos, cum veneratione di-  
» vinæ auctoritatis audiri. Ac postea, eum librum  
» sibi anteposuerunt, etiam temporibus proximis  
» Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem  
» adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testi-  
» monium, crediderunt ».

---

---

# LIBER SAPIENTIÆ.

---

## CAPUT PRIMUM.

*Judices diligant justitiam : Dominus adsciscit simplices : peccatores, et simulatores repellit, 4, 5. arcana cordis penetrat : ergo à detractione et mendacio abstinendum : mors non à Deo, sed à peccato, 13, 14, 15.*

1. **D**IILIGITE justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum.

2. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum : apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

3. Perversæ enim cogitationes separant à Deo ; probata autem virtus corripit insipientes.

4. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

<sup>1</sup> *In bonitate* : ut et de Deo bona omnia cogitatis, et ipsi de Deo cogitantes bona omnia sapiatis, quòd magis sequenti congruit.

<sup>2</sup> *Qui non tentant illum* : tentare Deum (quòd sæpe vetitum in Scripturis) nihil aliud est quam diffidere Deo, nec verbis ejus, aut benignitati sati credere, nisi signa et prodigia, non suā voluntate, sed nostro arbitrio faciat; quod est contrarium ei quod subditur : *Apparet autem eis, qui fidem habent in illum.*

<sup>3</sup> *Corripit insipientes* : arguit, convincit, Græc.

<sup>4</sup> *Subdito peccatis* : peccato, Græc.

5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripetur à superveniente iniquitate.

6. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicuum à labiis suis : quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor.

7. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum : ethoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

*5 Spiritus sanctus disciplinæ : supple : magister, disciplinam inspirans ; quo sensu dicitur Spiritus sapientiæ et intellectus, etc. Effugiet fictum : dolum, Græc. Amat enim simplices, veraces, justos, probos ; non simulatores. Corripetur, arguetur, convincetur. A superveniente iniquitate. Ubi supervenerit iniquitas, convincetur falsi is, qui spiritu disciplinæ se jactabat prædictum ; aut enim illum spiritum omnino non habuit, aut non habuit eā quā oportebat animi constantiâ.*

*6 Benignus est : humanus, humanitatis amans, φιλάθρων, Spiritus sapientiæ : ut legit S. Aug. lib. de mend. c. 16. n. 31. sive, ut habet Gr. sapientia ; id est, sapientia Dei, spiritus est hominum amans, quippe quos ad se tantâ benignitate invitet, ut patet Prov. viii. Non liberabit maledicuum à labiis suis : cùm verbis suis ipse capiat, audiatque illud à Paulo : Inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas : in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas : Rom. ii. 1. atque etiam à Domino : Ex ore tuo te judico, serve nequam. Sic Psalm. cxxxix. 10. Labor laborum ipsorum (eorum elaborata ac fraudulenta consilia) operient eos, capient, comprehendent ut fossa, ut laqueus. Renum : interiorum, cogitationum, cupiditatum : hebraismus frequens. Linguae ejus auditor : verborum, arcanorum licet.*

*7 Quoniam Spiritus Domini : ex eo quod Dei Spiritus ubique sit, et omnia suâ virtute contineat, rectè infert exaudiens ab eo quantumvis occultas hominum voces. Unde infert seq. ¶ 8. Propter quod qui loquitur iniqua, non potest latere.*

8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere; nec præteriet illum corripiens judicium.

9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

10. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.

11. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest; et à detractione parcite linguae: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem, quod mentitur, occidit animam.

12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

14. Creavit enim, ut essent omnia: et sanabiles

*9 In cogitationibus impii interrogatio, sive inquisitio, erit: cùm latentes etiam cogitationes tam Deo notæ sint, quām si, inquisitione factā, responsa nostra audierit.*

*10 Auris zeli, sive Dei zelantis cogitationes hominum, eisque animalm attentum adhibentis, audit omnia: et tumultus murmurationum: strepitus, susurrus quamvis occultissimus: quod sequentia produnt.*

*11 Nolite zelare mortem: atque ita vos gerere, quasi eam summo studio accersere cupiatis.*

*13 Deus mortem non fecit. Creavit enim Deus hominem inextermibilem:.... invidiā autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: infra, 11. 23, 24, et, Quare moriemini, domus Israel? quia nolo mortem morientis, Ezech. xviii. 31, 32. Unde subdit:*

*14 Creavit enim ille existens et existendi fons, ut essent omnia, non ut interirent; et ut salutares essent, hoc est, salutiferæ gene-*

BOSSUET. II.

fecit nationes orbis terrarum : et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terrâ.

15. *Justitia enim perpetua est, et immortalis.*

16. *Impii autem manibus et verbis accersierunt illam : et aestimantes illam amicam, defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam : quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.*

*rationes mundi; elementa, plantæ, fruges; neque est in illis medicamentum exterminii, virus mortiferum, aut quidquam generi nostro insalubre aut noxium. Si enim ab initio tellus bonarum tantum herbarum ferax, nec nisi peccantibus spinas et tribulos germinavit; quantò magis venena aberant, sive ab universâ terrâ, degenerantibus postea seminibus, seu quod magis crediderim, à voluptatis horto quem homines incolebant; eò quòd*

*15 Justitia, in quâ homo factus est, per se se immortalis, atque immortalitatem affert.*

*16 Aestimantes illam amicam. Qui enim me oderunt, ait Sapientia, diligunt mortem. Prov. viii. 36. Defluxerunt: tabuerunt, defecti sunt viribus. Sponsiones posuerunt ad illam; cum eâ pactum inierunt. Unde apud Isa. xxviii. 15. Percussimus fœdus cum morte, quasi pacto fœdere nos ei habendos, possidendos sponte tradidimus: ac postea 18. Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Quoniam digni sunt, ut morti dedantur qui sunt ex parte ipsius, qui peccato commisso mortis se partibus addixerunt. Peccatum enim cum consummatum fuerit, generat mortem; Jac. i. 15. et, à quo quis superatus est, hujus et servus est. II. Pet. ii. 19.*

---

---

## CAPUT II.

*Impiorum ratiocinia : post hanc vitam nihil : utendūm præsentibus bonis : odiosum virum bonum : etiam Christum : de ipso prophetia, 18. quid his respondendum : ac primū mortem non à Deo, 22, 23, 24.*

1. Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè : Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis :

2. Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus : quoniam fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum :

3. Quâ extinctâ, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut

<sup>1</sup> *Cum tædio vita nostra. Cavendum à tædio, unde ad sensuum oblectamenta propellimur, verisque ac suis gaudiis præoccupandus animus, juxta illud toties inculcatum: Gaudete. Non est refrigerium, Gr. remedium, curatio in fine, et non est qui agnitus. Oratio familiaris impiis : quare ille dives apud inferos : mitte Lazarum : et : si quis ex mortuis ierit,.... pœnitentiam agent : at Abraham : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Luc. xvi. 27, 30, 31. Nunc autem ad votorum cumulum habemus Christum à cœlo, ab inferis, ex mortuis reversum, cuius resurrectio sole clarior.*

<sup>2</sup> *Ex nihilo nati sumus : Gr. temerè, casu, nullâ causâ, nullo certo vite fine: quod eodem recidit. Fumus flatus est : Gr. fumus aut flatus est in naribus nostris : res facile evanescens, sive sit vapor spissior, sive aer tenuis. Sermo scintilla : Gr. sermo scintilla ; ad commovendum : sermo seu verbum, phrasi hebraicâ, pro re : sensus est : res illa quæ commovet cor nostrum, vitalemque calorem per artus diffundit, non nisi scintilla est quæ statim extinguitur, duabusque omnino rebus vanissimis vita nostra constat, flatu et igne tenui.*

nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, et à calore illius aggravata :

4. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum.

5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniam consignata est, et nemo revertitur.

6. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter.

7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus : et non prætereat nos flos temporis.

8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.

9. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ : ubi-

*4 Et nomen nostrum* : adeo nihil sumus, ut nec fama nostrâ subsistat.

*5 Non est reversio finis nostri* : à fine ac post mortem. *Consignata est enim* : res est sigillo clausa, quod resignare non licet, atque ineluctabili decreto firmata, quod jam nihil simus.

*6 Bonis quæ sunt* : veris bonis. Crassi homines ac sensibus dediti, præter ea quæ palpant, cuneta habent pro inanibus ac nullis, cùm è contra, quæ videntur temporalia sint, quæ autem non videntur, eterna, II. Cor. iv. 18. *que etiam verè sunt*, ut habes infrâ, viii. 6. *Utamur creaturâ tanquam in juventute* : in, decet in edit. Rom. habet Complut. ipsa res sequentibus expónitur.

*7 Flos temporis* : Gr. aeris : odoratus vapor ex vino et unguentis veluti efflorescens.

*8 Nullum pratum* : et hoc ad licentiam pertinet, ut incerti ac vagi hæc illaque discurrant : prata memorantur herbis virentibus leta, choreis ac saltationibus frequentanda : Gr. tamen deest.

*9 Nemo nostrum* : nemo se temperantem modestumque faciat : quod in illo voluptatum contubernio impatientissimè ferunt.

que relinquamus signa lætitiae : quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.

10. Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ, nec veterani revercainur canos multi temporis.

11. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ : quod enim infirmum est, inutile invenitur.

12. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

13. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat.

14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.

15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam

<sup>10</sup> *Opprimamus pauperem.* Rectè Aug. in Psal. LVII. 10. Cùm voluptas non nisi læta et benefica mitisque esse videatur, tamen facile prorumpere in vim ac rapinas, supplendis per scelerata compendia opibus per luxuriem exhaustis.

<sup>11</sup> *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Sic illi apud Platonem passim, justum, inane nomen; nec justitiam esse aliud quam validioris voluntatem. *Quod infirmum est:* virtus ac justitia, eò debilis, quod aequo bonoque conclusa, facile pateat injuriæ nihil non moventium, ac per fas et nefas grassantium.

<sup>13</sup> *Promittit.... et filium Dei se nominat:* 16. gloriatur patrem.... Deum 17. *Videamus.... si sermones illius veri sint.* 18. *Si enim est verus filius Dei:* 20. morte turpissimæ. Hic ille est locus apertè propheticus, toties à Patribus celebratus, et cum Matt. XXVII. 40, 42, 43. conferendus.

<sup>14</sup> *In traductionem:* ἀπογένεσις, reprehensionem, confutationem, convictionem.

dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viæ ejus.

16. Tanquam nugaces æstinati sumus ab illo, et abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum.

17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius.

18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum.

19. Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius.

20. Morte turpissimâ condemnemus eum : erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

21. Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.

<sup>15</sup> *Dissimilis est aliis..... inmutatae viæ ejus : à vulgari hominum consuetudine abhorret.* Viderint qui se satis excusatos putant, quòd sequantur multitudinem.

<sup>16</sup> *Præfert novissima justorum : hoc est, quo vel maximè justi ludibrio habeantur, quòd futura expectent spretis præsentibus. Patrem se habere Deum : Gr. breviūs, gloriatur patrem Deum.*

<sup>18</sup> *Si est verus filius Dei : Græc. Si est ille justus filius Dei. Si est ille Christus sub justi nomine tamdiu expectatus. Isa. xli. xlvi. li. Dan. ix.*

<sup>19</sup> *Contumeliâ et tormento : addamus plagis contumeliam: quod Christo factum est. Interrogemus eum : probemus, ut explicant sequentia. Reverentiam : obedientiam, tolerantiam : Gr. æquitatem, benignantatem.*

<sup>20</sup> *Morte turpissimâ : cruce scilicet, servili ac teterrimo atque ignominiosissimo supplicio. Erit enim respectus ex sermonibus illius. Viderimus inter cruciamenta quid dicat, et an sibi constet,*

**22.** Et nescierunt sacramenta Dei , neque mercedem speraverunt justitiae , nec judicaverunt honorem animarum sanctorum.

**23.** Quoniam Deus creavit hominem inextermi-  
nabilem , et ad imaginem similitudinis suæ fecit  
illum :

**24.** Invidiâ autem diaboli , mors introivit in orbem  
terrarum :

**25.** Imitantur autem illum , qui sunt ex parte  
illius.

**22** *Sacramenta Dei* : mysteria sive arcana consilia. *Animarum  
sanctorum* : Gr. irrehrensibilium.

**23** *Deus creavit hominem inexterminabilem* , immortalem , ut re-  
cordatione pristinæ dignitatis erigat justorum animos , ne impiorum  
insectationibus victi jaceant. *Ad imaginem similitudinis suæ* : Græc.  
proprietas. Deo enim proprium , ut sit per se immortalis ; cætera  
omnia per se deficiant , nisi continuò divinæ virtutis influxu suspen-  
tentur. Alii codices habent , æternitatis suæ , ἀδιάτορος , pro idōτες .

**24** *Invidiâ diaboli mors*. *Unde Christus* : *ille homicida ab initio.*  
*Joan. VIII. 44.*

**25** *Imitantur autem illum*. *Vos ex patre diabolo estis* , et desideria  
patris vestri vultis facere. *Joan. ibid.*

### C A P U T III.

*Prosequitur adversus impios : justorum spes : gloria sempiterna :  
impii meledicti : eorum maledicta conjugia : maledicta soboles ,  
cunuchi spirituales , 14.*

**1.** JUSTORUM autem animæ in manu Dei sunt , et  
non tanget illos tormentum mortis.

<sup>1</sup> *Tormentum mortis*. Vox ultima deest Græc.

2. Visi sunt oculis insipientium mori: et aestimata est afflictio exitus illorum;

3. Et quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.

4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

5. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.

6. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos; et in tempore erit respectus illorum.

7. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.

<sup>2</sup> Aestimata est afflictio; <sup>3</sup> et quod à nobis est iter. Insipientes arbitrantur exitum justorum sive mortem, nihil aliud esse quam cruciatum, et profecionem à nobis, interitum, excidium: Græc. contritionem.

<sup>5</sup> In paucis: in corpore, in paucorum dierum vitâ, vexati: in multis: in æternâ et interminabili vitâ: benè disponentur: Gr. per paucâ docti (sub patientiæ disciplinâ habiti), maximis affluentur beneficiis. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: et, Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriae pondus operatur. Rom. viii. 18. II. Cor. iv. 17.

<sup>6</sup> Quasi holocausti hostiam accepit illos: Gr. holocaustum hostiæ, sive immolationis, eodem sensu, ut perfectam oblationem, qualis est holocausti, quæ tota Domino consecratur. In tempore erit respectus illorum; suo et idoneo tempore respiciet Deus eorum studia et labores. At Gr. in tempore respectus illorum (quo illos respiciet Deus).

<sup>7</sup> Fulgebunt, et tanquam scintillæ in arundineto: clarâ luce, in materiâ quæ flammam facile comprehendat: discurrent: immortalē lucem circumferentes.

8. Judicabunt nationes , et dominabuntur populis : et régnavit Dominus illorum in perpetuum.

9. Qui confidunt in illo , intelligent veritatem ; et fideles in dilectione acquiescent illi : quoniam donum et pax est electis ejus.

10. Impii autem secundam quæ cogitaverunt , correptionem habebunt ; qui neglexerunt justum , et à Domino recesserunt.

11. Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit , infelix est ; et vacua est spes illorum , et labores sine fructu , et inutilia opera eorum.

12. Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum.

13. Maledicta creatura eorum : quoniam felix est sterilis , et incoinquinata , quæ nescivit thorum in de-

<sup>8</sup> *Judicabunt nationes* : teste ipso Christo , Apoc. II. 26.

<sup>9</sup> *Donum* : seu donativum . *Electis ejus. Stipendia enim peccati , mors : gratia autem Dei* (donum seu donativum , et gratuita largitio quâ suos impertit milites ) *vita æterna. Rom. vi. 23.*

<sup>11</sup> *Vacua spes illorum. Isa. LIX. 5, 6, 7. Ova aspidum ruperunt , et telas araneæ texuerunt..... Telæ eorum non erunt in vestimentum , neque operientur operibus suis : opera eorum opera inutilia ;.... cogitationes eorum cogitationes inutiles : vastitas et contritio in viis eorum.*

<sup>12</sup> *Mulieres eorum insensatæ. Impiorum familia pravis exemplis corrupta.*

<sup>13</sup> *Maledicta : execrabilis , creatura (seu progenies ) eorum : pessimorum hominum pessima soholes. Felix sterilis , et incoinquinata , seu virgo , præ illis tam impiè conjugatis . Tot probra , tot corruptæ sunt in conjugiis et familiis , tanta etiam in connubiali thoro flagitia , ac de honestamenta sunt , ut sterilitas et virginitas longo spatio antecellant . Habet fructum : præclaram sobolem , bona opera .*

licto , habebit fructum in respectione animarum sanctorum :

14. Et spado , qui non operatus est per manus suas iniuriam , nec cogitavit adversus Deum nequissima : dabitur enim illi fidei donum electum , et sors in templo Dei acceptissima.

15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus , et quæ non concidat radix sapientiæ.

16. Filii autem adulterorum in inconsuptione erunt , et ab iniquo thoro semen exterminabitur.

17. Et si quidem longæ vitæ erunt , in nihilum computabuntur , et sine honore erit novissima senectus illorum.

18. Et si celerius defuncti fuerint , non habebunt spem , nec in die agnitionis allocutionem.

eorumque mercedem. *In respectione , in visitatione et retributione : animarum sanctorum : deest Gr.*

<sup>14</sup> *Et spado : supple , beatior. Alludit ad spadones illos , de quibus Isa. lvi. 3, 4, 5. Qui non operatus est per manus ; nec cogitavit : qui nec opere , nec cogitatione peccavit. Dabitur illi fidei donum electum : excellens , singulare , scilicet , nomen melius à filiis et filiabus ; nomen sempiternum..... quod non peribit : Isa. ibid. ut jam nou in sobole , ut cæteri homines , sed in bonis operibus immortalitatem consequantur. Sors in templo Dei acceptissima : Is. ib. Dabo eis in domo mea et in muris meis locum ; ut et illud animo providisse videantur , cœlibes honoratiore loco in templo Dei sessuros , sacramentumque administros futuros.*

<sup>16</sup> *Filiū adulterorum in inconsuptione erunt : Gr. inconsu- mati , impuri , non initiati , imperfecti abortivi instar ; ut infrà , iv. 4, 5. Ab iniquo thoro semen , seu soboles , exterminabitur , aberit : contrà ac Salomon pollicetur thoro intaminato et casto , Prov. v. 15, 16.*

<sup>18</sup> *Nec in die agnitionis : in die quo benefacta et scelera recognoscuntur. Allocutionem : solatium : Gr.*

19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

<sup>19</sup> *Nationis* : generationis, seu sobolis *iniquæ*, inter adulteria sordesque natæ : *diræ sunt consummationes*; diri et infausti exitus.

---

## CAPUT IV.

*Pii, clari, notique : malorum soboles instabilis : justorum beata mors, 7. beata etiam vita : etiamsi brevis, 1. senectute melior, 8, 9. citò rapi ex gratiè est, 11, 14. vitæ pericula, tentationes, fascinum, 12. irrisi impii et infelices, 19, 20.*

1. O QUAM pulchra est casta generatio cum claritate ! immortalis est enim memoria illius : quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

2. Cùm præsens est, imitantur illam ; et desiderant eam, cùm se eduxerit : et in perpetuum corona triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

3. Multigena autem impiorum multitudo non erit

<sup>1</sup> *O quam pulchra casta generatio : sive generatio illa honorum operum, de quâ suprà, iii. 13, 14. sive post exhibitas oculis impiorum et adulterorum execratas atque incestatas domos, piorum sobolem benedictam prædicat. Prima illa interpretatio magis Græco congruit, qui sic habet : Melior est orbitas, sive sterilitas cum virtute : supple, quam illa impiorum ampla soboles. Immortalis est enim memoria illius : sterilitatis scilicet cum virtute conjunctæ : ut habes Isa. LVI.*

<sup>2</sup> *Incoinquitorum certaminum præmium vincens : pro quo Gr. prælium. Sunt autem incoinquiata certamina, incruenta illa, neque ullà cæde polluta, quibus voluptatem virtute et castitate dejicimus. Posset etiam pro, certaminum, reponi, præliorum : eodem ubique sensu quo illa prælia celebrentur, quæ puram, ac nullà cæde fœdam reportent lauream.*

utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas,  
nec stabile firmamentum collocabunt.

4. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, à vento commovebuntur, et à nimietate ventorum eradicabuntur.

5. Confringentur enim rami inconsuham, et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti.

6. Ex inquis enim somniis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversùs parentes in interrogacione suâ.

7. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

8. Senectus enim venerabilis est non diurna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis,

9. Et ætas senectutis, vita immaculata.

10. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est.

<sup>3</sup> *Spuria vitulamina*: mendum: ex voce μοσχευμάτων, vertendum autem, *spuriæ*, sive adulterinæ propagines, plantationes: ut habet Aug. 2. de doct. Christ. cap. 12. hoc est, adulterorum soboles, non habent radices altas: ut sup. III. 16. etc. Ambrosius tamen ex hac versione Theclam, Agnetem, Pelagiam vocat *nobilia vitulamina*, lib. 2. epist. 7. (nunc cp. 37. n. 36.)

<sup>6</sup> *Ex inquis somniis*: illicitis amplexibus, sive delectamento somni, ut infrà, VII. 2. quem poeta dulcem soporem vocat. *In interrogacione*, sive probatione *sud*: datâ occasione parentum se similis comprobabunt.

<sup>8</sup> *Cani autem sunt sensus hominis*: sive, ut habet Gr. canities ipsa, prudentia est hominibus; ne eam colore aut annis aestimes.

11. *Raptus* est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.

12. *Fascinatio* enim *nugacitatis* obscurat bona, et *inconstantia concupiscentiae* transvertit sensum sine malitiâ.

13. *Consummatus* in brevi, explevit tempora multa :

14. *Placita enim erat Deo anima illius*, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. *Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in praecordiis talia:*

15. *Quoniam gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.*

16. *Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longam vitam injusti.*

<sup>11</sup> *Raptus est.* Quem in locum Aug. lib. de Prædest. Sanct. xiv. n. 26. « Dictum est secundum pericula vite hujus, non secundum præscientiam Dei qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccatus esset, qui mansurus in temptatione non esset. » Quem Sapientie locum laudat etiam Cypr. lib. de Mortal. ab Augustino citatus.

<sup>12</sup> *Fascinatio nugacitatis.* En vitam humanam; *fascinatio*, sive *fallacia*, atque *deception*, *stoliditas*, *nugacitas*, *pravitas*, *inconstantia*, sive *vacillatio*, *μηδεσμός*: hæc enim omnia græcae voces sonant. *Inconstantia concupiscentiae*: sensuum vagi ac mutabiles motus, unde Moses: *Nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes*: Num. xv. 39. et Paulus: *Facientes voluntates carnis et cogitationum.* Ephes. xi. 3.

<sup>14-15</sup> *Populi autem.... non intelligentes.... quoniam gratia et misericordia.* Supple, deplorabunt corum præproperam mortem, quos jam æternitati maturos Deus ad se evocabat.

<sup>16</sup> *Longam vitam*: longævam senectutem: Gr.

17. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus.

18. Videbunt et contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.

19. Et erunt post haec decidentes sine honore, et in contumeliâ inter mortuos in perpetuum: quoniā disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos à fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur: et erunt gementes, et memoria illorum peribit.

20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

<sup>17</sup> Quare: in quid; Gr. cuius rei gratiâ, munierit, firmaverit, illum Dominus, tot præsidiis instruxerit, tutumque servaverit, nempe ut æternū viveret.

<sup>19</sup> Inflatos: præcipites: Gr. sine voce, mutos, frustra hiscentes, verbis non secuturis, atque, ut in somniis, delusos vanis conatibus. Commovebit illos à fundamentis; dejectos omni spe, et in æternū alienatos à vita Dei. Ephes. iv. 18.

## C A P U T V.

Piorum ab impiis discrimina post mortem: horum sera in inferno pœnitentia, 2, 6. in hac-vita inanes labores, 7. inanis jactantia, 8. transitoriae nullo relichto voluptates, 9, 10 et seqq. vanæ spes, 15. justorum æterna stabilitas: Deus pro illis et contra impios armatus, 16 et seqq. ictu certo et indeclinabili, 22.

1. TUNC stabunt justi in magnâ constantiâ adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.

<sup>1</sup> Stabunt justi: stabit justus, Gr. Qui abstulerunt labores eorum: alimenta, victum quantovis labore partum.

2. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis,

3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperi.

4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore :

5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

6. Ergo erravimus à viâ veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.

7. Lassati sumus in viâ iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.

8. Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ?

9. Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens,

10. Et tanquam navis, quæ pertransiit fluctuan-

<sup>3</sup> In similitudinem : in parabolam, Gr. sic Jer. xxiv. 9. civitas in opprobrium et in parabolam, hoc est, assumenda in exemplum magnæ calamitatis, ut Sodoma et Gomorrha, Deut. xxix. 23. Jer. xl ix. l. etc.

<sup>6</sup> Justitiæ lumen : sol intelligentiæ, sol simpliciter, Gr. Aliis, sol justitiæ, de quo Malach. iv. 2. Hoc est quod ait Paulus : *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* Ephes. iv. 18.

<sup>7</sup> Lassati sumus in viâ iniquitatis : lassati iniquitatis viis, sive ad satietatem pleni, Græc. *Vias difficiles*; deserta avia, inaccessa, Gr. atque hæc est cæcitas, ut licet defatigati, tamen ad flagitia pertrahantur, nec possint referre pedem.

tem aquam ; cujus, cùm præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus :

11. Aut tanquam avis, quæ transvolat in aere ; cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem : commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius :

12. Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum ; divisus aer continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius :

13. Sic et nos nati continuò desivimus esse : et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : in malignitate autem nostrâ consumpti sumus.

14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt :

15. Quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur : et tanquam spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur : et tanquam fumus qui à vento diffusus est : et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.

16. Justi autem in perpetuum vivent ; et apud Dominum est merces eorum ; et cogitatio illorum apud Altissimum.

17. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dexterâ suâ teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.

<sup>15</sup> *Tanquam lanugo* : χνῦς, florū lanugines à ventis circumlatæ, quod nunc legitur : χνῦς, pulvis : eodem sensu.

18. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

19. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galeâ judicium certum.

20. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem :

21. Acuet autem duram iram in lanceam : et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

22. Ibunt directè emissions fulgurum, et tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.

23. Et à petrosâ irâ plenæ mittentur grandines : excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrerent duriter.

24. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos : et ad erenum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.

<sup>18</sup> *Accipiet armaturam zelus illius : armaturam zelum suum, Gr. æmulationem in contemptores.*

<sup>22</sup> *Ibunt directè : directæ, Gr. ἀνεχομέναι, benè collimatæ, neque aberraturæ ab ictu ; à sagittis comparatione ductæ, ut sequentia demonstrant. Exterminabuntur, emittentur, quod tamen Gr. deest. Ad certum locum : ad scopum.*

<sup>23</sup> *Et à petrosâ irâ : Dei scilicet, petrosâ autem, lapidante, instar machinæ saxa jacentis : περπλέσθων. Alludit ad eos locos, in quibus Deus in hostes saxis et grandinibus pluit. Exod. ix. 18. Jos. x. 11. Aqua maris, et flumina : venturi judicii signa. Pressurâ gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum. Luc. xxi. 25.*

<sup>24</sup> *Spiritus virtutis : ventus vehemens. Ad erenum : ad solitudinem, ad vastitatem.*

---

## CAPUT VI.

*Omnis potestas à Deo : gravi rationi reddendæ obnoxia , 4 , 5.  
potentes potenter cruciandi , 6 , 7 , 9. nulla acceptio perso-  
narum : justa justè : sapientia quām expetenda , tam obvia est  
omnibus , 13 , 14. verè regnare quid sit? 22 , 23.*

1. **MELIOR** est sapientia quām vires, et vir prudens  
quām fortis

2. Audite ergo , reges , et intelligite ; discite ,  
judices finium terræ.

3. Præbete aures , vos qui continetis multitudi-  
nes, et placetis vobis in turbis nationum :

4. Quoniam data est à Domino potestas vobis , et  
virtus ab Altissimo ; qui interrogabit opera vestra ,  
et cogitationes scrutabitur :

5. Quoniam cùm essetis ministri regni illius , non  
rectè judicastis nec custodistis legem justitiæ , neque  
secundùm voluntatem Dei ambulastis.

6. Horrendè et citò apparebit vobis : quoniam ju-  
dicium durissimum , his qui præsunt , fiet.

7. Exiguo enim conceditur misericordia : poten-  
tes autem potenter tormenta patientur.

8. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus ,  
nec verebitur magnitudinem cuiusquam : quoniam

\* *Melior est : deest Gr. Similis sententia Eccl. ix. 18.*

4 *Interrogabit opera vestra : non adulatores vestros : interroga-  
bit autem , probabit : ad normam exiget , non ad hominum opi-  
niones.*

8 *Non subtrahet judicio personam : non enim est acceptio per-  
sonarum apud Deum . Rom. ii. 11.*

pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.

9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

10. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis.

11. Qui enim custodierint justa justè, jūstificabuntur: et qui didicerint ista, invenient quid respondeant.

12. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam.

13. Clara est, et quæ nunquam marcescit, sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam.

14. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.

16. Cogitare ergo de illâ, sensus est consummatus; et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit.

17. Quoniam dignos seipsâ circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentiâ occurrit illis.

18. Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.

19. Cura ergo disciplinæ, dilectio est; et dilectio,

<sup>11</sup> *Justa justè: ex Deut. xvi. 20. justè quod justum est persequeris: sanctè sancta, Gr.*

<sup>13</sup> *Facile videtur: de his et seqq. vide Prov. ii. viii. etc.*

<sup>19</sup> *Dilectio, custodia legum. Qui enim diligit proximum, le-*

custodia legum illius est : custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est :

20. Incorruptio autem facit esse proximum Deo.

21. Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum.

22. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.

23. Diligite lumen sapientiae, omnes qui præestis populis.

24. Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam : et non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem :

25. Neque cum invidiâ tabescente iter habebo : quoniam talis homo non erit particeps sapientiae.

26. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum ; et rex sapiens stabilimentum populi est.

27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis.

*gem implevit.* Rom. xiii. 8. quod egregie exequitur Augustinus tract. 87. in Joan. De mor. Ecc. cath. cap. 15. n. 25. et alibi passim.

<sup>24</sup> *Facta sit :* Vide vii. 25, 26.

## CAPUT VII.

*Regum et vulgi æqua nativitas : tam infirma , tam misera , 1 et seqq. in una sapientia opes , 14. ac vera scientia ibid et seqq. aeternæ sapientiae dotes , 22, 23, 24. nativitas , 25, 26. vis , 27. lux et pulchritudo , 29, 30.*

1. SUM quidem et ego mortalis homo , similis omnibus , et ex genere terreni illius , qui prior factus est , et in ventre matris figuratus sum caro ,

2. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine , ex semine hominis , et delectamento somni conveniente.

3. Et ego natus accepi communem aerem , et in similiter factam decidi terram , et primam vocem similem omnibus emisi plorans.

4. In involumentis nutritus sum , et curis magnis.

5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.

6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam , et similis exitus.

7. Propter hoc optavi , et datus est mihi sensus : et invocavi , et venit in me spiritus sapientiae :

8. Et præposui illam regnis et sedibus , et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.

9. Nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius , arena est exigua , et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.

<sup>1</sup> *Qui prior factus , seu fictus est : πρωτοπλάστης.*

<sup>3</sup> *Plorans : æquè plorans , Gr.*

10. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile est lumen illius.

11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, et innumerabilis honestas per manus illius,

12. Et lætatus sum in omnibus : quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam horum omnium mater est.

13. Quam sine fictione didici, et sine invidiâ communico, et honestatem illius non abscondo.

14. Infinitus enim thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinæ dona commendati.

15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententiâ, et præsumere digna horum, quæ mihi dantur : quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator :

16. In manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina.

17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum,

<sup>10</sup> *Super salutem* : valetudinem : et speciem : egregiam formam ; quæ duo hominibus jucundissima.

<sup>11</sup> *Honestas* : decor, gloria.

<sup>12</sup> *Antecedebat* : viæ ac vitæ dux. *Ignorabam* : anteaquam me studio addicerem sapientiæ. Sic sapientissimi quique ab ignorantia ordiuntur.

<sup>15</sup> *Mihi autem dedit Deus* : det Deus, Gr. *ex sententiâ* : secundum optata. *Et præsumere* : animo, cogitatione : cogitare, Gr.

<sup>17</sup> *Ut sciam* : quantum homini fas est. Alioquin hæc omnia humano ingenio inaccessa Ecclesiastes passim docet.

18. Initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum,

19. Anni cursus, et stellarum dispositiones,

20. Naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum:

21. Et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.

22. Est enim in illâ spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens,

23. Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui

*18 Initium, consummationem, medietatem temporum: eorum nexum.*

*20 Cogitationes hominum: sive ratiocinationes, opiniones: nisi mavis ipsam ratiocinandi artem. Nota autem bestiis iras, vim ventis, hominibus cogitationes rationesque attributas.*

*21 Omnium enim artifex docuit me sapientia. Jam exemplo Salomonis erigit oculos ad illam sapientiam creatricem, de qua Prov. VIII. 22.*

*22 Est enim in illâ spiritus. Jam inde ab initio sapientiam vocat spiritum. Unicus, multiplex: quod uno consilio, viâque simplice omnia deinde in numeros evolvantur. Mobilis, impiger, efficax, in agendo promptus. Disertus: pro quo in Gr. ῥητός, splendidus, luculentus. Certus: perspicuus, manifestus, Gr. Συαῖς: innoxius, Gr. Βονοῦς αμᾶνς; æqui bonique studiosus. Acutus: penetrantissimus, cui nihil impervium, unde quem nihil vetat: nihil arcet: ad omnia expeditus. Benefaciens: beneficis, Gr.*

*23 Humanus: humanitatis amans. Certus: additum ad stabilitatem vel securitatem. Omnem habens virtutem, omnia prospiciens:*

capiat omnes spiritus; intelligibilis, mundus, subtilis.

24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam.

25. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: et ideo nihil inquinatum in eam incurrit.

26. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

27. Et cùm sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat: et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.

Gr. omnipotens, omniscius, sive omnium inspector. *Qui capiat omnes spiritus: intelligibilis*, Gr. permeans omnes spiritus intelligentes, mundos seu castos, subtilissimos: omnium spirituum ponderator, scrutator, *Prov. XVI. 2.*

<sup>24</sup> *Mobilior*: expeditior, actuosior. *Propter munditiam*: simplicitatem, immixtam puritatem, quam etiam philosophi, duce Aristotele, actum vocant purissimum.

<sup>25. 26.</sup> *Vapor est..... emanatio..... candor seu splendor, speculum, imago*. En Verbi incorrupta generatio, atque indeminutus, æternus, et omnis mutationis expers ex paternâ substantiâ ac luce processus; que secutus Paulus, Christum imaginem Dei invisibilem prædicat, in quo omnia condita et creata sint, visibilia æquè ac invisibilia, nec minus Angeli cujuscumque ordinis sint, quam homines. II. Cor. IV. 4. Col. I. 15, 16, 17. Item Heb. I. 3. eumdem Christum splendorem gloriae Dei, ejusque substantiæ characterem vocat; atque hæc omnia, infectam, increatam, et tamen procedentem demonstrant Sapientiam; cæterum in nobis quodammodo factam, cùm ejus illustratione sapientes facti sumus. Suprà, VI. 24.

**28.** Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientiâ inhabitat.

**29.** Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inventitur prior :

**30.** Illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia.

## CAPUT VIII.

*Prosequitur sapientiæ dotes : fortis, suavis, 1. amanda, ducenda seu sponsanda, 2, 3. homines facit providos, 8. dulcis convictrix, 9, 16. gubernatrix, 14, 15. Bona indoles, 19, 20. Continentia ab uno Deo expectanda et petenda.*

**1.** ATTINGIT ergo à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

**2.** Hanc amavi et exquisivi à juventute meâ, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.

**3.** Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei : sed et omnium Dominus dilexit illam.

**4.** Doctrrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius.

**3** *Generositatem* (splendorem generis) *illus*, suam, *glorificat*: commendat ipsa sapientia. *Contubernium*; ex eo quòd consociet Deo. *Dilexit illam*, et in sinu suo genitam, et ad homines postea propagatam.

**4** *Doctrrix..... est* : Gr. *initiatrix*, seu quæ homines initiet ad sacrae disciplinæ mysteria. *Electrix* : quod alii legunt, *aperit*, *inventrix*, quòd et ipsa rerum ordinem invenerit, et invenire nos faciat.

5. Et si divitiæ appetuntur in vitâ , quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia?

6. Si autem sensus operatur : quis horum , quæ sunt , magis quam illa est artifex ?

7. Et si justitiam quis diligit : labores hujus magnas habent virtutes : sobrietatem enim et prudentiam docet , et justitiam , et virtutem , quibus utilius nihil est in vitâ hominibus.

8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis : scit præterita , et de futuris æstimat : scit versutias sermonum , et dissolutiones argumentorum : signa et monstra scit antequam fiant , et eventus temporum et sæculorum.

9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum : sciens quoniam mecum communicabit de bonis , et erit allocutio cogitationis et tædii mei.

10. Habebo propter hanc , claritatem ad turbas , et honorem apud seniores , juvenis :

11. Et acutus inveniar in judicio , et in conspectu

5. 6. 7. 8. *Si divitiæ.* Seu divitiæ diligas , seu prudentia , virtutesque prævaleant , sapientiâ omnia continentur. 6. *Horum , quæ sunt :* verorum honorum , contra quam arbitrantur impiorum . *Sap.* ii. 6.

7 *Labores hujus magnas habent virtutes :* Gr. labores hujus (opera à sapientiâ elaborata) sunt virtutes.

8 *Scit præterita , et de futuris æstimat :* Gr. novit et præterita , et futura conjectari , hoc est , ut arbitror , futura ex præteritis. *Versutias sermonum :* ratiocinationum strophas. *Dissolutiones argumentorum :* ænigmatum. Gr. *Signa et monstra scit antequam fiant :* quales conjectores volebat Christus cùm diceret : *Faciem ergo cœli dijudicare nostis : signa autem temporum non potestis scire ?* Matth. xvi. 4. et illud : *Ab arbore autem fici discite parabolam , etc.* Matth. xxiv. 32 , 33.

9 *Allocutio cogitationis :* curarum solarium , Gr.

potentium admirabilis ero , et facies principum mirabuntur me :

12. Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

13. Præterea habebo per hanc, immortalitatem : et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

14. Disponam populos : et nationes mili erunt subditæ.

15. Timebunt me audiētes reges horrendi : in multitudine videbor bonus, et in bello fortis.

16. Intrans in domum meam , conquiescam cum illâ : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

17. Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo : quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ ,

18. Et in amicitiâ illius delectatio bona , et in operibus manuum illius honestas sine defectione , et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius : circuibam quærens, ut mili illam assumérem.

19. Puer autem eram ingeniosus , et sortitus sum animam bonam.

<sup>12</sup> *Tacentem me sustinebunt* : ex Job. xxix. 8, 9.

<sup>18</sup> *Honestas sine defectione* : opes inexhaustæ , Gr. in coexercitatione conversationis illius : in frequentandis ejus colloquiis. *Præclaritas* : nominis claritudo.

<sup>19</sup> *Puer ingeniosus* : bonâ indole, Gr. *Sortitus sum animam bonam* ; decreta Dei sorti cuidam etiam Apostolus comparat : Eph.

20. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquatum.

21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis:

I. 11. quòd horum nulla causa humana inveniri possit, sortesque Deus temparet. *Prov. XVI. 33.*

*20 Cùm essem magis bonus: Gr.* magis autem (hoc est, seu potius) cùm essem bonus, *veni ad corpus:* non quòd esset bonus antequam veniret ad corpus; absurdum enim, cùm de toto, uti se habet, loquatur homine, coniuncto jam corpore; neque quòd corpus illud in iniquitatibus, humano more conceptum, atque immundo concretum semine, prorsus intaminatum esset tum cùm infusa est anima; sed quòd puer bonæ indolis, bonamque sortitus animam, eò facilè devenerit, ut corpus etiam incorruptum servaret à pravis libidinibus. Quanquam nec illud desigerim, quin anima è Dei manibus, seu potius ex oris ejus afflatu ad castum corpus suo quodam modo venisse dicatur, ut tamen bonum illud, castumque non absolutè, sed comparatè et vulgari hominum more sumatur: quod firmatur sequentibus.

*21 Et ut scivi.* Ne tamen crederemus bonam indolem, temperatumque corpus ad continentiam assequendam sufficere: docet nos unde vera continentia habeatur: Dei quippe dono: quod urget Augustinus de grat. et lib. arb. c. IV. n. 8. de bon. persev. XVII. n. 43, etc. Memoratu autem dignum videtur sequenti prece, quæ ad finem usque libri deducitur, nihil haberi speciale de continentia; sed cùm de sapientiâ ubique agatur, quâ homo verè continens, suique compos efficitur, datur intelligi, sapientiæ nomine, comprehensam etiam continentiam.

## CAPUT IX.

*Incipit oratio ad finem usque libri producenda, 1. Hominis creatio : imperium, 2, 3. Petit sapientiam à Deo mittendam, 4. operum Dei rectricem, 9. adjutricem regum, 10 et seqq. sine hæc homines imperiti et imbecilli, 15 et seqq.*

1. Deus patrum meorum, et Domine misericordia, qui fecisti omnia verbo tuo,

2. Et sapientiâ tuâ constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est,

3. Ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitiâ, et in directione cordis judicium judicet :

4. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare à pueris tuis :

5. Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.

6. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo absuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

7. Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum et filiarum :

8. Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio :

<sup>4</sup> Sedium tuarum assistricem : de quâ *Prov. viii. 27.*

<sup>5</sup> Minor ad intellectum judicii et legum. Ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum, et servus tuus in medio est populi..... infiniti, etc. ut ipse Salomon, III. *Reg. iii. 7, 8.*

<sup>8</sup> Similitudinem..... quod præparasti ab initio ; in deserto, scilicet, *Exod. xxvi. ad cuius formam templum extactum est.*

9. Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis.

10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te :

11. Scit enim illa omnia et intelligit : et deducet me in operibus meis sobriè, et custodiet me in suâ potentia.

12. Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum justè, et ero dignus sedium patris mei.

13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus ?

14. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiae nostræ.

15. Corpus enim quod corruptitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

16. Et difficile æstimamus quæ in terrâ sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit ?

17. Sensum autem tuum quis sciet ? nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis :

18. Et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines.

19. Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, à principio.

<sup>15</sup> *Sensem multa cogitantem: mentem multa curantem: πολυφρόνεια.*

## CAPUT X.

*Sapientia claret ab initio mundi in tuendis hominibus : Adamo , 1, 2.*

*Noe , 5. Abrahamo , 6. Jacobo , 10. Josepho , 13. totâ Hebræorum gente , 15 et seqq. maris Rubri transitus , 18. Cainus insipiens , 3. diluvium , 4.*

1. Hæc illum , qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum , cùm solus esset creatus , custodivit ,

2. Et eduxit illum à delicto suo , et dedit illi virtutem continendi omnia .

3. Ab hâc ut recessit injustus in irâ suâ , per iram homicidii fraterni deperiit .

4. Propter quem , cùm aqua deleret terram , sannavit iterum sapientia , per contemptibile lignum justum gubernans .

5. Hæc , et in consensu nequitiae cùm se nationes contulissent , scivit justum , et conservavit sine querelâ Deo , et in filii misericordiâ fortē custodivit .

6. Hæc justum à pereuntibus impiis liberavit sufficientem , descendente igne in Pentapolim :

7. Quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra , et incerto tempore fructus

<sup>1</sup> Continendi onnia : dominandi , regendi .

<sup>2</sup> Injustus : Cain .

<sup>3</sup> Propter quem : Cainum ejusque impiam sobolem ; quæ filios Dei initis connubiis pervertit . Gen. vi. 2.

<sup>4</sup> In consensu nequitiae : Chaldaeis , vicinisque gentibus in idolatriam consentientibus . Scivit : agnoscit : ab aliis separavit : invenit , Gr. Justum : Abrahamum : in filii ( Isaaci quem immolatus erat ) misericordiâ fortē custodivit .

<sup>5</sup> Justum : Lot . Gen. xix .

habentes arbores, et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

8. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his quæ peccaverunt, nec latere potuissent.

9. Sapientia autem hos, qui se observant, à doloribus liberavit.

10. Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum.

12. Custodivit illum ab inimicis, et à seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

13. Hæc venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum : descenditque cum illo in foveam,

<sup>7</sup> Et incredibilis animæ : incredulæ, uxoris Lot. *Ibid.*

<sup>10</sup> Hæc profugum (ac velut exulem, Gr.) iræ (ab irâ) fratris (Esaü) justum (Jacobum.) Regnum Dei. Angelos scilicet ascendentes et descendentes, scalæque ad cœlos pertingentis cacumini innitentem Deum. *Gen. xxviii. 12, 13. Scientiam sanctorum :* dedit ei nosse angelos, et cum eis scire Deum et cœlum, et domum Dei, Bethel sive locum in quo Deus coleretur. *Ibid. 17.*

<sup>11</sup> In fraude circumvenientium illum : Labanis, ejusque familiæ, *Ibid. xxix. xxx. xxxi.*

<sup>12</sup> Certamen forte : cum angelo : *ibid. xxxii. Potentior est sapientia :* Gr. pietas.

<sup>13</sup> Venditum à fratribus justum Josephum : à peccato : Gr. ab adulterio cum uxore Putipharis, *ibid. xxxix.*

14. Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversùs eos, qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam.

15. Hæc populum justum, et semen sine querelâ liberavit à nationibus, quæ illum deprimebant.

16. Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis.

17. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in viâ mirabili: et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem:

18. Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam.

19. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum,

20. Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter.

21. Quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.

<sup>14</sup> *Sceptrum* (sive administrationem) *regni*. *Qui maculaverunt:* reprehenderant, Gr.

<sup>15</sup> *Populum justum*: Hebræum. *Semen sine quereld*: sive irreprehensibile, Gr.

<sup>16</sup> *Servi Dei*, Mosis.

<sup>17</sup> *In viâ mirabili*: per mare Rubrum. *In velamento diei*: die, Gr. et in luce: per columnam nubis nocte rutilantem. *Exod.* xii, xiii, etc.

<sup>19</sup> *Ab altitudine inferorum*: sive de profundo abyssi (maris) Gr. *Eduxit illos*: Israelitas.

<sup>21</sup> *Os mutorum.....infantium*: Maria, et cum eâ omnis sexus, omnis ætas, magnificenter carmine Dominum celebrabat.

---

## CAPUT XI.

*Moyses, 1. via populi in deserto, 2. victoriae, 3. præstita de cœlo auxilia, 4. quæ pœnæ sunt Ægyptiis, ea piis suit gratiæ, 5, 6 et seqq. animadversiones paternæ ad probandum: judicia ad punendum, 9. 10, 11. Ægyptiis bestiarum cultores per bestias puniti, 16, 18 et seqq. per quæ quis peccat, per hæc et torquetur, 17. Dei inexhausta nec toleranda vis, 22, 23. benignitas parcens omnibus, 24 et seqq.*

1. DIREXIT opera eorum in manibus prophetæ sancti.

2. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas.

3. Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt.

4. Sitierunt, et invocaverunt te, et data est illis aqua de petrâ altissimâ, et requies sitis de lapide duro.

5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum à defectione potûs sui, et in eis, cùm abundarent filii Israel, lætati sunt;

<sup>1</sup> Prophetæ sancti: Mosis.

<sup>2</sup> Casas, seu tabernacula. Gr.

5. 6. *Per quæ.... passi sunt: per hæc: quod supplicio Ægyptiis, id Israelitis gratiæ vertit. Ægyptii evim tetrâ vexati siti, aquis in cruorem versis; Israelitæ à pessimo siti cruciatu refecti refotique. Cætera interserit, ab his verbis, à defectione, ad finem usque versus. 5. Quanquam huic loco aptissima, in hodierno Græco desunt ab uberiore codice repetita. His autem et seqq. auctor duo agit, primum, ut quæ tentamento piis, ea exitio impiis futura sint; tum illud vel maximè impios convenientissimis torqueri suppliciis, ut patchit v. 8, 16, 17 et seqq.*

6. Per hæc , cùm illis deessent , benè cum illis actum est.

7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis , humanum sanguinem dedisti injustis.

8. Qui cùm minuerentur in traductione infantium occisorum , dedisti illis abundantem aquam insperatè :

9. Ostendens per sitim quæ tunc fuit , quemadmodum tuos exaltares , et adversarios illorum necares.

10. Cùm enim tentati sunt , et quidem cum misericordiâ disciplinam accipientes , scierunt quemadmodum cum irâ judicati impii tormenta patarentur.

11. Hos quidem tanquam pater monens probasti :

*7 Sempiterni fluminis : perennis : humanum sanguinem dedisti : immundo sanguine turbati. Gr.*

*8 Qui cùm minuerentur in traductione : Gr. Ad convictionem , confutationem , redargutionem : sed hæc in latinâ interpretatione abrupta et pendentia , sic habent in Gr. à ḡ. 7. Nam cùm (Ægyptii Israelitarum inimici) pro jugi flumine , sanguine immundo conturbati esseut , in redargutionem præcepti de occidendis parvulis (Hebræorum , de quo Exod. 1. 16.) dedisti ipsis (Israelitis scilicet) abundantem aquam insperatè , hoc est , illi quidem turbati , aquâ repellente versâ in sanguinem ; hi autem præter spem , aquarum copiâ recreati . Ait autem id contigisse Ægyptiis , in redargutionem præcepti de occidendis infantibus ; ut qui sanguinem ianocentem fudissent , sanguine potarentur : quemadmodum in Apoc. xvi. 6. Quia sanguinem sanctorum..... effuderunt , et sanguinem eis dedisti bibere ; digni enim sunt.*

*9 Per sitim quæ tunc fuit : in deserto scilicet.*

*10 Cùm tentati sunt..... disciplinam accipientes : quasi virgâ emen- dati , didicerunt sitim ipsis probationi , impiis suppicio fuisse , quod fusè declarant sequentia.*

illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.

<sup>12.</sup> Absentes enim et præsentes similiter torquebantur.

<sup>13.</sup> Duplex enim illos acceperat tædium, et gemitus cum memoriâ præteriorum.

<sup>14.</sup> Cùm enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitûs.

<sup>15.</sup> Quem enim in expositione pravâ projectum deriserunt, in finem eventûs mirati sunt, non similiter justis sitientes.

<sup>16.</sup> Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis

<sup>11</sup> *Interrogans (ac velut quæstione habitâ) condemnasti : Gr. interrogasti, convicisti.*

<sup>12</sup> *Absentes enim Ægyptii, et præsentes Hebræi similiter eâdem siti torquebantur.*

<sup>13</sup> *Duplex enim illos Ægyptios, acceperat tædium : seu molestia, Gr. cùm ad eos perlata esset fama ejus sitis, quâ Israelitæ in deserto laborassent, dupli cruciatu affecti sunt. Primum quidem ex memoriâ præteriorum, atque horrendæ illius sitis quam perpessi essent, aquis in sanguinem versis : iterum autem, quòd viderent Israelitas inimicos ex eodem incommodo tantâ benignitate refectos, invidiâ tabescabant ; atque hoc postremum est quod habent seqq.*

<sup>14</sup> *Cùm enim audirent Ægyptii per sua tormenta, per sitim, bene secum agi : bene cum illis agi, Gr. id est, cum Hebreis : commemorati sunt Dominum : ejus recordati sunt ; sive, ut habet Gr. senserunt Dominum, alios probantem, alios punientem : admirantes in finem exitûs : Gr. deest.*

<sup>15</sup> *Quem enim (populum Dei) in expositione puerorum projiciendorum in flumen, Exod. 1. 22. projectum deriserunt : repudiarunt ; eundem Dei populum, in finem eventûs, mirati sunt non similiter justis sitientes : διψαρες, siti affecti, aoristo præteriti vim habente. Viderunt se non eodem eventu sitisse, ac justos.*

<sup>16</sup> *Pro cogitationibus : demonstrare pergit, quomodo Deus con-*

illorum , quod quidam errantes colebant mutos serpentes , et bestias supervacuas , immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam :

17. Ut scirent quia per quæ peccat quis , per hæc et torquetur.

18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua , quæ creavit orbem terrarum ex materiâ invisâ , immittere illis multitudinem ursorum , aut audacec leones ,

19. Aut novi generis irâ plenas ignotas bestias , aut vaporem ignium spirantes , aut fumi odorem proferentes , aut horrendas ab oculis scintillas emittentes :

20. Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare , sed et aspectus per timorem occidere .

21. Sed et sine his uno spiritu poterant occidi , persecutionem passi ab ipsis factis suis , et dispersi per spiritum virtutis tuæ : sed omnia in mensurâ , et numero , et pondere disposuisti .

gruis quemque suppliciis puniat , ut habes ad ¶ 5. *bestias supervacuas* , non tantum arietes , boves , sed etiam inutiles , serpentes , insecta alia .

<sup>18</sup> Ex materiâ invisâ : informi , Gr. Alludit ad locum Gen. 1. 2. Terra autem erat inanis et vacua : cùm tamen prius creasset illam informem materiam , ut habes ¶ 1. In principio creavit Deus cælum et terram .

<sup>21</sup> Uno spiritu : uno flatu tuo : aut persecutionem passi ab ipsis factis suis : urgente scelerum conscientiâ , quæ illos respirare non sineret : sive , ut habet Gr. ab ipso judicio , ab ipsâ ultrice scelerum divinâ justitiâ . Sed omnia in mensurâ . Ductâ similitudine à venditionibus , in quibus omnia traduntur certâ mensurâ , ut agri jugera , frumentum , vinum , oleum ; certo numero , ut tot oves , tot caleci , tot tunicæ ; certo pondere , ut metalla et alia . Sic Dei sapientia modum et ordinem rebus imponens , dat omnia numeratò , capillos

<sup>22.</sup> Multum enim valere , tibi soli supererat semper : et virtuti brachii tui quis resistet ?

<sup>23.</sup> Quoniam tanquam momentum stateræ , sic est ante te orbis terrarum , et tanquam gutta roris antelucani , quæ descendit in terram .

<sup>24.</sup> Sed misereris omnium , quia omnia potes , et dissimulas peccata hominum , propter pœnitentiam .

<sup>25.</sup> Diligis enim omnia quæ sunt , et nihil odisti eorum quæ fecisti ; nec enim odiens aliquid constituisti , aut fecisti .

<sup>26.</sup> Quomodo autem posset aliquid permanere , nisi tu voluisses ? aut quod à te vocatum non esset , conservaretur ?

<sup>27.</sup> Parcis autem omnibus , quoniam tua sunt , Domine , qui amas animas .

etiam , ac minutissima quæque : mensuratè , *Mensuram enim bonam et confertam , et coagitatam .... dabunt in sinum vestrum.* Læc. VI. 38. Ad pondus ; novit enim quām levi momento tribulationes , quām gravi et æterno pondere gloriam præstet . II. Cor. IV. 17. Quæ et universim valent , et hic speciatim . *Omnia enim hæc in mensurâ dispositi* , hoc est , non agis cæco impetu , aut vires immoderatas effundis ; quæ altera fuit ratio , cur Deus minuta animalia immitteret , ne statim uno ictu conficeret impios , et daretur pœnitentia ac misericordia locus , ut labes infrà XII. 2. 10.

<sup>22</sup> *Multum enim valere , tibi soli supererat semper :* soli , deest Gr. Quidquid egeris , quantascumque vires effuderis , adhuc tibi superest infinita et inexhausta potentia .

<sup>24</sup> *Misereris omnium , quia omnia potes.* En exemplum , ut quò magis viribus , eò magis clementiâ prævaleas : quod repetit XII. 16.

<sup>25</sup> *Diligis omnia quæ sunt.* Duabus de causis , et quòd dederis ut essent , et quòd cùm sint , conserves ; rectè Aug. de verb. Apost. XI. Non enim fecit , et deserit , non enim curavit facere , et non curat custodire ; et paulò post : utique non potest non curare quos fecit ; quod pertinet ad sequentem .

<sup>26</sup> *Quod à te vocatum non esset.* Necesse est ut quæ sunt , iugis Dei influxu ab ipso nihilo evocentur .

## CAPUT XII.

*Deus lentè et paulatim punit, et ad pœnitentiam expectat, 1, 2 et seqq. Chananaei ab initio maledicti, 11 et seqq. Dei supremum nullique rationi obnoxium imperium, 13. punit malos: nec tamen toto impetu, nec statim uno ictu, 15, 20. nam manu dicitur parcere, 16. Dei inimici puniti per ea quæ colunt, 23, 24 et seqq.*

1. O QUAM bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!

2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relictâ malitiâ, credant in te, Domine.

3. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti,

4. Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, et sacrificia injusta,

5. Et filiorum suorum necatores sine misericordiâ, et comedentes viscerum hominum, et devoratores sanguinis à medio sacramento tuo,

6. Et auctores parentes animarum in auxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum,

<sup>1</sup> *O quam bonus: incorruptus, Gr.*

<sup>2</sup> *Partibus corripis: paulatim, ut infrà, 10. partibus judicans: singillatim, paulatim; quomodo etiam vertit ꝑ. 8. Admonens alloqueris: Gr. commemorans admones.*

<sup>3</sup> *Antiquos inhabitatores: Philistæos, et alias impias gentes.*

<sup>4</sup> *Sacrificia injusta: sacra impia, Gr. τελετæ ἀνοίκους.*

<sup>5</sup> *A medio sacramento tuo: quod maximè abhorret à mediis sacris suis, in quibus à sanguine vel maximè abstinetur.*

<sup>6</sup> *Et auctores horum scelerum: animarum in auxiliatarum: liberorum, quos immisericorditer immolabant.*

7. Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quae tibi omnium carior est terra.

8. Sed et his tanquam hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitūs tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.

9. Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare :

10. Sed partibus judicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

11. Semen enim erat maledictum ab initio; nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.

12. Quis enim dicet tibi : Quid fecisti ? aut quis stabit contra judicium tuum ? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum ? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti ?

13. Non enim est aliis Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injustè judicas judicium.

14. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.

15. Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis :

7 *Ut dignam puerorum* (pueris seu filiis Dei) *perciperent peregrinationem*: migrationem sive migrandi locum, coloniam.

8 *Vespas*: crabrones. *Exod.* xxiii. 28. *Deut.* vii. 20. *Jos.* xxiv. 12.

10 *Naturalis malitia*: ab ipso genere, pravisque majorum institutis insita. *Quoniam non poterat mutari*: Gr. quoniam non immutaretur, eò quòd viderentur inemendabiles.

11 *Semen maledictum*: in Chanaan Philistæorum parente. *Gen.* ix. 25.

ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas à tuâ virtute.

16. Virtus enim tua justitiae initium est; et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.

18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magnâ reverentiâ disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.

19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse et humanum; et bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiae.

20. Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tantâ cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quæ possent mutari à malitiâ;

21. Cum quantâ diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum?

22. Cùm ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam

<sup>16</sup> *Virtus tua* (sive potentia Gr.) aequa est, ac justitiae fons.

<sup>17</sup> *Virtutem enim ostendis*: cùm vinci te putant, tunc exurgis victor. *Horum qui te nesciunt*: in his qui sciunt, Gr. utrumque verum: nempe, et scientibus et nescientibus æquè invictam exhiberi Dei potentiam. *Traducis*: confundis.

<sup>18</sup> *Cum tranquillitate; Gr. æquitate, benignitate*: ~~moderatione~~: *cum magna reverentia*: Gr. moderatione, indulgentia.

<sup>20</sup> *Cum tantâ cruciasti attentione*: addit Gr. parcimoniam, indigentiam; quasi tibi non suppeteret ulciscendi copia.

cogitemus judicantes, et cùm de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam.

23. Unde et illis, qui in vitâ suâ insensatè et injustè vixerunt, per hæc quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.

24. Etenim in erroris viâ diutius erraverunt, deos aestimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.

25. Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti.

26. Qui autem ludibriis et increpationibus non sunt correcti, dignum Dei judicium experti sunt.

27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cùm exterminarentur, videntes illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt: propter quod et finis condemnationis eorum venit super illos.

<sup>23</sup> Per hæc quæ coluerunt: Gr. per proprias abominationes; per animalia quæ abominabili cultu prosequabantur, ut supra, xi. 16.

<sup>24</sup> Deos aestimantes hæc, quæ in animalibus (inter animantes) sunt supervacua: reptilia, et cætera quæ nulli utilitati sunt: ut ibid. xi. 16.

<sup>25</sup> Judicium in irrisum dedisti. Mures enim, ranas, muscas immittere, nihil aliud esse videbatur, quam ludibrium.

<sup>26</sup> Qui autem his poenarum veluti ludibriis in hâc vitâ emendati non sunt, his post vitam seria et gravia impinges supplicia.

<sup>27</sup> In quibus enim: sensus: cùm enim excinderentur per eos quos putabant deos, tandem agnoverunt verum, quem antea negabant, Deum: agnoverunt autem inviti, ac simulatè, aut eorum ritu de quibus sæpe dicitur: *Et scietis quia ego sum Dominus percutiens.* Ezech. vii. 9. et alibi passim. Vi adaequati, nec tamen resipiscentes, sed potius blasphemantes agnosceris Deum. Vide Apoc. xvi. 9, 10, 11.

---

## CAPUT XIII.

*Ex creaturis aestimandus Deus, 1. unde vani creaturarum, 2 et seqq. ac idolorum cultores, 10 et seqq.*

1. VANI autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex :

2. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.

3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt : sciant quanto his dominator eorum speciosior est ; speciei enim generator hæc oīnnia constituit.

4. Aut si virtutem, et opera eorum mirati sunt, intelligent ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis :

5. A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.

<sup>1</sup> *Vani omnes homines* : Gr. addit : naturā, errore inolito ex patribus, et ab ipsā velut nativitate indito, ut suprà, xii. 10. *Scientia seu cognitio Dei*.

<sup>2</sup> *Spiritum*. Notum illud, *Spiritus intus alit*, etc. *Aut nimiam aquam*. Non deerant qui omnia ex aquis orta ferrent, quòd inde rebus semina ac succis plantæ, animantes, homines, ipsa etiam tellus aleretur.

<sup>3</sup> *Specie*, seu pulchritudine, Gr. *Speciei generator*. Gr. addit primus, quòd sit fons pulchritudinis, adeoque omnium pulcherimus.

<sup>4</sup> *Cognoscibiliter* : verti oportebat, per proportionem, ἀναλόγως : comparatis rerum rationibus.

6. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes invenire.

7. Etenim cùm in operibus illius conversentur, inquirunt, et persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.

8. Iterum autem nec his debet ignosci.

9. Si enim tantùm potuerunt scire, ut possent aestimare sæculum; quomodo hujus dominum non faciliùs invenerunt?

10. Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manûs antiquæ.

11. Aut si quis artifex faber de silvâ lignum rectum secuerit, et hujus doctè eradat omnem corticem, et arte suâ usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ,

<sup>6</sup> *In his minor est querela.* Et tamen tolerabilius errant, qui stellæ aliasque insignes creaturas pro Deo habent; videntur enim querendo Deum defecti viribus, ac inquisitionis labore defatigati, hæsisse in rebus pulcherrimis, ¶. 5, 6, 7. et quanquam sunt inexcusabiles, ¶. 8, 9. longè errant infelicius, nec vivis, sed mortuis accensendi, qui, ea quæ fabricant idola, deos collunt.

<sup>10</sup> *Artis inventionem:* quam Paulus vocabat sculpturam artis et cogitationis hominum. Act. xvii. 29. *Opus manûs antiquæ:* et hoc statuis conciliabat cultum, quòd ab antiquo factæ, velut obliteratæ fabricæ memoriæ.

<sup>11</sup> *Lignum rectum:* Gr. bene mobile, tractabile: sive, ut recte hic Nobilius, quòd benc obediatur manui artificis. Hæc autem et seqq. desumpta ex Isa. xliv. 12.

12. Reliquis autem ejus operis ad præparationem escae abutatur :

13. Et reliquum horum , quod ad nullos usus facit, lignum curvum , et vorticibus plenum , sculpat diligenter per vacuitatem suam , et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet illud imagini hominis,

14. Aut alicui ex animalibus illud comparet, perlaciens rubricâ , et rubicundum faciens fuco colorem illius , et omnem maculam , quæ in illo est, perlaciens :

15. Et faciat ei dignam habitationem , et in pariete ponens illud , et confirmans ferro ,

16. Ne fortè cadat , prospiciens illi , sciens quoniam non potest adjuvare se : imago enim est , et opus est illi adjutorium.

17. Et de substantiâ suâ , et de filiis suis , et de nuptiis votum faciens , inquirit. Non erubescit loqui cum illo , qui sine animâ est :

18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur et pro vitâ rogat mortuum , et in adjutorium inutillem invocat :

19. Et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest; et de acquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

<sup>13</sup> *Vorticibus plenum* : nodosum , compactis scilicet ad juncturas ramorum nodis. *Per vacuitatem suam* : per otium , ut habet. Gr.

<sup>14</sup> *Rubicundum* : ut vivere ac vigere videatur.

## CAPUT XIV.

*Idolorum cultus, 1, 8. navigatio comparata ad avaritiam, vita  
tamen utilis, et à Deo instituta : sculpturæ origo, quæ homi-  
nes abusi in adulatioñem et idololatriam : idololatriæ mala,  
23 et seqq.*

1. ITERUM alius navigare cogitans, et per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum invocat.

2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, et artifex sapientiâ fabricavit suâ.

3. Tua autem, Pater, providentia gubernat; quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam :

4. Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiamsi sine arte aliquis adeat mare.

5. Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera ; propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.

6. Sed et ab initio cùm perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem configiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tuâ erat gubernata.

5 *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera : ne maris tam vasta moles inutilis haberetur, eam quoque hominibus frequentandam tradidisti.*

6 *Gigantes : portentosum genus hominum, de quo Gen. vi. 4.  
Spes orbis terrarum : Noe et ejus familia.*

7. Benedictum est enim lignum , per quod fit justitia.

8. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est et ipsum , et qui fecit illud : quia ille quidem operatus est ; illud autem cum esset fragile , Deus cognominatus est.

9. Similiter autem odio sunt Deo , impius et impietas ejus.

10. Etenim quod factum est , cum illo qui fecit , tormenta patietur.

11. Propter hoc et in idolis nationum non erit respectus : quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt , et in tentationem animabus hominum , et in muscipulam pedibus insipientium.

12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum ; et adinventio illorum , corruptio vitæ est.

13. Neque enim erant ab initio , neque erunt in perpetuum.

*7 Benedictum..... lignum per quod fit justitia : in figuram ligni quo liberati sumus : Ambros. in Psal. cxviii. Benedictum lignum ( arca scilicet ) quod fit per justitiam ( Deo jubente ) ; maledictum autem lignum quod fit per manus hominum ( ad colendum ), ut habet y. seq.*

*9 Odio sunt Deo , impius et impietas ejus : impium opus quod fabricat ; idolum.*

*11 In idolis nationum non erit respectus : melius Gr. erit respectus ; in idola erit inquisitio et ultio , negatione sublatâ , nam idola contrita sunt. Creaturæ Dei : Gr. in creaturâ Dei , ( in ipso opificio inter Dei creatureas ) in odium factæ sunt. Gr. facta sunt , idola scilicet.*

*12 Initium fornicationis , sive idololatriæ ex ipsâ sculpturæ arte repetendum , cuius refert originem.*

*13 Neque enim , ut sidera et tellus , aliaque Dei opera , idola erant ab initio , neque durabunt in perpetuum , fragili scilicet compactâ*

14. Supervacuitas enim hominum hæc advenit in orbem terrarum; et ideo brevis illorum finis est inventus.

15. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia.

16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta.

17. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quòd longè essent, è longinquo figurâ eorum allatâ, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt; ut illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent suâ sollicitudine.

18. Provexit autem ad horum culturam, et hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

19. Ille enim volens placere illi qui se assumpsit, elaboravit arte suâ, ut similitudinem in melius figuraret.

20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt.

materiâ, seu quòd recens inducta per gloriam supervacuam, postea obsolescant, ac tandem destruenda sint, ut Prophetæ testantur passim, quod congruit seq.

<sup>14</sup> *Supervacuitas* : Gr. vanitate hominum invecta sunt (idola).

<sup>20</sup> *Deum æstimaverunt* : *εἴλασμα*, numen, rem colendam, idolum.

21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio : quoniam aut affectui , aut regibus deservientes homines , incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.

22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam ; sed et in magno viventes inscientiæ bello , tot et tam magna mala pacem appellant.

23. Aut enim filios suos sacrificantes , aut obscura sacrificia facientes , aut insaniae plenas vigilias habentes ,

24. Neque vitam , neque nuptias mundas jam custodiunt ; sed alius alium per invidiam occidit , aut adulterans contristat :

25. Et omnia commista sunt , sanguis , homicidium , furtum et fictio , corruptio et infidelitas , turbatio et perjurium , tumultus bonorum ,

26. Dei immemoratio , animarum inquinatio , nativitatis immutatio , nuptiarum inconstantia , inordinatio mœchiæ et impudicitiæ.

<sup>21</sup> *Affectui* : Gr. calamitati ; gravibus affectibus ex orbitate ortis : ex ḡ. 15.

<sup>22</sup> *Dei scientiam* , sive cognitionem *in magno viventes inscientiæ bello* : magnis coortis per inscientiam de naturâ atque ortu deorum dissentionibus. *Pacem appellant* : sic enim de Judæis loquebantur , quasi neglectis idolis , ruptoque humani generis fœdere , universarum concordiam nationum suâ dissensione violarent. Esth. xiii. 4. I. Mach. i. 43.

<sup>23</sup> *Obscura sacrificia* : occulta (et fœda) mysteria : Gr. *Insanas* , (sive obscenas) *vigilias* : Gr. epulas.

<sup>24</sup> *Neque vitam*. En usque ad ḡ. 29. fœdi idolatriæ fructus ; quâ de re Paulus, Rom. i. 24, 28, 29, etc.

<sup>25</sup> *Turbatio* : turbæ , seditiones. *Tumultus bonorum* : exagitatio.

<sup>26</sup> *Dei immemoratio* : oblivio , Græc. gratie oblivio , sive immemor beneficiorum animus. *Nativitatis immutatio* : immutata progenies ; suppressi aut suppositi partus. *Nuptiarum inconstantia* :

27. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis.

28. Aut enim dum lætantur, insaniunt, aut certè vaticinantur falsa, aut vivunt injustè, aut pejerant citò.

29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine animâ sunt, malè jurantes noceri se non sperant.

30. Utraque ergo illis evenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo, attendentes idolis, et jura- verunt injustè, in dolo contemnentes justitiam.

31. Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricatio- nem.

per divoria, sive inordinatio, Gr. nulla conjugalis thori reve- reutia.

27 *Et finis.* Omnia flagitia per cæcitatem mentis in idolatriam ac Dei oblivionem desinunt.

28 *Dum lætantur, insaniunt.* Insanâ lætitia elati, atque ab arce dejecti, id quo delectantur, pro Deo habent; quod idololatris familiare est.

30 *Contemnentes justitiam:* sanctitatem, Græc.

31 *Non enim juratorum* (eorum per quos juratur) *virtus, sed pec- cantium pœna:* Gr. judicium : perambulat : Gr. insurgit : super *injustorum prævaricationem.* Haud minus pejerant qui per idola fal- lunt: non idolorum virtute, sed suo judicio convicti prævaricatio- nis, in id quod habent instar numinis.

---

## C A P U T X V.

*Piorum gratulatio, quòd ab idolis puri : prosequitur de idololatria<sup>4</sup>  
ac sculpturæ abusu : cultus animalium.*

1. Tu autem, Deus noster, suavis et verus es,  
patiens, et in misericordiâ disponens omnia.

2. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes  
magnitudinem tuam : et si non peccaverimus, sci-  
mus quoniam apud te sumus computati.

3. Nosse enim te, consummata justitia est; et scire  
justitiam et virtutem tuam, radix est immortalis-  
tatis.

4. Non enim in errorem induxit nos hominum  
malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor  
sine fructu, effigies sculpta per varios colores,

5. Cujus aspectus insensato dat concupiscentiam,  
et diligit mortuæ imaginis effigiem sine animâ.

6. Malorum amatores, digni sunt qui spem ha-  
beant in talibus, et qui faciunt illos, et qui dili-  
gunt, et qui colunt.

7. Sed et sigulus mollem terram premens, labo-  
riosè fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de  
eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et  
similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasos-  
rum quis sit usus, judex est sigulus.

<sup>2</sup> *Et si non peccaverimus : Gr.* non autem peccabimus, ut qui  
sciamus nos censeri tuos.

<sup>4</sup> *Malæ artis : sculpturæ scilicet ; per eventum et abusum malæ.*

<sup>5</sup> *Dat concupiscentiam : illicit ad nefarios cultus : Gr. aliter. Effi-  
giem sine animâ : sive halitu : prorsus inanimem.*

<sup>6</sup> *In talibus : diis.*

8. Et cum labore vano deum singit de eodem luto, ille qui paulò antè de terrâ factus fuerat, et post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat.

9. Sed cura est illi, non quia laboratur est, nec quoniam brevis illi vita est: sed concertatur aurificibus et argentariis; sed et ærarios imitatur, et gloriam præfert, quoniam res supervacuas singit.

10. Cinis est enim cor ejus, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita ejus :

11. Quoniam ignoravit qui se finxit, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem.

12. Sed et æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque, etiam ex malo, acquirere.

13. Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materiâ fragilia vasa, et sculptilia singit.

14. Omnes enim insipientes, et infelices supra

<sup>8</sup> *Ille qui paulò antè.* Ille fecit deum ex eodem luto, ex quo ipse recens compactus, in lutum resolvetur, repetitâ animâ quam habebat.

<sup>9</sup> *Sed cura est illi.* Nihil memor figulus, neque molesti operis, neque brevis ævi, æmulatur aurifices, et gloria ducit, quòd æquè ac illi *res supervacuas*, imagines, Gr. adulterina *figit*: idola scilicet et deos.

<sup>12</sup> *Æstimaverunt* factores idolorum *lusum esse vitam*, ac per ludibria et jocos transigendam, compositaque omnia ad lucrum: *et oportere etiam ex malo*, ac etiam ex idolorum fabricâ pecuniam corraderet, ut ille in Actis, xix. 25. *Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio.*

<sup>14</sup> *Supra modum animæ*: Gr. super animam infantis; supra quam

modum animæ, superbi sunt inimici populi tui, et imperantes illi :

15. Quoniam omnia idola nationum deos aestimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videntium, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum.

16. Homo enim fecit illos, et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum singere.

17. Cùm enim sit mortalis, mortuum singit manibus iniquis. Melior enim est ipse, his quos colit : quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem nunquam.

18. Sed et animalia miserrima colunt : insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.

19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, et benedictionem ejus.

Liceat animæ quantumvis infirmæ, puta infantis. *Superbi* : deest Gr. jungendum seqq.

16 *Homo enim*. En gradus, ut Deus per se vivens et immortalis, viventes quidem sui imagines, sed tamen mortales faciat ; homo autem mortalis, mutuato à Deo spiritu, singat mortuas.

18 *Animalia miserrima colunt* : Gr. inimicissima, nocentissima ; reptilia, serpentes. *Insensata enim* : sensu parentia, id est, statuæ, comparata his, (Græc. aliis) scilicet animalibus, quantumvis deterrimis, illis deteriora sunt.

---

## CAPUT XVI.

*Bestiarum cultores per bestias puniti: eae quoque immissae in Hebreos, sed dispari eventu: serpens aeneus, 7. animadversio in Aegyptios per ignem grandini mistum, et famam consumptis frugibus, 19. manna populo Dei præstatum, ejusque mirabilia, 20 et seqq. vis illa hominum altrix, non escarum natura, sed verbo et voluntate Dei constat, 21, 26.*

1. PROPTER hæc, et per his similia passi sunt dignè tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt.

2. Pro quibus tornientis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygometram :

3. Ut illi quidem concupiscentes escam, propter ea quæ illis ostensa et missa sunt, etiam à necessariâ concupiscentiâ averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam.

4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem

<sup>1</sup> *Per similia passi sunt: per bestias bestiarum cultores.*

<sup>2</sup> *Pro quibus tormentis: cùm idolorum cultores ulciscereris per bestias, quas colebant; è contra plebem tuam alebas per bestias. Data ortygometra, coturnice, dedisti concupiscentiam delectamenti: rem quam delectabiliter appetebant. Novum saporem: peregrinum, insuetum.*

<sup>3</sup> *Ut illi quidem: idololatræ, Aegyptii, ranis aliisque animantibus etiam inter cibos ebullientibus. Exod. viii. 3. Etiam à necessariâ concupiscentiâ averterentur, ingenerato fastidio per eorum animalium deformitatem, ut habeat Gr. Hi autem, Hebræi ad extremam inopiam redacti, novam gustaverunt escam. Summa: animantium genere, ut vis, uteris, sive ad ultionem, sive ad beneficium.*

supervenire interitum exerceentibus tyrannidem : his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur.

5. Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira , morsibus perversorum colubrorum exterininabatur.

6. Sed non in perpetuum ira tua permansit ; sed ad correptionem in brevi turbati sunt , signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

7. Qui enim conversus est , non per hoc , quod videbat , sanabatur , sed per te omnium salvatorem.

8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris<sup>5</sup> , quia tu es , qui liberas ab omni malo.

9. Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus , et non est inventa sanitas animæ illorum ; quia digni erant ab hujusmodi exterminari.

10. Filios autem tuos , nec draconum venenatorum vicerunt dentes : misericordia enim tua adveniens sanabat illos.

11. In memoriâ enim sermonum tuorum examinabantur , et velociter salvabantur , ne in altam incidentes oblivionem , non possent tuo uti adjutorio.

12. Etenim neque herba , neque malagma sanavit eos , sed tuus , Domine , sermo , qui sanat omnia.

<sup>5</sup> *Etenim cum illis* : Hebræis : aliud exemplum ; immissis serpentibus in Hebræos , statim datum serpentis ænei remedium. Num. xxii. 6. etc.

<sup>6</sup> *Signum salutis* : serpentem æneum. *Ad commemorationem mandati legis tuæ* , quo tibi fidere jubebantur.

<sup>7</sup> *Qui conversus est* : ad illum æneum serpentem.

<sup>12</sup> *Malagma* : unguentum dolorem emollientis ac mitigans.

13. Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis.

14. Homo autem occidit quidem per malitiam : et cùm exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est :

15. Sed tuam manum effugere impossibile est.

16. Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt ; novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem consumpti.

17. Quod enim mirabile erat, in aquâ, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat : vindex est enim orbis justorum.

18. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia : sed ut ipsi videntes, scirent quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem.

19. Et quodam tempore in aquâ supra virtutem ignis exardescerat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.

<sup>16</sup> *Novis aquis, grandinibus, pluviis : per ignem :* redit ad plagas Ægyptiacas, et grandinem igne mistam. Exod. ix. 23, 24. *Novis aquis :* sive liquefactâ, ut solet, grandine : sive etiam, ut fit, pluviis grandini mistis : quibus pergit demonstrare creaturas omnes etiam inanimas Deo ulti obsequi.

<sup>17</sup> *Quod enim mirabile :* παραδεῖται : maximè incredibile.

<sup>18</sup> *Mansuetabatur ignis, ne comburerentur animalia :* locustæ, quas postea grassari oportebat. Exod. x. *Quæ missa erant :* jam terræ gremio fota, et suo tempore eruptura : quanquam ex Gr. verti posset, missa sunt.

<sup>19</sup> *Ut iniquæ terræ nationem exterminaret :* germina, fruges : γερματα, ut ἡ. 22. κάπνος, fructus. Interpres autem nationem pro na-

20. Pro quibus angelorum escâ nutritisti populum tuum , et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore , omne delectamentum in se habentem , et omnis saporis suavitatem.

21. Substantia enim tua dulcedinem tuam , quam in filios habes , ostendebat , et deserviens uniuseu jusque voluntati , ad quod quisque volebat , convertebatur.

22. Nix autem et glacies sustinebant vim ignis , et non tabescabant : ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluviam coruscans.

*tivitate posuit* , ut xviii. 12. xix. 10. hoc est , pro natis frugibus , ut infrà , §. 26. quanquam et frugum illa consumptio omnino instituta erat ad exciendandam gentem . Summa autem : ignem nunc repres sis , nunc exertis viribus , prout jubebatur , in creatoris potestate fuisse.

20 *Pro quibus* : pro consumptis frugibus , filiis tuis manna præbuisti , cuius miram vim docet . *Oninis saporis suavitatem* : atqui Num. xi. 7. manna erat saporis instar panis oleati . Sed alias est nativus sapor , alias quem fidei multiformis gratia tribuebat ; quod iste vel à Dei spiritu , vel à populi Dei traditione didicit ; unde et Paulus , ea quæ in arcâ erant : Heb. ix. 4. Quem locum si conferas cum III. Reg. viii. 9. et II. Paral. v. 10. huic similem reperies . Vide etiam infrà , xix. 7.

21 *Substantia enim tua* : Gr. ἡπιστή. Non manna tot per se effcta præstabat ; sed Dei fœcunda substantia ex quâcumque re quidquid vult elicit .

22 *Nix autem et glacies* : aliud oppositum ; nivem quidem et glaciem , seu grandinem , immissas Ægyptiis , non resolvebat ignis immistus : manna autem concretum , cuiusdam instar nivis aut grandinis , ad primos solis radios liquescerat . Exod. xvi. 21. De manna autem specie vide Exod. xvi. 14. Num. xi. 7.

23. Illic autem iterum , ut nutritur justi , etiam suæ virtutis oblitus est.

24. Creatura enim tibi factori deserviens , exar-  
descit in tormentum adversùs injustos ; et lenior fit  
ad beneficiendum pro his , qui in te confidunt .

25. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata  
omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat , ad volun-  
tatem eorum , qui à te desiderabant :

26. Ut scirent filii tui , quos dilexisti , Domine ,  
quoniam non nativitatis fructus pascunt homines ,  
sed sermo tuus hos , qui in te crediderint , conser-  
vat.

27. Quod enim ab igne non poterat exterminari ,  
statim ab exiguo radio solis calefactum tabescetab :

28. Ut notum omnibus esset , quoniam oportet  
prævenire solem ad benedictionem tuam , et ad or-  
tum lucis te adorare .

29. Ingrati enim spes tanquam hibernalis glacies  
tabescet , et disperiet tanquam aqua supervacua .

<sup>23</sup> *Hic autem* , ignis : solis radii prorsus igneâ vi . Vide infrà ,  
XIX. 20.

<sup>25</sup> *Gratiæ tuæ* : gratia hic significat beneficam et altricem omnium  
Dei potentiam .

<sup>26</sup> *Sed sermo tuus* : vis tua .

<sup>27</sup> *Quod enim* : grando et manna cùm cognatæ naturæ sint , tam  
dissimilia passæ ; ut hæc exiguo radio liqueceret , illa nec immisto  
quidem igne solveretur , ut suprà , 16, 17.

<sup>28</sup> *Prævenire solem* : ad collendum manna , priusquam sole  
orientे liqueceret ; simul ad laudandum largitorem Deum .

<sup>29</sup> *Ingrati enim* : tardi ad Dei laudes .

---

## C A P U T   X V I I .

*Tenebrae Ægyptiacæ occultorum peccatorum vindices , 3. derisæ magorum artes : impii tanquam cæco carcere conclusi , 4. 15. pavor : horrenda nox , superventuræ æternæ noctis imago : impii sibi graves , dirumque supplicium , 20.*

1. MAGNA sunt enim judicia tua , Domine , et inenarrabilia verba tua : propter hoc indisciplinatae animæ erraverunt.

2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ , vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti , inclusi sub tectis , fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.

3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis , tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt , paventes horrendè , et cum admiratione nimiâ perturbati.

4. Neque enim quæ continebat illos spelunca , sine timore custodiebat : quoniam sonitus descend-

<sup>1</sup> *Propter hoc : quòd non nossent profunda consilia tua , falsâ spe delusi , superbichant , ut habent seqq.*

<sup>2</sup> *Dum enim : dum latere se putant Deum , veras in latebras conjecti sunt per Ægyptiacas illas tenebras , de quibus Exod. x. 21. Tenebroso oblivionis velamento , tanquam sole obliito solitam lucem emittere , dispersi sunt : quique in suas conclusi domos , nullo hominum cœtu. Spectris conturbati : quòd et tantæ nocti , et territæ conscientiæ congruebat.*

<sup>4</sup> *Spelunca : domus propria , quâ pedem efferre propter horrendas tenebras non auderent. Unde domus instar carceris , ipsi sine ferro , tenebris velut vinculis tenebantur , suprà , §. 2. infrà , §. 15 , 16 , 17. Quæ omnia pertinent ad interpretationem hujus textûs quo scribitur : Nemo vidit fratrem suum , nec movit sc de loco in quo erat. Exod. x. 23.*

dens perturbabat illos, et personæ tristes illis appartenentes pavorem illis præstabant.

5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus, et timore perculti illius, quæ non videbatur, faciei, æstiinabant deteriora esse quæ videbantur.

7. Et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriae correptio cum contumeliâ.

8. Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab animâ languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, et aerem, quem nullâ ratione quis effugere posset, negantes se videre.

10. Cùm sit enim timida nequitia, dat testimo-

<sup>6</sup> *Subitaneus ignis*: pyra, rogos, Gr. Credibile est accensos ingentes rogos discutiendis tenebris subito apparuisse per Ægyptum totam: sed hæc terrori erant, cùm lucem non darent. *Timore perculti*: cùm obscuræ pallentesque facies territarent, etiam quæ videbant, habebant pro horribilioribus spectris.

<sup>7</sup> *Magicæ artis*: Gr. magicæ artis jacebant Iudibia: (in magis nullum præsidium, ut in aliis aliquot plagis Ægyptiacis.) *Et sapientiæ gloriae correptio* (erat) *cum contumeliâ*: qui sapientiâ illâ magicâ gloriabantur, contumeliosè corripiabantur.

<sup>9</sup> *Etsi nihil illos*: etsi nihil erat monstri quod territaret. *Etiam aerem negantes se videre*: adeo exanimati metu, ut nec respirare se crederent; videre autem, pro quolibet sensu sumitur. Alii, *negantes videre*, recusantes vertunt, oclusis oculis, ne, quæ undique inguebant territamenta, aspicerent.

<sup>10</sup> *Cum sit timida*: ex Gr. istud exculpseris: malitia enim proprio judicio condemnata terrificum quid testificatur sibi. Complu-

nium condemnationis : semper enim præsumit sæva,  
perturbata conscientia.

11. Nihil enim est timor , nisi proditio cogitationis  
auxiliorum.

12. Et dum ab intus minor est expectatio , majo-  
rem computat inscientiam ejus causæ , de quâ tor-  
mentum præstat.

13. Illi autem qui impotentem verè noctem , et ab  
infimis et ab altissimis inferis supervenientem , eum-  
dem somnum dormientes ,

14. Aliquando monstrorum exagitabantur timore,  
aliquando animæ deficiebant traductione : subita-  
neus enim illis , et insperatus timor supervenerat.

tensis legit : formidolosa res est proprio teste ( conscientiâ scilicet )  
damnata malitia. *Præsumit sæva, perturbata conscientia :* Gr. ( malitiâ ) præsumit sæva perturbata per conscientiam , sive conscientiâ ,  
in ablativo casu.

<sup>11</sup> *Proditio cogitationis auxiliorum.* Gr. proditio , sive consiliorum  
defectio quæ à cogitatione. Inde oritur timor , quòd ipsa mens , ve-  
lut prodita destitutaque , nec de auxilio cogitat.

<sup>12</sup> *Dum ab intus minor :* quòd cuique minus in se præsidii est , cò  
magis latere putat præsentem tormentorum causam : quod est cala-  
mitosissimum , cùm pars aliqua sit solatii , mali scire originem.

<sup>13</sup> *Impotentem noctem :* ineluctabilem. Alii , intolerabilem , evi-  
tatu sive toleratu impossibilem ; *et ab infinitis, et ab altissimis :* du-  
plex versio. Tota sententia in Gr. Illi autem qui ( per ) inevitabilem ,  
( sive intolerabilem ) noctem , et ab inevitabilis ( sive intolerabilis )  
inferni speluncis supervenientem , eumdem somnum ( æquè irre-  
quietum , æquè turbulentum ) dormicant : aliquando , etc. hor-  
renda nox , quæ ab altissimis inferi , ab ipso velut tartaro immissa  
videbatur.

<sup>14</sup> *Animæ deficiebant traductione :* traditione , Gr. sive deliquio  
quo laborabant præ metu.

15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere, sine ferro reclusus.

16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

17. Unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ de currentis nimium,

18. Aut sonus validus præcipitarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invitus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.

19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur.

20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

*15 Si quisquam decidisset : erigere se non audebat, ne periculosis offendere: custodiebatur. Vide ¶. 4.*

*16 Si enim rusticus : quocumque loco deprensi, ac tenebris præoccupati erant, eo constricti tenebantur.*

*17. 18. Sive spiritus..... aut sonus validus : quocumque sonitu, seu leni, seu gravi, atque etiam suavi territabantur, exaggerato per tenebras metu.*

*20 Gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat : in inferno scilicet, ut passim in Scripturis. Ipsi sibi erant graviores tenebris : cæcitate mentis graviores tenebras intus circumferentes.*

## CAPUT XVIII.

*Hebreis clara lux : columnna viæ dux , per noctem solis instar : 3. digni tenebris Ægyptii lucis ac veritatis hostes , 4. primogenitorum quoque cædes meritò illata , 5. Phase , 6, 9. mortes undique et horrendi clamores per alta noctis silentia , 10, 11, 14, 15, 16. tantæ ultioni additi visus congrui per sonnia , 17. et seqq. ut causam supplicii , sed frustra recognoscerent , 18, 19. mors quoque immissa piis ; sed prompta per Aaroneum placatio , 21 et seqq.*

1. SANCTIS autem tuis maxima erat lux , et horum quidem vocem audiebant , sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant , magnificabant te :

2. Et qui antè læsi erant , quia non lædebantur , gratias agebant , et ut esset differentia , donum petebant.

3. Propter quod ignis ardenter columnam ducem

\* *Et horum quidem vocem audiebant : Ægyptii , vicinis scilicet constituti locis : sive Israelitas , quocumque pergerent , lux sua sequebatur ; quod innuere videtur , Exod. x. 23. Magnificabunt te : te , deest in Gr. rectè suppletum , ut videtur.*

<sup>2</sup> *Quia nou lædebantur. Cessatum enim à vexandis Hebreis , quòd inimici nec se commovere possent. Et ut esset differentia , donum , (sive gratiam ) Gr. petebant : Hebræi tanto præ Ægyptiis discrimine habití , magni beneficii loco petebant , ut tale discrimen pios inter et impios stabile permaneret. In Gr. hi duo versus ad Ægyptios referri videntur , ut et magnificarent Hebræos tam dira à se passos , nunc autem ab omni malo liberos , et gratias haberent ipsis , quòd læsi vieem non redderent , et ut porrò pergerent benignitate et clementiâ differe ab Ægyptiis , suppliebant. Porrò θεωρήσαι , alii aliter vertunt ; vulgati interpretis sensus verior.*

<sup>3</sup> *Propter quod : Gr. pro quibus ἀντί ὁ : harum tenebrarum loco Deus in deserto suis præstitit , ut ardenter columnam diu nocte-*

habuerunt ignotæ viæ, et solem sine læsura boni hospitiū præstisti.

4. Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.

5. Cùm cogitarent justorum occidere infantes, et uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aquâ validâ.

6. Illa enim nox antè cognita est à patribus nostris, ut verè scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent.

7. Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio.

8. Sicut enim læsisti adversarios : sic et nos provocans magnificasti.

que haberent ducem ignotæ viæ : *Exod. xiii. 21.* speciatim autem per noctem, solis cujusdam instar, sicut scriptum est : *Et deduxit eos in nube diei, et totā nocte in illuminatione ignis :* *Ps. lxxvii. 14.* Item, *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.* *civ. 39.* *Solem sine læsurā.* Solem elegantissimè appellat columnam ipsam quæ tam limpidam lucem ministraret; solem autem *sine læsurā* (sive innoxium) quod non perureret, imò per diem à solis ardore protegeret; solem etiam *boni hospitiū.* Gr. *præclaræ peregrinationis :* supple, ducem : Graeca sic habent : *flammatam columnam ducem* quidem ignotæ viæ; solem verò innoxium *præclaræ peregrinationis* (*ducem seu comitem*) præstisti.

<sup>4</sup> *Per quos incipiebat.... legis lumen.* Jam federe constituto, ac traditâ unius Dei fide, sabbati observantiâ, circumcisionis signaculo, Phase etiam apud Ægyptios instituto : de quo etiam *ψ. 9.*

<sup>5</sup> *Uno exposito filio et liberato :* Moyse. *In traductionem, convictionem illorum,* ut suprà, *ii. 14.*

<sup>6</sup> *Illa nox antè cognita :* prædicta Israelitis, *Exod. xii. xiii.*

9. Absconsè enim sacrificabant justi pueri bonorum, et justitiae legem in concordiâ disposuerunt : similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes.

10. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

11. Simili autem pœnâ servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus.

12. Similiter ergo omnes uno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepi- liendum vivi sufficiebant : quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum, sponderunt populum Dei esse.

14. Cùm enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet,

<sup>9</sup> *Absconsè sacrificabant* : celebrato Phase : ibid. *Justitiae legem* : Gr. divinitatis legem, unius Dei colendi ritum ; cui legi initiaabantur præcipuâ solemnitate institutâ : ibid. *Bona et mala recepturos justos*, supple, canebat ; *patrum* etiam, Patriarcharum qui æquè bona et mala experti, sed tandem liberaui, *decantantes laudes*.

<sup>10</sup> *Inconveniens inimicorum vox*. Gr. dissonans, quippe *flebilis*.

<sup>12</sup> *Uno nomine sive genere mortis* : æquâ omnium cæde. *Natio* ; nativitas, Gr. ut suprà, xvi. 19. *primogeniti spes et decus gentis*.

<sup>13</sup> *De omnibus non credentes* : Ægyptii per omnia increduli Deo, decepti scilicet propter *veneficia*, per incantamenta et magicas artes Dei imitatrices : tunc primùm cùm fuit exterminium ac cædes *primogenitorum*, obmutescente omni magorum jactantiâ, *sponderunt Hæbreos populum Dei esse* : Gr. confessi sunt populum Dei esse filium : ut habetur Osee xi. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*.

15. Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in medium extermiñii terram prosilivit,

16. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terrâ.

17. Tunc continuò visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati.

18. Et aliis alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.

19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne insciî quare mala patiebantur, perirent.

20. Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua.

21. Properans enim homo sine querelâ deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum qui se vexa-

<sup>16</sup> *Insimulatum* : minimè fictum : ἀνθόηπερος.

<sup>20</sup> *Tentatio*, experimentum, mortis : à morte quoque tentati Israelitæ, potiusquā dejecti, ut infrà 25. clariùs explicatur, intervienti placatione per Aaronom, *Numb. xvii. 47.*

<sup>21</sup> *Homo sine quereld* : inculpatus : Aaron : *suæ servitutis scutum*, sive sui ministerii, λευτρίας, arma. Gr. nempe thuribulum, incensum, preces : quæ arma sacerdotum. *Finem necessitati* : calamitati, Gr.

<sup>22</sup> *Vicit autem turbas* : turbam, Gr. seditiosum vulgus in ordi-

bat subjicit, juramenta parentum et testamentum commemorans.

23. Cùm enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impec-  
tum, et divisit illam, quæ ad vivos ducebat viam.

24. In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in qua-  
tuor ordinibus lapidum erant sculpta; et magnificen-  
tia tua in diademate capitum illius sculpta erat.

25. His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit : erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

nem coagit, sive etiam vicit turbam, seditionem, tumultum : *illum qui se vexabat* : populum in se insurgentem, et sibi sacerdotium invidentem, Core et Abiron sectatores. Num. *Ibid.*

<sup>23</sup> *Interstitit* : stetit inter mortuos et viventes : *Num. xvi. 48.*

<sup>24</sup> *In veste poderis* : vestis talaris, magnifica ac sacra, quâ etiam Christus induitur : Apoc. 1. 13. *Totus erat orbis terrarum*, sanctæ vestis texturâ ac magnificentiâ designatus, ut passim Hebrei docent. *Parentum magnalia* ; gloria. Gr. *in quatuor ordinibus lapidum* : ut habes Exod. xxviii. 17. Notum de nomine duodecim patriarcharum totidem lapidibus insculpto. *Ibid. 21.* Unde pontifex populi habitus mediator, quòd nomina filiorum Israel, duodecim scilicet tribuum, coram Deo portet super pectus suum. *Ibid. 29.* *Magnificentia tua in diademate* : in laminâ illâ ex auro purissimo, cui inscriptum erat, Sanctum Domino : *Ibid. 36.*

<sup>25</sup> *His cessit qui exterminabat* : angelus divini mandati executor : *hæc extimuit* : reveritus : Gr. extimuerunt : seditionis cives.

---

---

## CAPUT XIX.

*Impiorum cæcitas, 1, 2, 3. adactorum ad pœnas digna necessitas,  
4. creaturarum immutata natura et indoles, 6, 7, 18, 19, 20.  
elementa fidium instar disposita, Deo pulsanti subsunt, 17. re-  
lata obiter Benjaminitarum flagitia et inhospitalitas, 13. et  
seqq.*

1. IMPIIS autem usque in novissimum sine misericordiâ ira supervenit; præsciebat enim et futura illorum :

2. Quoniam cùm ipsi permisissent ut se educerent, et cum magnâ sollicitudine præmisissent illos, conseguebantur illos pœnitentiâ acti.

3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, et quos rogantes projecerant, hos tanquam fugitivos persequabantur :

4. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas : et horum quæ acciderant commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis repleret punitio :

5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.

*4 Digna necessitas : pœna scelerum inevitabilis : Gr. oblivionem injiciebat (inducebat), gravis illa scilicet instantis pœnæ necessitas excæcabat animos : indurabat, et præteritarum plagarum auferebat memoriam. Exod. viii, ix, x, xi. Ut quæ deerant tormentis : Gr. ut eam quæ tormentis (adhuc) deerat, adimplerent pœnam, hoc est enim quod dixerat : Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. Exod. ix.  
16. Rom. ix. 17.*

6. *Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis praeceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.*

7. *Nam nubes castra eorum obumbrabat; et ex aquâ, quæ antè erat, terra arida apparuit, et in mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio:*

8. *Per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tuâ manu, videntes tua mirabilia et monstra.*

9. *Tanquam enim equi depaverunt escam, et tanquam agni exultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.*

10. *Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.*

<sup>6</sup> *Omnis creatura ad suum genus (in suo genere, Gr.) refigurabatur: omnes creaturæ, ignis, aquæ, nubes, maria, veluti refectæ et instauratæ, novas formas naturasque inducebant; stabant aquarum moles; per mare iter latum, et alia quæ postea inculcat,* ¶. 20.

<sup>7</sup> *Nubes castra eorum obumbrabat: nubes enim illa efformata in columnam, cùm tabernaculum operiret, Num. ix. 15, 16. totis deinde castris se diffundebat, ac protegebat populum, juxta illud: Expandit nubem in protectionem eorum: Psalm. civ. 39. unde Paulus ait, sub nube fuisse. Quæ sanè ad Davidem et Paulum, vel traditione, vel Spiritu sancto dictante, perlata sunt. Ex aquâ..... terra: patefactâ terrâ, quæ ante sub profundo latebat. Campus germinans, algosus: Græc. viridis herba ferax; unde fama apud Æthiopes, divisio mari, fundum viridis coloris apparuisse. Diod. l. iii.*

<sup>9</sup> *Tanquam equi (læti et exultantes in pinguibus pascuis) depaverunt escam: Gr. pascebant. Tanquam agni: allusum ad Ps. cxiv. 4, 6. Colles sicut agni ovium.*

<sup>10</sup> *Pro natione: nativitate, Gr. ut suprà, xvi. 19.*

11. Novissimè autem viderunt novam creaturam avium, cùm adducti concupiscentiâ, postulaverunt escas epulationis.

12. In allocutione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra : et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis per vim fulminum : justè enim patiebantur secundùm suas nequitias.

13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt : alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant.

14. Et non solùm hæc, sed et aliis quidam respectus illorum erat : quoniam inviti recipiebant extraneos.

15. Qui autem cum lætitiâ receperunt hos, qui

<sup>11</sup> *Novam creaturam avium : coturnices.*

<sup>12</sup> *In allocutione (in solatium, Gr.) desiderii, Gr. deest. Et vexationes, ultiōnes, peccatoribus supervenerunt: quid fastidito manna carnes concupiverint, et seditione poposcerint. Num. xi. Non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis (non sine præviis signis sive portentis) per vim fulminum. Docet intervenisse tonitrua, quod indicare videtur furor Domini concitatus in populum. Num. xi. 33.*

<sup>13</sup> *Etenim detestabiliorem (fortè, quam gentes) inhospitalitatem instituerunt (supple, Israelitæ.) Quidam hic deesse videntur ad rerum seriem; memorat autem foedum Benjaminitarum facinus in Gabaâ adversus levitam, de quo Jud. xix. *Ignotos non recipiebant;* Jud. xix. 15. *nullus eos recipere voluit hospitio.* Ibid. 18. *In servitatem redigebant:* velut servis abutebantur ad foedas libidines, ut illi levitæ contigit.*

<sup>14</sup> *Alius respectus: alia ulciscendi causa; quia non modo inviti recipiebant extraneos, verum etiam eos,*

<sup>15</sup> *Qui cum lætitiâ receperunt: puta bonum illum senem, qui le-*

eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus.

16. Percussi sunt autem cæcitate : sicut illi in foribus justi , cùm subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat.

17. In se elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt : unde æstimari ex ipso visu certò potest.

18. Agrestia enim in aquatica convertebantur , et quæcumque erant natantia , in terram transibant.

viten eisdem utentem justitiis, sub eâdem Moysi lege viventem excepterat: ¶. 20. sævis afflixerunt doloribus, usque adeo ut filiam op̄ primendam offerre cogeretur, ¶. 24.

16 *Percussi sunt autem cæcitate : mentis quidem, ad exemplum eorum, quibus Angeli apud Sodomos cæcitatem immisere. Gen. xix. 11.*

17 *In se enim. Hic etiam nonnulla sive exciderunt, sive transposita sunt. In se elementa dum convertuntur. Dum redundant, et in Gr. deest. Convertuntur. Gr. ad verbum, elementa in se harmoniam (sive concentum consensumque) mutantia, hoc est, in alias veluti formas naturasque conversa, ut habes ¶. 6. Sicut in organo qualitatis sonus immutatur. Gr. Sic in psalterio, soni (nominativo plurali) modulationis nomen mutant; et omnia suum sonum custodiunt. Græcus ad elementa refert, semper manentia in sono; quæ neque in Græco, neque apud interpretem satis expedita sunt, et aliquid omnino in ipso textu labis; sensus autem est: Quàm facile in organo musico, intensis remissive fidibus, permanente sono, soni tamen modulus inflectitur ac mutatur, tam facile, Deo variè velut digitis elementa pulsante, ab iisdem naturis tanquam diversos sonos, ita diversos effectus elici: quod et seqq. firmant. Unde æstimari, Gr. quod quidem liquidò æstimari potest ex ipso rerum gestarum visu, hoc est, quod explorari potest ex ipsis majorum nostrorum commemoratis historiis.*

18 *Agrestia enim (sive terrestria, Gr.) in aquatica convertebantur. quæ videntur spectare ad diluvium quo tempore natantia, uatalilia, pisces, transibant in terram.*

19. Ignis in aquâ valebat, supra suam virtutem, et aqua extinguentis naturæ obliscebatur.


20. Flammæ è contrario, corruptibilem animatum non vexaverunt carnes coambulantum, nec dissolvebant illam, quæ facilè dissolvebatur, sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore et in omni loco assistens eis.

<sup>19</sup> *Ignis in aqua*, ut dictum est suprà, xvi. 17, 18, 19.

<sup>20</sup> *Flammæ è contrario*; vide xvi. 18. nec *dissolverunt* (seu dissolvebant, Gr.) *illam*: vide ibid. 22, 27. Gr. nec dissolvebant facile dissolubile glaciale genus ambrosiæ escæ, hoc est, ex ejusdem capituli xvi. 22, 27. flammæ non dissolvebant nivem, sive grandinem et glaciem, cognatæ licet naturæ cum manna, quod exiguo solis radio tabescebat. *In omnibus enim*: summa dictorum à cap. xvi. ad finem, Deum innumerabilibus ostentis ac miraculis effecisse ut populus Israeliticus supra omnes populos clarus, et à Deo dilectus, neque ullâ injuriâ violandus à gentibus habeatur; quod totus collimabat liber, ut mox etiam videbimus.

---

**LIBER**  
**ECCLESIASTICI.**



---

---

## PRÆFATIO

### IN ECCLESIASTICUM.

---

LIBER Ecclesiasticus is est , quem sanctus Hieronymus in Prologo s̄epe memorato , et huic editioni præfixo ad libros Salomonis, hebraicum se reperisse testatur , non Ecclesiasticum , ut apud Latinos , sed Parabolas prænotatum. Ab eodem Hieronymo appellatur *Panaretos Jesu filii Sirach liber*. Panaretos autem , quòd de omni virtute præcepta tradat , quo elogio passim à Græcis insignitur. Apud eosdem Græcos inscribitur , *Sapientia Jesu filii Sirach* ; ita Clemens Alexandrinus , ita Origenes , lib. viii. contra Celsum , n. 50 , ita Eusebius Cæsariensis , lib. viii. de Demonst. evang. ad Danielis hebdomadas ; ita sanctus Epiphanius , hæres. 76. quæ est Anomæorum , ad cap. v. Aetii , et alii plerique omnes. Hanc inscriptionem Complutensis editio retinuit ; Sixtinus verò codex , pro *Sapientia Jesu filii Sirach* , habet simpliciter , per contractionem , *Sapientia Sirach* ; cùm Sirach scriptoris pater , non ipse scriptor fuisse memoretur. Latini verò Ecclesiasticum Jesu filii Sirach inscripserunt ; et Ecclesiasticum quidem , ut à Salomonis Ecclesiaste distinguerent , utroque vocabulo à concione deducto.

Nunc textus hebraicus nusquam est ; sed auctoris nepos profectus in Ægyptum , ibi relictos libros nac-

I.  
De ins-  
criptione  
libri inter  
Græcos et  
Latinos.

tus, avi sui Jesu præclara monumenta in Græcum transtulit, Ptolemæi Evergetæ anno trigesimo-octavo, ut ipse in Prologo interpretationis suæ tradidit: quod quidem ad quale tempus pertineat, dicemus, ubi de auctoris ipsius nomine atque ætate constiterit.

II.  
De auctore libri :  
Grotiisen-tentia de  
fine capi-tis L. et de  
capite L.  
de que aliis  
locis huic  
et libro  
Sapientiae  
addiuis.

Et auctoris quidem nomen ipsa prodit inscriptio, Græcorum Latinorumque omnium consensione fir-mata. Attestatur Græcus interpres, qui avum suum egregii scripti auctorem, Jesum nominet; quin ipse auctor antiquum in morem, nomen suum scripto indidit his verbis, quibus liber clauditur: *Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita.* (cap. l. 29.) En nomen, en genus, en patriam ejus qui scripsit li-brum; omnia prisco ritu; ut equidem nesciam, quid Grotio in mentem venerit, qui notis ad eumdem locum, verba memorata à nepote auctoris, hujus libri editore et interprete, avi scripto addita asserit, nullo codicum testimonio, nullâ conjecturâ, ut le-genti patebit.

Neque magis audiendus, cùm caput L. quod sic inscribitur, *Oratio Jesu filii Sirach*, nepoti tribuit, nullo prorsus allato hujus rei argumento.

Gravius id quod idem trædidit, Praefatione ad notas in librum Sapientiæ, ei libro sicut et Ecclesiastico à christianis christiana quædam commodis locis addita, ac locutiones quasdam, quæ magis Evangelium sapiant, quâm vetustiora tempora; quâ fiduciâ multa mutat, gustu quidem suo, nullâ codi-cum aut antiquarum lectionum ope. Quæ si quisque pro libidine audeat, omnis priscorum librorum peri-

clitabitur fides. Sed nos , quoad dabitur, horum omnium nullam haberi oportere rationem, suis locis demonstrabimus; nunc quando nullâ ratione afferuntur, pro certo dabimus, omnium hujus libri partium unum esse auctorem Jesum filium Sirach, qui eum hebraico sermone scripserit ; nepotem, quocumque sit nomine, neque enim ipse prodidit, nihil sibi quidquam amplius tribuisse, quam ut interpretis officio fungeretur, ut ipso Prologo constat.

Nunc de libri ætate accuratiùs disputandum, quòd ea res maximè ad scripti intelligentiam faciat. Duo autem esse videmus, unde hæc tempora æstimari possint : alterum, quòd hujus scripti tempore gravem Judæis à gentibus ac regibus incubuisse vexationem, multi loci probant : alterum, quòd ipse Siracides virorum illustrium laudes referens, ne antiquos tantùm memorasse videretur, suo ævo propiorem Simonem Oniæ filium pontificem maximum ultimo loco celebraverit, cap. L. ex quo intellegitur circa ejus tempora claruisse.

Sed de Simone quidem Oniæ filio ambiguum : cùm duo ejusdem appellationis extiterint Josepho memorati, Originum lib. XII. alter secundo, alter quarto capite : Simon scilicet primus qui justus dicitur, Oniæ primi filius, secundi Oniæ pater; ac Simon secundus Oniæ secundi filius, Oniæ tertii viri maximi ac sanctissimi pater, sub quo vexationem regum Syriæ cœpisse, Machabaica testatur historia.

Ac Simonis quidem illius primi, ut et successorum ejus, tempora tranquillissima fuisse constat. Successere enim Eleazarus frater, sub quo LXX. senum confecta interpretatio est, Manasses; alii, sub quorum principatu Judaicæ res per totum ferè sæculum

## III.

De ætate  
libri : duæ  
ejus notæ  
ex ipso li-  
bro repe-  
tendæ.

## IV.

Quis fue-  
rit ille Si-  
mon Oniæ  
filius ab  
Ecclesias-  
tico cele-  
bratus?

## V.

Simonis  
primi ac  
successo-  
rum pac-  
tissim  
tempora.

floruerunt; quæ omnino ad eam pertinent pacem, quam instaurato templo diutissimam atque inconcussam futuram, Prophetæ quidem omnes, sed imprimis Isaias, magnificentissimè prædixerunt; quâ de re dicendum erit brevi, cùm jam ad Prophetas nostra promissa nos vocent.

VI.  
Gravis  
persecutio  
tempore  
Ecclesiastici.

Per hanc ergo altissimam pacem, cùm gentium reges populum sanctum, sanctam civitatem ac templum omni honore cumularent, nullus erat locus his Ecclesiastici nostri precationibus : *Innova signa et immuta mirabilia : glorifica manum et brachium dextrum : excita furorem et effunde iram, tolle adversarium et afflige inimicum : festina tempus et memento finis : in irâ flammæ devoretur, qui salvatur* (à vulgaribus vitæ humanæ casibus) *et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem : contere caput principum inimicorum dicentium : Non est alius præter nos :* (cap. xxxvi. 6 et seq.) quæ quâm aptè convenient Syrorum regum superbiæ, ac diris vexationibus nemo ignoraverit qui Machabaicam historiam legerit.

Atque hæc quidem Ecclesiasticus pro universâ plebe postulat, pro se autem speciatim agit gratias, quòd ad necem postulatus, non sit derelictus in tempore superborum; quòd sit ereptus de tempore iniquo, ab iniquo rege atque à lingua injustâ, cùm impii homines etiam ex Israeliticâ gente, eos qui legem colerent, apud reges per calumniam adorti, majestatis reos agerent, ut sancto pontifici Oniæ III. contigisse, mox relaturi sumus; quibus etiam temporibus sëpe se in vitæ discrimin adductum, Deique gratiâ liberatum, idem narrat Ecclesiasticus : (xxxiv. 13.)

Hæc igitur efficiunt, ne Simon primus is putetur fuisse, quem noster Siracides, ut ætati suæ proximum, commendaverit; quin Eusebius Cæsariensis, vir in doctrinâ temporum versatissimus, loco jam citato Demonstrationis evangelicæ, Jeſum filium <sup>ra.</sup>

Sirach claruisse refert sub eo Simone, qui Oniæ ac Machabæorum tempori proximus fuerit, quod Simoni II. Oniæ tertii patri congruit; accedunt alii characteres aliàs observandi, queis Simon Ecclesiastici à Simone primo facilè dignoscatur.

Sanè Eusebius docet sub Simone II. non tantùm vixisse Siraciden, sed etiam composuisse illam Sapientiam, quæ Panaretos appelletur. Verùm duo prohibent quominus assentiamur. Primum, quòd is scriptor eos tantùm collaudaverit, qui vitâ functi essent: *Laudemus, inquit, viros gloriosos et parentes nostros, dum viverent:.... omnes isti in generationibus....* (sive in vitâ suâ) *gloriam adepti sunt, et in diebus ipsorum gloria: corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum in sæculum:* (cap. XLIV. 1, 7, 14.) ac de Simone nostro speciatim: (L. 1, 3.) *Simon Oniæ filius.... in vitâ suâ suffulsa domum, et in diebus suis corroboravit templum:.... in diebus ipsius emanaverunt putei;* et cætera id genus, ut addatur aliis, quorum memoriam commendabat.

Huc accedit alterum, quòd Simonis etiam hujus tempora pacatissima fuerint, neque dent locum piis auctoris nostri lamentis ac precibus, quas mox retulimus. Quod enim subditur: *Qui curavit gentem suam; et liberavit eam à perditione:* ¶ 4. manifestè pertinet ad illum aliquot dierum, aut

VII.  
Liber Ec-  
clesiasti-  
cus circa  
Simonis  
II. tempo-

VIII.  
Nec ta-  
men eo vi-  
vo. Pri-  
mum;  
quòd Ec-  
clesiasti-  
cus mor-  
tuos tan-  
tum lauda-  
verit.

IX.  
Alterum;  
quòd ejus  
quoque  
tempore  
pacatissi-  
mæres fue-  
rint.

mensium metum, quo Ptolemæus Philopator Ægypti rex, deditâ Jerosolymâ, templi adytum contra vetitum legis aditus, Simonis pontificis precibus repente mutatus, non modò à proposito destitisse, verùm etiam Judæis postea beneficisse memoratur, ut ad hunc locum dicemus: verbaque ipsa indicant, gentem non tam vexatam, quām statim liberatam fuisse. Quare Ecclesiasticus nullas postea turbas refert, ac levissimus motus altam in quietem desiit; quo sit, ut Simonis quoque secundi viginti anni (tot enim in pontificatu egisse memoratur) pars sit vel optima illius beatæ pacis, quam Prophetæ cecinerint.

X.  
Oniâ III.  
Simonis  
II. filio  
pontifice,  
pax pri-  
mum; de-  
inde vexa-  
tio à Se-  
leuco; tum  
vel maxi-  
mè ab An-  
tiocho E-  
piphane.

Quin etiam vigebat illa pax, sub Oniâ III. Simonis hujus filio, cuius fausta initia memorantur his verbis: *Cum sancta civitas habitaretur in omni pace: leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem;.... fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent.... ita ut Seleucus (Philopator, Antiochi Magni filius, Antiochi Epiphanis pater) de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* (II. Mac. III. 1, 2, 3.) Cujus regis tempore sollicitari cœpit Oniæ et Judæorum quies, missio Heliodoro, qui depositas in templo pecunias diriperet, sacri loci majestate spretâ: (ibidem 8 et seq.) quo ex initio pessum omnia ire, cædes perpetrari, omnimodi calumniis appeti sanctus pontifex, demum ab Antiocho Epiphane pelli sacerdotio, ac suspecto impio Jasone, et post triennium magis impi Menelao, pollui sacerdotium, gentiles ritus induei, lex ipsa subverti, optimus pontifex per productionem

ditionem cædi: (II. Mach. iv. 1, 2, 3, 7, 23, 33.) ex quo ea consecuta sunt, quæ Matathiam, ejusque liberos Judam Machabæum, Jonathan et Simonem ad pia bella moverint.

Omnino in arcanis erat Judaicæ gentis, per antiqua Prophetarum, Danielis verò maximè, oracula reseratis, ut à Seleucidarum gente quæ se diis æquiperaverat; atque ab Antiocho Epiphane, gravis illa persecutio oriretur: cujus initia ante Oniæ III. necem, cum Jesus noster cerneret, atque omnia in pejus ruitura facilè provideret, has effudit preces; eaque memoravit ac scripsit, quæ infandis temporibus congruisse vidimus, suoque loco clariùs ostendemus.

Et primum quidem esset, hujus scripti ætatem ad ipsa Machabaica tempora revocare, quibus vexatio graviùs insurgebat: verùm illud obstitit, quòd si prius scriptor post Oniæ III. necem opus edidisset, cum anteactæ ætatis illustres laudaret viros, neque hujus Oniæ parentem Simon præterisset, nullo modo prætermissurus videretur tantùm pontificem, *provisorem civitatis, defensorem gentis, æmulatorem legis*, quin etiam mortuum, exoratorem plebis, Judæque adjutorem, omni denique virtute commendatissimum, qualis iste Onias in Machabaicâ historiâ describitur: (II. Mach. iv. 2. xv. 14.) cujus quidem silentii cum nullam idoneam causam à nobis inveniri potuisse fateamur, Ecclesiastici scriptiōnem, primū ad Oniæ III. tempora conserimus, tum in eos annos incidisse arbitramur, qui ab ipso persecutionis initio usque ad illius pontificis necem effluxerint; hoc est, secundū Usserianas rationes,

XI.  
Sub Antiocho  
scriptus liber, in  
ipsis persecutio  
nis initiis, Oniæ adhuc  
superstite.

ad annum ante æram christianam circiter centesimum septuagesimum primum; ab urbe conditâ ferè quingentesimum secundum octuagesimum.

XII. Nec me fugit à Josepho scriptum (Originum XII.  
De Oniâ III. obje- 6.) Jasonem Oniæ III. fratri mortuo successisse :  
ctio ex Jo- quod cum nostris rationibus non convenit; sed sa-  
sepho; ex libris Ma- cræ historiæ Machabaicæ potior auctoritas, in quâ  
chabaicis libro II. cap. IV. ¶. 7, 34. Jasonem Oniæ viventi  
atque ipso substitutum, sanctumque pontificem aliquanto post  
Josepho tempore Menelai proditione è vivis sublatum esse  
soluta. scribitur; cui narrationi idem Josephus parùm sibi  
consentiens, libro de Machabæis, (cap. III. et IV.)  
subscripserit.

Stet ergo firma hujus libri ætas sub Oniâ III. post-  
quam ab altissimâ pace in diram vexationem sub  
Antiocho Epiphane, res Judaicas deductas esse  
constat.

XIII. Ac de libri quidem compositione hæc comperi-  
mus; de nepotis interpretatione, ipse in Prologo  
De tem- prodidit eam esse in Ægypto factam, octavo et tri-  
pore in- gesimo anno Ptolemæi regis Evergetis; quod mul-  
interpretati- tos fefellit: certum autem est duos fuisse Evergetas,  
onis græ- horum postremum Ptolemæum Physconem, cuius  
ca. etiam nomine nummi cusi reperiantur addito Ever-  
getæ titulo; atque hujus duo initia; alterum pro-  
prium, quo regnare solus cœperit; alterum com-  
mune cum fratre Philometore; cuius quidem regni  
cum fratre initi anno octavo et trigesimo, ante  
Christum centesimo trigesimo secundo, Jesu Sira-  
cidæ nepos suam interpretationem ediderit, Joanne  
Hyrcano Simonis Machabæi filio. pontifice.

Et libri quidem auctor poste aquam, ut fit perso-

cutionum tempore, varias provincias oberravit, quod ipse testatur xxxiv. 12. in Aegypto consedisse, ubi Judæi mitioribus regibus uterentur, atque ibi obiisse videtur, egregio libro ibidem relicto, quem parum vulgo notum, ut in eâ regione, ubi inter Judæos quoque græca eloquentia obtineret, hebraica obsolesceret, longo tandem post tempore nepos reperit; quo quidem ex tempore Ecclesiasticus, sive Sapientia Jesu filii Sirach, eodem nepote interpretante græcè innotuit: hebraicus textus magis magisque obsolevit, ac tandem amissus est.

De hoc autem libro, deque ejus interpretatione, ac de Salomonis Sapientiâ, sanctus Epiphanius de pond. et mens. n. 4, eumque secutus Joannes Damascenus, orth. fid. iv. 18. perturbatè scripserunt; ex quibus inferas, et avum et nepotem utrosque Jesu nomine appellatos, nepotemque etiam fuisse Sirach filium; quod multi secuti sunt: nos rem non tanti esse ducimus, ut de eâ litigare vacet: probare certè non possumus, id quod nonnullis placuit, librum nepotis interpretis potius quàm avi scriptoris nomine prænotatum fuisse.

Latinæ interpretationis auctorem ignoramus. Cùm enim sanctus Hieronymus, neque Sapientiam, neque Ecclesiasticum verterit, horum librorum interpretatione apud Vulgatam nostram obtinuit ea, quæ in vulgus, sanctorum quoque Hieronymi et Augustini tempore ferebatur; cuius rei argumentum est, quòd idem Augustinus speculum exutrâque competenterit; neque eas, alio magis quàm tantæ antiquitatis titulo, commendatas volumus. Cæterùm nec illud tacendum, Ecclesiastici aliam tunc quoque ex-

XIV.

De auctore et interprete S. Epiphani et S. Joannis Damasceni loci.

XV.

De latínâ interpretatione.

tuisse versionem, hodierno græco convenientiorem, quâ et alii latini Patres, et ipse etiam Augustinus utatur.

Certè latina nostra interpretatio multùm ab hodierno græco discrepat, atque omnino necesse est alium interpreti lectum esse græcum codicem, ac eum quem nunc habemus. Hodiernum planiorem, simpliciorem, breviorem, atque ideo sententiis aptiorem esse, nemo negaverit; multi tamen sunt loci, in quibus haud dubiè Vulgatae nostræ lectio sanior atque ordinator; quo etiam factum est, ut græca perturbata in ejusdem Vulgatae ordinem redigenda putaremus: quin etiam græca quæ habemus variant, et inter se collata lucem sibi mutuò afferunt, ut notum est: atque harum rerum exempla suis locis melius annotanda nunc prætermittimus.

XVI. Vulgatae nostræ versioni addimus eam, quam vir

Vulgatae  
hic addi-  
tur versio  
ex Græco  
hodierno,  
Sixti V.  
jussu edi-  
ta.

doctissimus, ac veterum latinarum græcarumque lectionum solertissimus indagator Flaminius Nobilius ex Græco Sixtino adornavit: eam sanè confitemur aliquot in locis clariorem, et græco textui magis congruam fieri potuisse: quominus autem aliam ederemus, Sixtini decreti reverentia tenuit, cùm illo et Nobilii versio commendetur, et alia quævis quovis colore prohibeatur. Damus tamen in notis, quæ planiora esse credimus, haud parvo emolumento, nisi nos fallit animus; futura lectoribus.

XVII. De libri  
instituto;  
et ut à Sa-  
lomonis  
Parabolis  
differat, et

Nunc auctoris institutum facilè intelligemus: in eo enim est, ut antecessores qui de sapientiâ scripserant imitatus, de universæ vitæ ratione promat sententias, intersertis inculcatisque iis, quæ ad temporum conditionem maximè pertinerent.

Et à Salomone quidem distat, quòd ille sententias inordinatè ferè, atque inartificiosè, nulloque nexu congerat; hic autem ad certa velut capita sæpius redigat, et ejusdem generis nectat: denique ad præcepta morum, majorum etiam exempla adjungat.

A Sapientiæ verò libro eatenus differt, quòd is quidem fusiùs Græcorum in morem disserat; hujus autem pressiùs, ac Salomonico magis ritu modoque currant sententiae. Ac Sapientiæ sanè liber, in summâ, ut videtur, pace conscriptus Alexandriæ, nullâ turbarum mentione, id agit ut sanctam quidem gentem inter ethnicos versantem ab idololatriâ, Ægyptios autem aliosque gentiles, nec populos tantum, verùm etiam reges à vexando populo Dei, priscorum Ægyptiorum exemplo, deterreat: Ecclesiasticus verò iam gravi persccutione incumbente, ac gentilium ritibus invalescentibus, pollutoque, ut diximus, sacerdotio, calamitatem deprecetur, legitimosque ritus, ac sacerdotij jura commendet. (xxxvi. 19. xlvi. 30, 31. l. 12. et seqq.)

Opus tres in partes divisum videtur. Prima et secunda eæ sint cap. 1. et xxiv. in quibus pro more sapientum hebræorum, de sapientiâ multa præfatus, huic præfationi connectit omnimas sententias: quibus duabus partibus æquâ propemodum distributione distinctis, accedit tertia à cap. xlvi. ¶ 15. in quâ exorsus à Dei laudibus, atque in virorum illustrium commendationem effusus, piam in orationem, sanctamque adhortationem desinit.

De libri auctoritate, in præfatione ad Sapientiam, quod ad institutum nostrum attinet, satis superque

à libro Sapientiae.

XVIII.  
Distribu-  
tio operis.

XIX.  
De cano-  
nicâ et au-

tiquā libri  
auctorita-  
te ad dis-  
ceptan-  
das fidei  
quæstio-  
nes.

diximus. Et Græci quidem aliqui, puta Epiphanius, quiq[ue] eum exscrispsit Joannes Damascenus, locis suprà citatis, aiunt Sapientiam Salomonis et Jesu filii Sirach libros quidem esse utiles, non tamen accenseri solere Scripturis, quas in arcâ testamenti repositas putabant. At idem Epiphanius, hæresi 76. quæ est Anomæorum, exprobrat Aetio, si Spiritu sancto esset genitus, id acturum fuisse, ut sacris codicibus veteris Testamenti usque ad Estheris tempora, ac novi Testamenti libris, item Sapientiis cùm Salomonis, tum Jesu filii Sirach pervolutis, se ipsum (ut novæ sectæ conditorem) condemnaret; quo nihil clarius, ut probetur hos etiam libros æquè ac alios, non eodem licet ordine, inter propheticas scripturas recensitos: quippe qui ad hæreses profligandas pariter cum cæteris advocentur. Huc accedit Origenes, qui Sapientiam Jesu Siracidæ pari cum aliis Scripturis, etiam Salomonicis, auctoritatis commendatione proferat: initio lib. vi. contra Celsum n. 7. cuius generis innumerabilia testimonia extare in confesso est. In occidente verò vidimus Augustini locum ex Ecclesiastico æquè ac ex Pentateucho liberum arbitrium, aliaque fidei dogmata asserentis. (Præf. in Sap.) Ac ne africanam tantùm Ecclesiam laudare videamur, hunc secutus è Gallis nostris Prosper urget Collatorem adhibitis Ecclesiastici testimoniis: (cont. Collat. n. 40. et alibi passim, nunc cap. 13, n. 4). quin ipse Collator in Galliis quidem agens, sed tamen Græcorum magis imbutus sententiis, haud minùs quam cæteras Scripturas, eumdeni librum laudat. (Coll. xiii. cap. 12.) Cùm autem ibidem librum Pastoris attulisset, respondet Prosper:

*illud nullius auctoritatis testimonium*, paria dicturus de Ecclesiastico, nisi hunc et canonicum et ab apocrypho secernendum duceret. Sic autem videmus utraque ex parte laudatum ad affirmandam fidem, et ab orthodoxis et ab adversariis: quod quidem ab antiquâ traditione manaverat. Cui enim non notus ille Ecclesiastici locus, quem tantoperè S. Cyprianus ejusque synodus septem et octoginta episcoporum in causâ rebaptizationis, et quidem sub nomine Salomonis urgebant: *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?* (Eccli. xxxiv. 30. Conc. Carth. sub. Cypr. 27.) Neque catholicæ sententiæ defensores detrectabant auctoritatem, cùm huic loco S. Augustinus studiosissimè responderet; (lib. vi. de Bap. 34, n. 66. etc.) adeo solemne erat adhibere hunc librum in asserendis fidei dogmatibus.

Cur autem Salomonis diceretur, Isidorus Hispalensis exponit his verbis: Ecclesiasticus morum penè omnium disciplinam, et sanctæ religionis conversationem affatim copiosèque describit. Dictus est autem Ecclesiasticus, pro eo quòd in medio cœtu populi, id est, coram ecclesiâ fuerit habitus: hic enim propter nimiam sensûs similitudinem, et eloquii parilitatem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum à Jesu filio Sirach editum fuisse et inter reliquos sanctorum Scripturarum libros pari habitum veneratione. (lib. Proœm.)

Quin ipse Siracides prophetici spiritûs et instinctûs sibi conscient, hæc dicebat: *Ut furore enim repletus sum. In voce dicit: Obaudite me, divini fructus* (sancta fidelium soboles): xxxix. 16, 17. cuius rei gratiâ addit: *doctrinam sapientiae et disciplinæ*

XX.  
Cur Salomonis sit dictus: Isidori Hispalensis locus.

XXXI.  
Ipse ancestor prophetæ instinctûs sibi conscient.

*scripsit in codice isto Jesus filius Sirach :... beatus qui in ipsis versatur bonis. (l. 29, 30.) Neque Salomon, aut quisvis alius divino spiritu afflatus, maior rem sibi conciliant auctoritatem quam hic auctor passim ; atque ita omnino sua prædicat, ut solent illi qui se numine actos, nec se ipsos loqui, sed in se Deum sentiunt.*

---

---

# LIBER ECCLESIASTICI.

---

SAPIENTIA

ECCLESIASTICUS

SIRACH.

JESU FILII SIRACH.

—  
*PROLOGUS.*  
—

SIXTINA VERSIO.

—  
*PROLOGUS.*  
—

VERSIO VULGATA.

Cum multa nobis et magna per legem, et prophetas, et alios qui illos secuti sunt, data sint, pro quibus oportet laudare Israel, doctrinæ et sapientiæ causâ, cùmque eos, qui legunt, non solùm ipsos oporteat fieri scientes, sed etiam extraneis studio disciplinæ ductos posse et dicendo et scribendo prædesse : avus meus Jesus, postquam amplius se dedit ad diligentiam lectionis legis, et prophetarum, et aliorum librorum, qui no-

MULTORUM nobis <sup>(1)</sup> et magnorum, per legem et prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est, in quibus oportet laudare Israel doctrinæ et sapientiæ causâ; quia non solùm ipsos loquentes <sup>(2)</sup> necesse est esse peritos, sed etiam extraneos <sup>(3)</sup> posse, et dicentes et scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, et prophetarum, et

(1) *Multorum nobis* : vide Gr.

(2) *Non solùm ipsos loquentes* : docentes sive voce, sive scripto.

(3) *Extraneos* : ab Israeliticâ republicâ, sive à sapientiæ studiis, necesse est sapientum dicta recolentes, et ipsos in dicendo et scribendo doctiores fieri.

bis à parentibus nostris tradi-  
tū sunt, atque in his eum  
qui satis esse posset, habi-  
tum sibi comparasset, vo-  
luit et ipse scribere aliquid  
eorum quæ ad doctrinam et  
sapientiam pertinent, ut  
desiderantes discere, etiam  
horum participes facti,  
multò magis proficiant per  
vitam legitimam. Hortor  
itaque venire vos cum be-  
nevolentia, et attentiori  
studio lectionem facere, et  
veniam habere in illis, in  
quibus videbimur in non-  
nullis ad interpretandi ra-  
tionem elaboratis dictioni-  
bus deficere. Non enim eam-  
dem vim habent hæc in  
seipsis hebraicè dicta, atque  
ad alteram translatā lin-  
guam. Non solùm autem  
hæc, sed et ipsa lex et pro-  
phetiae, et cæteri libri nou-  
parvam habent differen-

aliorum librorum, qui nobis  
à parentibus nostris traditi  
sunt, voluit et ipse scribere  
aliquid horum, quæ ad  
doctrinam et sapientiam  
pertinent, ut desiderantes  
discere, et illorum periti  
facti, magis magisque atten-  
dant animo, et confirmen-  
tur ad legitimam vitam.  
(4) Hortor itaque venire vos  
cum benevolentia, et atten-  
tiori studio lectionem facere,  
et veniam habere (5) in illis,  
in quibus videmur, sequen-  
tes imaginem sapientiae (6),  
deficere in verborum com-  
positione. Nam deficiunt  
verba hebraica (7), quando  
fuerint translatā ad alteram  
linguam. Non autem solùm  
hæc, sed et ipsa lex et Pro-  
phetæ (8), cæteraque alio-  
rum librorum, nou parvam  
habent differentiam (9),  
quando inter se dicuntur.

(4) *Ad legitimam vitam*: ex legis placitis componendam.

(5) *Veniam habere*: dare.

(6) *Sequentes imaginem sapientiae*: Gr. deest. Sensus est, senten-  
tiis inhærentem, in verborum compositione nonnunquam defec-  
tis.

(7) *Deficiunt verba hebraica*: non eamdem vim habent.

(8) *Ipsa lex et Prophetæ*. Hæc indicant non modò legem, verū  
etiam Prophetas, aliosque sacros libros jam in græcum versos: ac de  
lege quidem constat, cùm LXX. interpres longè antea prodūsset  
Eleazaro pontifice, Ptolemæo Philadelpho rege.

(9) *Non parvam.. quando inter se dicuntur*: conferuntur.

tiam, quando inter se dicuntur. Nam in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis regis, postquam perveni in Ægyptum, et cum multum temporis ibi fuisse, inveni ibi libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Maximè necessarium putavi ipse aliquam adhibere diligentiam et laborem interpretandi librum istum: multam enim vigiliam, et doctrinam attuli in spatio temporis ad hoc, ut ad finem ducens istum librum, ederem etiam iis qui in parœciâ volunt discere præparati moribus ad vivendum in lege.

Nam in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis (10) regis, postquam perveni in Ægyptum, et cum multum temporis ibi fuisse, inveni ibi libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum et necessarium putavi et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpretandi librum istum; et multâ vigiliâ attuli doctrinam (11) in spatio temporis, ad illa quæ (12) ad finem ducunt, librum istum dare, et illis qui volunt (13) animum intendere et discere, quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere.

(10) *Ptolemæi Evergetis*: vide præf. num. xiii.

(11) *Multâ vigiliâ attuli doctrinam*: Gr. multam vigiliam et doctrinam attuli.

(12) *Ad illa quæ*: Gr. ad hoc ut ad finem ducens, etc.

(13) *Et illis qui volunt*: Gr. interserit: iis qui in parœciâ, in viciniis locis: melius, in peregrinatione: Judæis in exterias regiones longè latèque dispersis ac sèpe peregrinantibus; quemadmodum ipse auctor **xxxiv.** 12. **li.** 18. Hunc ergo librum peregre agentibus comparabat, ne à patriis legitimisque ritibus ad gentium mores deficerent.

---

## CAPUT PRIMUM.

*Adhortatio ad sapientiam : ejus dignitas : cum Dei timore con-jungitur.*

### SIXTINA VERSIO.

OMNIS sapientia à DOMINO est, et cum illo est in ævum.

Arenam maris, et pluviae guttas, et dies sæculi quis dinumerabit? Altitudinem cœli et latitudinem terræ, et abyssum,

Et sapientiam quis investigabit?

Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo.

### VERSIO VULGATA.

1. OMNIS sapientia à DOMINO Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

2. Arenam maris, et pluviae guttas, et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?

3. Sapientiam Dei, præcedentem omnia, quis investigavit?

4. Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo.

5. Fons sapientiæ verbum

<sup>1</sup> *Ante ævum*: ante omnia sæcula: in ævum, Gr. in æternum.

<sup>2.</sup> <sup>3.</sup> *Altitudinem cœli.... sapientiam Dei*: Gr. altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et abyssum, et sapientiam quis investigabit? hoc est, sapientia tam est impenetrabilis, quām ista tria.

<sup>4</sup> *Creata est*: *εγένεται*, genita est, constituta est, ordinata est, et omnibus Dei operibus præposita est sapientia; hæc enim omnia, græca vox sonat, ut notant Athanasius, Eusebius, et alii passim. Veritas autem hebraica in Proverbiis, unde ista deducta sunt, clare habet generationem, ut notavimus, Prov. viii. 22. sive, creata est in hominum cordibus, et effusa super omnia opera Dei: infra, 10.

<sup>5</sup> *Verbum Dei*: verbum illud, illa Sapientia apud Deum, origo

Dei in excelsis : et ingressus  
illius mandata æterna.

**Radix sapientiæ , cui re-  
velata est ? et astutias illius  
quis agnovit ?**

**Unus est sapiens metuen-  
dus nimis, sedens super thro-  
num suum.**

**Dominus ipse creavit eam,  
et vidit, et dinumeravit eam,**

**Et effudit illam super  
omnia opera sua, cum omni  
carne secundum datum  
suum et præbuit illam dili-  
gentibus se.**

**Timor Domini, gloria, et  
gloriatio, et lætitia, et co-  
rona exultationis.**

**6. Radix sapientiæ cui re-  
velata est, et astutias illius  
quis agnovit ?**

**7. Disciplina sapientiæ cui  
revelata est et manifestata ?  
et multiplicationem ingres-  
sūs illius quis intellexit ?**

**8. Unus est altissimus crea-  
tor omnipotens et rex po-  
tens, et metuendus nimis,  
sedens super thronum illius  
et dominans Deus.**

**9. Ipse creavit illam in  
Spiritu sancto, et vidit, et  
dinumeravit, et mensus est.**

**10. Et effudit illam su-  
per omnia opera sua, et su-  
per omnem carnem secun-  
dum datum suum, et præ-  
buit illam diligentibus se.**

**11. Timor Domini gloria,  
et gloriatio, et lætitia, et  
corona exultationis.**

est sapientiæ in nos derivatæ. *Ingressus illius* : viæ : consilia : opera.  
Deest in multis codicibus græcis.

**6 Astutias illius : varia et arcana consilia.**

**8 Unus est : addit Gr. sapiens. Super thronum illius : suum : Gr.**

**9 In Spiritu sancto : per creatorem illum spiritum, quo mundum  
cor, veraque sapientia creatur in nobis. Et dinumeravit : novit om-  
nia, que Sapientia, numero, mensurâ, pondere disposuit. Sap. xi.  
21.**

**10 Effudit illam : quòd in omnibus Dei operibus ars opificis elu-  
cescat. Secundum datum suum : secundum voluntatem ac mensu-  
ram suam. I. Cor. xii. 11. Eph. iv. 7. Quisque habet quantum de-  
derit.**

Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, et longitudinem dierum.

Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ inveniet gratiam.

Initium sapientiæ, timere Deum; et cum fidelibus in vulvâ concreatum est eis; et cum hominibus fundamentum sæculi nidificavit, et cum semine eorum concredetur.

12. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum.

13. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicitur.

14. Dilectio Dei honorabilis sapientia.

15. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum.

16. Initium sapientiæ, timor Domini: et cum fidelibus in vulvâ concreatus est, cum electis fœminis graditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur.

17. Timor Domini, scientiæ religiositas.

18. Religiositas custodiet et justificabit cor: jucunditatem atque gaudium dabit.

19. Timenti Dominum

<sup>13</sup> *In die defunctionis: mortis, cujus vocis alteram interpretationem habes 19.*

<sup>15</sup> *Quibus apparuerit in visu: ut Salomoni, III. Reg. III. 5. diligunt eam: idem Salomon per somnum, sapientiam bonis omnibus anteponens, ejus magnifica dona suscepit. Ibid. 11. et seqq.*

<sup>16</sup> *Cum electis fœminis: cujus loco Gr. cum hominibus fundamentum sæculi (vitæ humanæ sustentaculum, virtutem ipsam scilicet) nidificavit: (quasi exclusis ovis peperit.) Quibus ostendit, ab ipsâ infantiâ insitam cum timore Domini sapientiam.*

bene erit, et in diebus consummationis illius benedicitur.

Plenitudo sapientiae, timere Dominum : et inebriat eos de fructibus ejus.

Omnem domum illius implebit desideriis, et receptacula de generationibus ejus.

Corona sapientiae, timor Domini, germinans pacem, et sanitatem incolumentatis : et vidit, et dinumeravit eam.

Scientiam, et cognitionem intellectus effudit, et gloriam tenentium ipsam exaltavit.

Radix sapientiae est timere Dominum, et rami ejus longævitas.

20. Plenitudo sapientiae est timere Deum, et plenitudo à fructibus illius.

21. Omnem domum illius implebit à generationibus, et receptacula à thesauris illius.

22. Corona sapientiae, timor Domini, replens pacem, et salutis fructum :

23. Et vidit, et dinumeravit eam : utraque autem sunt dona Dei.

24. Scientiam, et intellectum prudentiae sapientia compartietur: et gloriam tenentium se, exaltat.

25. Radix sapientiae est timere Dominum : et rami illius longævi.

26. In thesauris sapientiae intellectus, et scientiae reli-

<sup>20</sup> *Plenitudo à fructibus : ex fructibus.*

<sup>21</sup> *Implebit à generationibus : implebit fructibus, sive proventibus.*  
Præpositio redundat, ut in hac interpretatione passim : quod semel notandum : Gr. implebit desideriis, hoc est, cupitis bonis : *receptacula : cellas, horrea.*

<sup>22</sup> *Replens pacem : Gr. germinans. Salutis : sive incolumentatis : fructum.*

<sup>23</sup> *Et vidit, et dinumeravit eam : pacem et incolumentatem suo numero ac mensurâ tribuit.*

<sup>24</sup> *Compartietur : dispertiet : Gr. effudit, impluit. Tenentium se : tenentium ipsam : Gr.*

<sup>25</sup> *Rami illius longævi : Gr. longævitas, longitudo dierum.*

giositas : execratio autem peccatoribus sapientia.

27. Timor Domini expellit peccatum.

28. Nam qui sine timore est, non poterit justificari : iracundia enim animositatis illius, subversio illius est.

29. Usque in tempus sustinebit patiens : et postea redditio jucunditas.

30. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius.

31. In thesauris sapientiae significatio disciplinæ :

32. Execratio autem peccatori, cultura Dei.

33. Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam; et Deus præbebit illum tibi.

34. Sapientia enim et disciplina timor Domini, et quod beneplacitum est illi,

35. Fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius.

Non sis incredibilis timori

36. Ne sis incredibilis ti-

<sup>28</sup> *Qui sine timore est* : vide Gr. *Iracundia animositatis* : vide Gr.

<sup>30</sup> *Verba illius* : Gr. sua : de toto versu vide Gr. *Sensus est* : hominis taciti atque ipso silentio venerandi, multi ultro sensa laudabunt; quo fit, ut defensione sive excusatione non egeat.

<sup>31</sup> *Significatio disciplinæ* : ex eo thesauro erumpunt sententiae : sive ut habet Gr. parabola erudita. Vide 26, 27.

36 *Incredibilis* : incredulus.

Domini; et ne accesseris ad eum duplici corde.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum; et in labia tua intende.

Non exaltes te ipsum; ne cadas, et adducas animæ tuæ in honorationem.

Et revelabit Dominus absconsa tua, et in medio synagogæ elidet te.

Quoniam non accessisti ad timorem Domini, et cor tuum plenum est dolo.

mori Domini; et ne accesseris ad illum duplici corde.

37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum; et non scandalizeris in labiis tuis.

38. Attende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ in honorationem,

39. Et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te:

40. Quoniam accessisti malignè ad Dominum; et cor tuum plenum est dolo et fallaciæ.

<sup>37</sup> Non scandalizeris: ne verbis tuis capiare: vide Gr.

<sup>39</sup> Revelet Deus absconsa tua: occulta flagitia tua. Jer. xiii. Ezech. xxiii. In medio synagogæ: publicè.

## C A P U T I I.

Patientia: tentatio sive probatio: timor Dei: fiducia: duplici corde: duabus viis ingredi: incidere in manus Dei.

### S I X T I N A V E R S I O.

FILI, accedens ad servitatem Domini Dei, prepara animam tuam ad tentationem.

Dirige cor tuum, et sustine: et ne festines in tempore obductionis.

### V E R S I O V U L G A T A.

1. FILI, accedens ad servitatem Dei, sta in justiâ et timore; et prepara animam tuam ad temptationem.

2. Deprime cor tuum, et sustine: inclina aurem tuam, et suscipe verba in-

<sup>1</sup> Ad temptationem: eam, quæ versatur in doloribus et cruciatibus perferendis, de quâ Rom. v. 3, 4, 5.

Conjungere ei, et ne rece das; ut crescas in novissimis tuis.

Omne, quod tibi applici tum fuerit, accipe, et in humilitate tuâ patientiam habe:

Quoniam in igne proba tur aurum, homines verò receptibiles in camino hu miliationis.

Crede ei, et recuperabit te: dirige vias tuas, et spera in illum.

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus, et non deflectatis ne cadatis.

Qui timetis Dominum, credite illi: et non cadet merces vestra.

Qui timetis Dominum, sperate in bona, et in læti-

tellectùs; et ne festines in tempore obductionis.

3. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novis simo vita tua.

4. Omne, quod tibi applici tum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humili tate tuâ patientiam habe :

5. Quoniam in igne proba tur aurum et argentum; homines verò receptibiles in camino humiliati onis.

6. Crede Deo, et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce.

7. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus : et non deflectatis ab illo, ne cadatis.

8. Qui timetis Dominum, credite illi : et non evacua bitur merces vestra.

9. Qui timetis Dominum sperate in illum: et in oblec-

<sup>2</sup> *Ne festines*: ne præcipite et impatiens sis animo: *In tempore obductionis*. Gr. insultùs, impetus, illatæ calamitatis; oppressionis, ut Vulgat. vertit xl. 9.

<sup>3</sup> *Sustentationes Dei*: tribulationes ab ipso immissas. *Ut crescat*: ut seni tibi prorogentur dies.

<sup>4</sup> *Omne, quod applici tum fuerit*: casus omnes secundos et ad versos. *In humilitate*: dejectione; cùm in terram fueris deturbatus.

<sup>6</sup> *In illo veterasce*: senesce in timore ejus.

tiam sæculi, et misericordiæ.

tationem veniet vobis misericordia.

10. Qui timetis Dominum diligite illum : et illuminabuntur corda vestra.

11. Respicite, filii, nationes hominum : et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.

12. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit illum, et despexit eum?

13. Quoniam pius et misericors est Dominus, et remittet peccata, et salvat in tempore tribulationis.

14. Væ dupli corde, et labiis scelestis, et manibus malefacentibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis.

15. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo : et ideo non protegentur ab eo.

16. Væ his, qui perdiderrunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas.

17. Et quid facient? cùm inspicere cœperit Dominus?

<sup>11</sup> *Nationes hominum*: antiquas generationes, Gr.

<sup>14</sup> *Væ dupli corde*: hypocritis, dissimulatoribus, levibus ingeniis, nec sibi satis constantibus.

<sup>16</sup> *Sustinentiam*: patientiam.

Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbis illius : et qui diligunt illum, conservabunt vias ejus.

Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei : et qui diligunt illum, replebuntur lege.

Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius humilia- bunt animas suas.

Incidamus in manus Domini, et non in manus hominum.

Secundum enim magnitudinem ipsius, et sic misericordia illius.

18. Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum, conservabunt viam illius.

19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei : et qui diligunt eum , replebuntur lege ipsius.

20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua , et in conspectu illius sanctifi- cabunt animas suas.

21. Qui timent Domi- num , custodiunt mandata illius ; et patientiam habe- bunt usque ad inspectio- nem illius,

22. Dicentes: Si pœnitentiam non egerimus , incide- mus in manus Domini, et non in manus hominum.

23. Secundum enim ma- gnitudinem ipsius, sic et mi- sericordia illius cum ipso est.

<sup>18</sup> *Incredibiles* : increduli, ut jam dictum.

<sup>19</sup> *Replebuntur lege* : cognitione et amore legis.

## CAPUT III.

*De parentum reverentia, 2. usque ad 19. mites : magni se humiliant : compressa curiositas, 22. ad 27. cor durum et immisericors : qui amat periculum, 27. peccata peccatis addita, 29. superbis Deus implacabilis : vera sapientia abstinere à peccato : cleenosy na  
ac beneficentia, 33, 34, et cap. seq.*

### SIXTINA VERSIO.

### VERSIO VULGATA.

Me patrem audite, filii,  
et sic facite, ut salvi sitis.

Dominus enim honoravit  
patrem in filiis, et judicium  
matris firmavit in filios.

Qui honorat patrem,  
exorabit pro peccatis :

Et sicut qui thesaurizat,  
ita qui honorificat matrem  
suam.

Qui honorat patrem, ju-  
cundabitur à filiis, et in die  
orationis suæ exaudietur.

Qui honorificat patrem,

1. FILII sapientiae, ecclæ-  
sia justorum : et natio illo-  
rum, obedientia, et dilec-  
tio.

2. Judicium patris audite,  
filii; et sic facite, ut salvi  
sitis.

3. Deus enim honoravit  
patrem in filiis, et judicium  
matris exquirens, firmavit  
in filios.

4. Qui diligit Deum, exo-  
rabit pro peccatis, et conti-  
nebit se ab illis, et in ora-  
tione dierum exaudiatur.

5. Et sicut qui thesauri-  
zat, ita et qui honorificat  
matrem suam.

6. Qui honorat patrem  
suum, jucundabitur in filiis,  
et in die orationis suæ exau-  
diatur.

7. Qui honorat patrem

<sup>1</sup> Natio illorum : generatio, fructus.

<sup>2</sup> Judicium patris : jus patrium : Gr. me patrem audite, filii; velut  
Dei nomine : ut à vero patre discatis quid debeatis parentibus :  
quod exequitur usque ad versum 19. Gr. variat, ¶. 3, 4, 13, 16, 18.

vitâ vivet longiore, et qui obedit Domino, refrigerabit matrem suam, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

In opere et sermone honora patrem tuum,

■ Ut superveniat tibi benedictio ab eo.

Benedictio enim patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta.

Ne glorieris in contumeliâ patris tui : non est enim tibi gloria, patris confusio.

Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii mater sine honore.

Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vitâ illius :

Et si defecerit sensu, veniam da : et non spernas eum in quâlibet virtute tuâ.

Eleemosyna enim patris non erit in oblivione : et pro peccatis, in justitiâ ædificabitur tibi.

<sup>16</sup> Pro peccato matris : sive pro injuriâ quam à matre patienter tuleris.

suum, vitâ vivet longiore, et qui obedit patri, refrigerabit matrem.

8. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

9. In opere et sermone et omni patientiâ honora patrem tuum,

10. Ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat.

11. Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta.

12. Ne glorieris in contumeliâ patris tui : non enim est tibi gloria, ejus confusio.

13. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore.

14. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vitâ illius :

15. Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tuâ : eleemosyna enim patris non erit in oblivione.

16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum,

In die tribulationis tuæ  
commemorabitur tuî : sicut  
in sereno glacies , sic sol-  
ventur tua peccata.

Tanquam blasphemus  
est , qui dereliquit patrem ,  
et est maledictus à Domino ,  
qui exasperat matrem suam.

Fili , in mansuetudine  
opera tua perfice , et ab ho-  
mione acceptabili diligenter.

Quantò major es , tanto  
magis te humilia ; et coram  
Deo invenies gratiam.

Quoniam magna est po-  
tentia Domini , et ab hu-  
milibus honorificatur.

Difficiliora te ne quæsieris ;  
et fortiora te ne scrutatus  
fueris.

Quæ præcepta sunt tibi ,  
hæc cogita : non est enim  
tibi opus absconditis.

In supervacuis operum  
tuorum ne fueris curiosus :  
plurima enim super sensum  
hominis ostensa sunt tibi.

17. Et in justitiâ ædifica-  
bitur tibi , et in die tribula-  
tionis coinnemorabitur tuî :  
et sicut in sereno glacies ,  
solventur peccata tua.

18. Quàm male famæ est ,  
qui derelinquit patrem ! et  
est maledictus à Deo , qui  
exasperat matrem.

19. Fili , in mansuetudine  
opera tua perfice ; et super  
hominum gloriam diligenter.

20. Quantò magnus es ,  
humilia te in omnibus ; et  
coram Deo invenies gra-  
tiam :

21. Quoniam magna po-  
tentia Dei solius , et ab hu-  
milibus honoratur.

22. Altiora te ne quæsie-  
ris , et fortiora te ne scruta-  
tus fueris : sed quæ præ-  
cepit tibi Deus , illa cogita  
sempre ; et in pluribus ope-  
ribus ejus ne fueris curiosus.

23. Non est enim tibi ne-  
cessarium ea quæ abscondita  
sunt , videre oculis tuis.

24. In supervacuis rebus  
noli scrutari multipliciter ;  
et in pluribus operibus ejus  
non eris curiosus.

<sup>17</sup> *Ædificabitur tibi* : domus tua scilicet : res tuae constabilientur.

<sup>20</sup> *Quantò magnus es* : major.

<sup>24</sup> *In supervacuis rebus* : Gr. in supervacuis operum tuorum : in  
illis operibus quæ sunt supervacua. Vulgata planior.

Multos enim implanavit suspicio ipsorum; et cogitatio mala labefecit sensus illorum.

Et qui amat periculum, in illud incidet: cor durum habebit malè in novissimis.

Cor durum gravabitur laboribus: et peccator adjiciet peccatum super peccata.

Obductioni superbi non est sanatio: frutex enim peccati radicavit in illo.

Cor sapientis cogitabit parabolam: et auris auditoris, desiderium sapientis.

<sup>26</sup> *Multos quoque*: multos enim: Gr. quæ particulæ ad antecedentia referunt. *Supplantavit*: Gr. implanavit, decepit. *Suspicio illorum*: conjecturæ de rebus maximis.

<sup>28</sup> *Scandalizabitur*: offendet, cadet.

<sup>30</sup> *Synagogæ, cœtui superborum*: Gr. ἵππων, immissis superbis calamitatibus: ut suprà, n. 2. quæ sunt immedicabiles, Deo implacabiliter ulciscente.

<sup>31</sup> *Cor sapientis... in sapientiâ*: cogitabit parabolam: Gr. similitudines, quibus obvelata veritas, gratiùs et suaviùs postea elucescat. *Auris bona*: Gr. auris audientis votum seu desiderium sapientis: sapiens cupit habere dociles auditores. Vide infrà, xxv. 12.

25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.

26. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum.

27. Cor durum habebit malè in novissimo: et qui amat periculum, in illo peribit.

28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur.

29. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum.

30. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, et non intelligetur.

31. Cor sapientis intelligitur in sapientiâ, et auris bona audiet cum omni concupiscentiâ sapientiam.

32. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se à peccatis, et in operibus justitiae successus habebit.

33. Ignem ardente extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis:

34. Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam memorinit ejus in posterum, et in tempore casūs sui, invenerit firmamentum.

**Ignem ardente extinguit aqua : et eleemosyna expiabit peccata.**

**Qui reddit gratias, commemoratur in posterum; et in tempore casūs sui, invenerit firmamentum.**

**34 Deus prospector est : Gr. simpliciter : qui reddit gratias ( sive beneficiorum memor ) memorabitur in posterum, etc.**

---

## CAPUT IV.

*Sequitur de adjuvandis pauperibus, usque ad 12. Sapientiae utilitas : homines temptationibus probat, ad 23. prava verecundia, ad 32. peccata cui confitenda, 31. ne contra ictum fluvii, 32. pro justitia certa, 33. lingua præceps : in domo ut leo, 34. beneficus, 35.*

### SIXTINA VERSIO.

FILI, vitam pauperis ne defraudes, et ne protrahas oculos<sup>1</sup> egenos.

Animam esurientem ne contristes, et non exasperes virum in inopia suā.

### VERSIO VULGATA.

1. FILI, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas à paupere.

2. Animam esurientem ne despiceris, et non exasperes pauperem in inopia suā.

<sup>1</sup> Oculos tuos : ne protrahas (in longum ducas), oculos egenos : Gr. ne egentes expectare facias.

Cor irritatum ne conturbes, et ne protrahas datum angustianti.

Rogationem tribulati ne abjicias, et ne avertas faciem tuam ab egeno.

Ab inope non avertas oculum : et ne relinquas locum homini, ut maledicat te.

Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ suæ , deprecationem ejus exaudiet is qui fecit illum.

Congregationi amabilem te facito : et magnati humilia caput tuum.

Inclina pauperi aurem tuam, et responde illi pacifica in mansuetudine.

Libera eum qui injuriam patitur, de manu inferentis : et non acedieris in judicando.

Esto pupillis ut pater, et

<sup>3</sup> *Cor inopis* : Gr. irritatum , exacerbatum. *Angustianti* : indigenti : Gr.

9 *Superbi* : injuriam inferentis : Græc. *non acidè* : acerbè : at Gr. ne pusillo animo sis in judicando , quod Vulgat. ad seq. refert.

3. Cor inopis ne affixeris , et non protrahas datum angustianti.

4. Rogationem contribulati ne abjicias , et non avertas faciem tuam ab egeno.

5. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram ; et non relinquas querentibus tibi retro maledicere.

6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudiatur deprecatio illius : exaudiet autem eum qui fecit illum.

7. Congregationi pauperum affabilem te facito : et presbytero humilia animam tuam , et magnato humilia caput tuum.

8. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam ; et redde debitum tuum ; et responde illi pacifica in mansuetudine.

9. Libera eum qui injuriam patitur , de manu superbi; et non acidè feras in animâ tuâ.

10. In judicando esto pu-

pro viro matri illorum : et  
eris velut filius Altissimi, et  
diligit te magis mater tua.

Sapientia filios sibi exal-  
tavit, et suscepit inquiren-  
tes se.

Qui diligit illam, diligit  
vitam : et qui manè vigila-  
verint ad illam, implebun-  
tur lætitia.

Qui tenuerit illam, hære-  
ditabit gloriam : et quocum-  
que introibit, benedicet  
Dominus.

Qui servient ei, servient  
Sancto : et eos qui diligunt  
eam, diligit Dominus.

Qui audit illam, judica-  
bit gentes : et qui ad illam  
accesserit, habitabit confi-  
dens.

Si credideris, hæredita-  
bis illam, et in possessione  
erunt creaturæ ipsius.

<sup>13</sup> *Complecentur* (assequentur) *placorem* : placiditatem : tran-  
quillitatem *eius* : fruentur quiete quam dederit.

<sup>15</sup> *Sancto* : ipsi Deo.

<sup>17</sup> *Hæreditabit* : possidebit. *Erunt in confirmatione creaturae*  
*illius* : fructus, proventus, ipsa *eius* soboles consistet firmius.

pillis misericors ut pater, et  
pro viro matri illorum :

<sup>11.</sup> Et eris tu velut filius  
Altissimi obediens, et mise-  
rebitur tuī magis quam ma-  
ter.

<sup>12.</sup> Sapientia filii suis vi-  
tam inspirat : et suscepit in-  
quirentes se, et præbit in-  
viā justitiae.

<sup>15.</sup> Et qui illam diligit,  
diligit vitam : et qui vigila-  
verint ad illam, complecten-  
tur placorem ejus.

<sup>14.</sup> Qui tenuerint illam,  
vitam hæreditabunt : et quo  
introibit, benedicet Deus.

<sup>15.</sup> Qui serviunt ei, obse-  
quentes erunt Sancto : et  
eos qui diligunt illam, dili-  
git Deus.

<sup>16.</sup> Qui audit illam, judi-  
cabit gentes : et qui intue-  
tur illam, permanebit con-  
fidens.

<sup>17.</sup> Si crediderit ei, hære-  
ditabit illam, et erunt in  
confirmatione creaturæ il-  
lius.

Quoniam obliquè ambulat cum eo in primis :

Timorem autem et metum adducet super illum, et cruciabit illum, in disciplinâ suâ; donec credat animæ illius, et tentet eum in justificationibus suis.

Et rursus redibit recta ad illum, et lætificabit illum, et denudabit absconsa sua.

18. Quoniam in temptatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum.

19. Timorem et metum, et probationem inducit super illum: et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius.

20. Et firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum.

18. 19. *In temptatione.... timorem et metum.... donec tentet eum.... et credat animæ illius.* His versibus id agit Ecclesiasticus, ne victi difficultatibus quæ viam sapientiae ineuntibus occurrunt, animis concidamus. Comparat autem sapientiam homini periclitanti amici fidem, neque arcana sua facile committenti, anteaquam cantè probaverit: sic agit sapientia. *In primis*, ac primum quidem, initio: *in temptatione ambulat cum illo*: tentat hominem obsequentem sibi. *Et eligit eum.* Summo delectu utitur, neque cuivis obvio se tradit, sive, ut habet Græcus, obliquè ambulat cum illo: quam lectionem firmant sequentia, ac maximè versus 20. *Obliquè autem*, hoc est, velut incerto pede ambulat cum amatore suo, nec statim illi fudit, seu mavis, amatorem suum quasi per anfractuosa et confragosa deducit, timoremque inicit, et diligenter probat, neque parcit cruciatibus quibus illum erudit, donec probato et tentato ad extremum credat, et omnia arcana effundat in sinum: ut patet *¶*. 21. Addit Gr. et tentet eum in justificationibus suis, hoc est, et probet illum verè justum fuisse: sic Abraham, sic Jacob, sic Moyses, aliique non nisi probati et difficultatibus exerciti, veræ sapientiæ compotes facti sunt. Pergit:

20. *Et iter adducet directum ad illum*: hoc est, ducet illum per itinera recta, ut Sap. x. 10. atque ut hic habet, Gr. redibit rectâ viâ ad illum: non jam obliquè, ut *¶*. 18. *Et lætificabit illum*: renudatis sapientiæ arcanis, ut habent sequentia: quarum rerum summa est Sap. iii. 5. ubi ait: *Tentavit eos, et invenit illos dignos se.*

21. Et denudabit absconsa sua illi; et thesaurizabit super illum scientiam, et intellectum justitiae.

22. Si autem oberraverit, derelinquet eum, et tradet eum in manibus ruinæ suæ.

Siautem aberraverit, derelinquet eum, et tradet eum in manibus ruinæ suæ.

Conserva tempus, et devita à malo; et pro animâ tuâ ne confundaris.

Est enim confusio adducens peccatum; et est confusio, gloria et gratia.

Ne accipias faciem adversus animam tuam, et ne reverearis in casum tuum.

23. Fili, conserva tempus, et devita à malo.

24 Pro animâ tuâ ne confundaris dicere verum.

25. Est enim confusio adducens peccatum; et est confusio adduceus gloriam et gratiam.

26. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.

27. Ne reverearis proximum tuum in casu suo :

<sup>22</sup> *Si autem oberraverit* : clarius, aberraverit, Gr. Dixit quæ evenitura sint homini per calamitates probato : at eadem sapientia aberrantem deseret. *Et tradet eum in manus inimici sui* : Gr. ruinæ suæ : notus hebraismus : omni ope destituet, ac certo dedet exitio.

<sup>23</sup> *Conserva tempus* : vide i. 28.

<sup>24</sup> *Pro animâ tuâ* : pro salute animæ tuæ. Agreditur autem homines malè verecundos, qui veritatem erubescunt.

<sup>25</sup> *Est confusio* : est pudor bonus malusque, quorum causas aperit sequentibus.

<sup>26</sup> *Ne accipias faciem* : sive personam : utrumque enim Gr. congruit. Ne sis personarum acceptor; vel, noli judicare secundum externam speciem, quod est Joan. viii. 24. *Nolite judicare secundum faciem* (sive speciem) *sed rectum iudicium iudicate*.

<sup>27</sup> *Ne reverearis*. Ne te falsa reverentia prohibeat quominus proximum tuum errantem et cæcum candidis mouitis à certâ pernicie

Non retineas verbum in tempore salutis.

In sermone enim cognoscetur sapientia, et doctrina in verbo linguæ.

Non contradicas veritati; et de ineruditione tuâ confundere.

Ne confundaris confiteri peccata tua; nec coneris contra fluxum fluminis; et non subjicias te homini stulto; et ne accipias faciem potentis.

Usque ad mortem agonizare pro veritate: et Dominus Deus pugnabit pro te.

Noli asper esse in linguâ deterreas. Gr. Ne reverearis in casum tuum, cùm veritatem tacens, tibi ipsi accersis exitium.

<sup>28</sup> Non abscondas sapientiam tuam in decore suo: nempe in gravibus periculis, quo tempore decet maximè.

<sup>31</sup> Ne subjicias te. Ita confitere peccata, ut non cuvis, sed sapientissimo cuique emendanda ac medicanda committas.

<sup>32</sup> Noli resistere: pro his Gr. habet: Non subjicias te homini stulto, nec accipias faciem (seu personam) potentis.

<sup>33</sup> Agonizare: velut in agone certa, proposito præmio. Deus expugnabit: brevius Gr. et Deus pugnabit pro te.

<sup>34</sup> Noli citatus esse: præceps: ταχὺς. Alii legunt, τραχὺς, violentus,

28. Nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.

29. In lingua enim sapientia dignoscitur: et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ.

30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo; et de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

31. Non confundaris confiteri peccata tua: et ne subjicias te omni homini pro peccato.

32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.

33. Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ, et usque ad mortem certa pro iustitiâ: et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

34. Noli citatus esse in

tuâ, et inutilis et remissus linguâ tuâ, et inutilis et remissus in operibus tuis.

Noli esse sicut leo in domo tuâ, et arreptitius in domesticis tuis.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

linguâ tuâ, et inutilis et remissus in operibus tuis.

35. Noli esse sicut leo in domo tuâ, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.

36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

asper. Alii, *θραύς*, confidens, temerarius : eodem sensu. Vulgata lectio planior et antiquior.

35 *Evertens domesticos*. Præclarè Gr. (noli esse) arreptitius seu potius imaginosus, furens : *περιπονητής* : exagitatus phantasiis : cuiusmodi illa fuisse dicitur apud Ter. in Hec.

---

## C A P U T V.

*Divitiis ne confidas, 1, 2, 3, 10. de peccato statim expiendo, 4, ad 10. levi animo et vario, 11. firmo, 12. miti, 13. lingua, 14. ad fin.*

### S I X T I N A V E R S I O.

NOLI attendere ad divitias tuas; et ne dixeris, Sufficien- tes mihi sunt.

### V E R S I O V U L G A T A.

1. NOLI attendere ad pos- sessiones iniquas; et ne dixe- ris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in tem- pore vindictæ et obductio- nis.

Ne sequaris animam tuam, et fortitudinem tuam,

2. Ne sequaris in fortitu- dine tuâ concupiscentiam

<sup>1</sup> *Obductionis* : vide suprà, II. 2.

<sup>2</sup> *In fortitudine tuâ*. Ne viribus confisus sequaris concupiscentiam. Ne sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes. Num. xv. 39.

ut ambules in concupiscentiis cordis tui :

Et ne dixeris, Quis me subjiciet? Dominus enim vindicans vindicabit te.

Ne dixeris, Peccavi, et quid mihi accidit? Dominus enim est patiens.

De propitiatu noli esse sine metu, ut adjicias peccatum super peccata.

Etne dicas, Miseratio ejus magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

Misericordia enim et ira ab illo; et super peccatores requiescat ira illius.

Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim egredietur ira Domini, et in tempore vindictæ disperdet.

Noli attentus esse in divitiis injustis; nihil enim adjuvaberis in die obductionis.

Non ventiles in omni vento, et non eas in omni

3. Et ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit.

4. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.

5. De propitiato peccato noli esse sine metu: neque adjicias peccatum super peccatum.

6. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

7. Misericordia enim et ira ab illo citò proximant; et in peccatores respicit ira illius.

8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.

9. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

10. Noli anxius esse in divitiis injustis; non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ.

11. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas

<sup>3</sup> Quomodo potui? quanta potui?

<sup>10</sup> Noli anxius esse in divitiis injustis, comparandis, sive tuendis.

viâ : sic peccator duplex lingua.

**Esto firmus in intellectu tuo; et unus sit sermo tuus.**

**Esto velox in auscultatione tua; et in longanimitate profer responsum.**

**Si est tibi intellectus, responde proximo : sin autem, sit manus tua super os tuum.**

**Gloria et inhonoratio in sermone; et lingua hominis, subversio est illius.**

**Non appelleris susurro; et linguâ tuâ ne insidieris.**

**Super furem enim est confusio, et denotatio pessima super bilinguem.**

in omnem viam; sic enim omnis peccator probatur in duplice lingua.

**12. Esto firmus in viâ Domini, et in veritate sensu*tui* et scientiâ; et prosequatur te verbum pacis et iustitiae.**

**13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum sapientiâ proferas responsum verum.**

**14. Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbô indisciplinato, et confundaris.**

**15. Honor et gloria in sermone sensati : lingua verò imprudentis subversio est ipsius.**

**16. Non appelleris susurro; et linguâ tuâ ne capiaris, et confundaris.**

**17. Super furem enim est confusio et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem : susurratori autem odium, et inimicitia et contumelia.**

**18. Justifica pusillum et magnum similiter.**

<sup>12</sup> *Esto firmus in viâ Domini* : vide Gr.

<sup>14</sup> *Sin autem* : sin minùs.

<sup>15</sup> *Lingua imprudentis* : hominis, simpliciter : Gr.

<sup>18</sup> *Justifica, absolve, pusillum et magnum pariter* : æquo utrumque judicio : Gr. in magno et parvo non ignores : ne te in negotiis minutissima quæque fugiant.

## CAPUT VI.

*Sit firma amicitia, 1. superbi : de amicis comparandis, servandis, observandis, 5 ad 18. de sapientia, ejusque levi jugo, 18 ad finem : audiendi senes et docti, 35, 36.*

## SIXTINA VERSIO.

Et noli fieri pro amico inimicus; nomen enim malum, confusionem et impropperium hæreditabit. Sic peccator bilinguis.

Ne te extollas in cogitatione animæ tuæ, ne diripiatur, velut taurus, anima tua.

Folia tua comedes, et fructus tuos perdes, et relinquas te velut lignum aridum.

Anima nequam disperdet eum qui se habet, et gaudium inimicorum faciet eum.

Guttur dulce multiplicabit amicos suos, et lingua

<sup>1</sup> *Hæreditabit* : possidebit. *Omnis peccator* : Gr. simpliciter. Sic peccator bilinguis : supple, possidebit malum.

<sup>2</sup> *Virtus tua* : anima tua : Gr.

<sup>3</sup> *Et folia tua comedat* : stulta superbia, de quâ præcedente : ne decorem simul remque amittas, nec tantum folia, verum etiam fructus.

## VERSIO VULGATA.

1. NOLI fieri pro amico inimicus proximo : impropperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis.

2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut iaurus; ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam,

3. Et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquas te velut lignum aridum in eremo.

4. Anima enim nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicorum dat illum, et deducet in sortem impiorum.

5. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat

beneloquens multiplicabit inimicos : et lingua eucharis  
bonas salutationes. in bono homine abundat.

Multi pacifici sint tibi :  
consiliarii autem tui sint  
unus de nille.

Si possides amicum, in  
tentatione posside cum, et  
non facile credas ei.

Est enim amicus in tem-  
pore suo, et non permane-  
bit in die tribulationis tuæ.

Et est amicus qui conver-  
titur ad inimicitiam, et  
rixam opprobrii tui denu-  
dabit.

Et est amicus socius men-  
sarum, et non permanebit  
in die necessitatis tuæ.

Et in bonis tuis erit, tan-  
quam tu, et in domesticis  
tuis fiducialiter aget.

6. Multi pacifici sint tibi,  
et consiliarius sit tibi unus  
de mille.

7. Si possides amicum, in  
tentatione posside eum, et  
ne facile credas ei.

8. Est enim amicus secun-  
dum tempus suum, et non  
permanebit in die tribula-  
tionis.

9. Et est amicus qui con-  
vertitur ad inimicitiam; et  
est amicus qui odium, et  
rixam, et convitia denuda-  
bit.

10. Est autem amicus so-  
cius mensæ, et non perma-  
nabit in die necessitatis.

11. Amicus si permanerit  
fixus, erit tibi quasi coæ-  
qualis, et in domesticis tuis  
fiducialiter aget :

*5 Lingua eucharis : gratiosa : comiter loquens ; in bono homine  
abundabit. Vir bonus abundat verbis mitibus : Gr. Lingua benelo-  
quens (dulciloqua) multiplicabit bonas salutationes : (multos salu-  
tatores, ac fausta imprecantes.)*

*6 Multi pacifici : socii, convictores.*

*7 In tentatione posside amicum : non nisi tentatum et probatum.  
Non facile : non citò, non temerè, non statim, credas ei te ipsum.  
Jesus non credebat semetipsum eis. Joan. ii. 24.*

*8 Secundum tempus suum : secundum rationes et utilitates suas.*

*9 Et rixam : Gr. rixam opprobrii tui denudabit : quæ iratus effu-  
deris, nec amicum celandum putaris.*

*11 Amicus..... quasi coæqualis : Gr. in bonis tuis ( rebus tuis flo-  
rentibus ) erit : ( utetur ut suis : ) sicut tu. Et in domesticis tuis : in  
familitio tuo : fiducialiter, cum imperio, aget.*

Si humiliatus fueris, erit contra te, et à facie tuâ abscondet se.

Ab inimicis tuis separare: et ab amicis tuis attende.

Amicus fidelis, protectio fortis; et qui invenit illum, invenit thesaurum.

Amico fidei nulla est comparatio, et non est pondus bonitati ejus.

Amicus fidelis, medicamentum vitæ: et qui metuunt Dominum, invenient illum.

Qui timet Dominum, bonam habet amicitiam suam: quoniam secundùm ipsum, sic et proximus ipsius.

Fili, à juventute tuâ excipe doctrinam; et usque ad canos invenies sapientiam.

Quasi is qui arat et qui seminat, accede ad illam; et sustine bonos fructus illius.

<sup>12</sup> Si humiliaverit se : Gr. si humiliatus (dejectus) fueris, erit contra te, et à facie tuâ abscondet se : (à te recedet.)

<sup>13</sup> Ab inimicis tuis separare: non affectu, sed convictu, ne te per calumniam prodant. Ab amicis attende: ne amittas eos: neu plus æquo et sine ullâ cautione credas.

12. Si humiliaverit se contra te, et à facie tuâ absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam.

13. Ab inimicis tuis separare: et ab amicis tuis attende.

14. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.

15. Amico fidei nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.

16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum.

17. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam secundùm illum erit amicus illius.

18. Fili, à juventute tuâ excipe doctrinam; et usque ad canos invenies sapientiam.

19. Quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.

In operatione enim illius paululum laborabis; et citò edes de generationibus illius.

Quoniam aspera est nimium indoctis, et non permanebit in illà excors.

Quasi lapis probationis fortis erit in illo, et non demorabitur projicere illam.

Sapientia enim secundùm nomen suum est: et non est multis manifesta.

Audi, fili, et accipe sententiam meam, et ne abjicias consilium meum.

Et injice pedes tuos in compedes illius, et in tortu quem illius collum tuum.

Subjice humerum tuum,

<sup>21</sup> *Excors*: insanus, insensatus.

<sup>22</sup> *Quasi lapidis virtus*: vide Gr. *Sensus autem est*: erit in insensato sapientia, quasi lapis gravis ei traditus ad explorandas vires, quem statim quasi pondere vinctus, projiciet. Zach. XII. 3. *Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis*.

<sup>23</sup> *Sapientia secundùm nomen est ejus*: Gr. *nomen suum*: secundùm famam suam est: talis est qualis esse memoratur, nempe abscondita, impervestigabilis: *Sapientia enim ubi invenitur?* Job. XXVIII. toto capite, et suprà, i. 3.

<sup>25</sup> *Injice pedem tuum*: <sup>26</sup> *subjice humerum*. En vincla, en compedes, en jugum sapientiae: hominemque totum, humeris, collo, pedibus, manibus, ejus vinculis illigatum, comprehensum, ten-

20. In opere enim ipsius exiguum laborabis; et citò edes de generationibus illius.

21. Quàm aspera est nimium sapientia indoctis hominibus! et non permanebit in illà excors.

22. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam.

23. Sapientia enim doctrinæ secundùm nomen est ejus, et non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei.

24. Audi, fili, et accipe consilium intellectūs, et ne abjicias consilium meum.

25. Injice pedem tuum in compedes illius, et in tortu quem illius collum tuum:

26. Subjice humerum

et porta illam : et ne acedieris vinculis illius.

In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tuâ conserva vias ejus.

Investiga, et quære : et manifestabitur tibi; et continens factus, ne derelinquas illam.

In novissimis enim invenies requiem ejus; et convertetur tibi in oblectationem.

Et erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis, et torques illius in stolam gloriæ.

Decus enim aureum est in eâ, et vincula illius, fila hyacinthina.

Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis impones tibi.

Si volueris, fili, disces : et tum : eoque magis liberum, quod justitiae servum. *Et ne acedieris; graveris, defatigeris : Gr.*

*28 Continens factus : Gr. ejus possessor, compos, ἔχαρτος, quod et continentem et compotem sonat.*

*30 Et erunt tibi compedes. Initia quidem sapientiae difficultia atque aspera cupiditatibus edomandis; at jam edomitis ac sub jugum missis, omnia libertati et honori vertent.*

*31 Decor enim vitæ : Gr. decus aureum : sive mundus aureus in eâ; ornatus omnimodi. Alligatura salutaris : non qualis vinctis, sed qualis infirmis sanandis adhiberi solet : Gr. nexus hyacinthus, qualera induere jussi Israelitæ ad decorum. Num. xv. 38.*

tuum, et porta illam; et ne acedieris vinculis ejus.

*27. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tuâ conserva vias ejus.*

*28. Investiga illam, et manifestabitur tibi; et continens factus, ne derelinquas eam :*

*29. In novissimis enim invenies requiem in eâ, et convertetur tibi in oblectationem.*

*30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis ; et torques illius in stolam gloriæ.*

*31. Decor enim vitæ est in illâ, et vincula illius alligatura salutaris.*

*32. Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi.*

*33. Fili, si attenderis*

si accommodaveris animum tuum, callidus eris. mihi, disces : et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris.

Si dilexeris audire, excipies : et si inclinaveris aures tuam, sapiens eris.

In multitudine presbyterorum sta; et qui sapiens, ei conjungere: omnem narrationem divinam velis audire : et proverbia intellectus non effugiant te.

Si videris sensatum, evigila ad eum ; et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

Cogitatum tuum habe in præceptis Domini , et in mandatis illius meditare semper. Ipse firmabit cor tuum: et concupiscentia sapientiae tuæ dabitur tibi.

34. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam : et si dilexeris audire , sapiens eris.

35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire : et proverbia laudis non effugiant à te.

36. Et si videris sensatum, evigila ad eum , et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

37. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maximè assiduus esto : et ipse dabit tibi cor ; et concupiscentia sapientiae dabitur tibi.

*35 Presbyterorum : seniorum, senatorum.*

---

## CAPUT VII.

*Malis mala, 1, 2, 3. ne quæras honores, 4, 6. munerum amplitudo non placat Deum, 9, 10. inspector Deus, 12. de cunnisiis et omni mendacio, 13, 14. agricultura, 16. amicus, 20. bonus paterfamilias servis, mercenariis, liberis, uxori, jumentis etiam, parentibus, sacerdotibus, amicis, egenis consultit, ac novissima cogitat, 21, etc. ad fin.*

## SIXTINA VERSIO.

NOLI facere mala : et non te apprehendet malum.

Discede ab iniquo; et declinabit à te.

Fili, non semines in sulcis injustitiæ : et non metes eos in septuplum.

Noli quererere à Domino ducatum, neque à rege cathedralm honoris.

Nou te justices ante Dominum : et penes regem noli velle videri sapiens.

Noli quererere fieri iudex; ne fortè nón possis auferre iniquitates : ne fortè extimescas faciem potentis; et ponas scandalum in rectitudine tuâ.

Non pecces in multitudinem civitatis; nec te dimittas in turbam.

<sup>3</sup> *Et non metes : ut non metas, etc.*

## VERSIO VULGATA.

1. NOLI facere mala ; et non te apprehendent.

2. Discede ab iniquo ; et deficient mala abs te.

3. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ ; et non metes ea in septuplum.

4. Noli quererere à Domino ducatum, neque à rege cathedralm honoris.

5. Non te justices ante Denm , quoniam agnitor cordis ipse est : et penes regem noli velle videri sapiens.

6. Noli quererere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperet iniquitates : ne fortè extimescas faciem potentis; et ponas scandalum in æquitate tuâ.

7. Non pecces in multitudinem civitatis ; nec te immittas in populum :

**Non alliges bis peccatum :**  
in uno enim non eris immunis.

**Noli esse pusillanimis in oratione tuâ : et eleemosynam facere ne despicias.**

**Ne dicas : In multitudinem munerum meorum respiciet, et offerente me Deo altissimo, suscipiet.**

**Ne irrideas hominem, qui sit in amaritudine animæ suæ : est enim qui humiliat, et qui exaltat.**

**Noli arare mendacium adversus fratrem tuum ; neque in amicum similiter facias.**

**Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non in bonum.**

**Noli verbosus esse in mul-**

**8. Neque alliges duplia peccata : nec enim in uno eris immunis.**

**9. Noli esse pusillanimis in animo tuo.**

**10. Exorare et facere eleemosynam ne despicias.**

**11. Ne dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet.**

**12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus.**

**13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum ; neque in amicum similiter facias.**

**14. Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona.**

**15. Noli verbosus esse**

<sup>8</sup> *Duplicia peccata : et tua scilicet, et aliena : Gr. ne alliges bis peccatum, iterando et assuescendo, quod sequenti congruit.*

<sup>9</sup> *In animo tuo : Gr. in precatione tuâ : ne vilia et caduca à Domino petas, neque à magno parva, sed magna, ut Salomon sapientiam.*

<sup>13</sup> *Arare mendacium : ne mendacia studiosè velut sulcos producas : hic autem prohibet calumniam. At postea :*

<sup>14</sup> *Omne mendacium. Neque modò calumniam vites, verùm etiam quocumque mendacii genus. Assiduitas illius non est bona : quo sensu infrà, ix. 4. cum saltatrice ne assiduus sis : indicat autem, ubi semel admiseris, facilè in consuetudinem trahi.*

titudine presbyterorum; et non iteres verbum in oratione tuâ.

Non oderis laboriosam operationem et rusticationem creatam ab Altissimo.

Non te computes in multitudine peccatorum.

Humilia valde spiritum tuum: memento quoniam ira non tardabit: quoniam vindicta impii, ignis et vermis.

Ne commutes amicum propter indifferens, neque fratrem germanum in auro Suphir.

Noli discedere à muliere sensatâ et bonâ: gratia enim ejus super aurum.

Non lâdas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.

Servum sensatum diligit anima tua: non defraudes

<sup>15</sup> *Presbyterorum: seniorum, qui potius audiendi. Non iteres verbum in oratione (precatione) tua. Ne sis multiloquus: qualem arguit Christus. Matth. vi. 7.*

<sup>19</sup> *Ignis et vermis: vide Marc. ix. 43.*

<sup>20</sup> *Amicum pecuniam differentem: tardantem reddere. Auro: propter aurum. At Gr. ne commutes amicum propter indifferens: quâ voce etiam Cicero utitur: græcâ phrasî pulcherrimâ: propter fortunas ac rem, quâ ad bonum maluinve uti possis.*

in multitudine presbyterorum; et non iteres verbum in oratione tuâ.

16. Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo.

17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum.

18. Memento iræ, quoniam non tardabit.

19. Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis.

20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem carissimum auro spreveris.

21. Noli discedere à muliere sensatâ et bonâ, quam sortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum.

22. Non lâdas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.

23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua:

illum libertate.

non defraudes illum liber-  
tate, neque inopem dere-  
linquas illum.

Pecora tibi sunt? attende  
illis; et si sunt tibi utilia,  
perseverent apud te.

24. Pecora tibi sunt? at-  
tende illis: et si sunt utilia,  
perseverent apud te.

Filii tibi sunt? erudi illos,  
et curva à pueritiâ collum  
eorum.

25. Filii tibi sunt? erudi  
illos, et curva illos à puer-  
itiâ illorum.

Filiæ tibi sunt? serva cor-  
pus earum : et ne ostendas  
hilarem faciem tuam ad il-  
las.

26. Filiæ tibi sunt? serva  
corpus illarum : et non os-  
tendas hilarem faciem tuam  
ad illas.

Trade filiam, et grande  
opus feceris; et homini sen-  
sato da illam.

27. Trade filiam, et gran-  
de opus feceris; et homini  
sensato da illam.

Mulier est tibi secundùm  
animam? ne projicias eam.

28. Mulier si est tibi se-  
cundùm animam tuam, non  
projicias illam : et odibili  
non credas te. In toto corde  
tuo

29. Honora patrem tuum,  
et gemitus matris tuæ ne  
obliviscaris :

30. Memento quoniam  
nisi per illos natus non suis-  
ses : et retribue illis quo-  
modo et illi tibi.

31. In totâ animâ tuâ time  
Dominum; et sacerdotes il-  
lius suspice.

32. In omni virtute tuâ  
dilige eum qui te fecit : et  
ministros ejus ne derelin-  
quas.

<sup>31</sup> Sacerdotes illius sanctifica : suspice, admirare : Gr.

Time Dominum; et honorifica sacerdotem :

**Et da illi partem, sicut mandatum est tibi, primicias, et pro delicto,**

**Et datum brachiorum, et sacrificium sanctificatio- nis, et primitias sanctorum.**

**Et pauperi porrige manum tuam; ut perficiatur benedictio tua.**

**Gratia datu*s* in conspectu omnis viventis: et in mortuo ne prohibeas gratiam.**

**Non desis plorantibus, et cum lugentibus luge.**

**Ne pigriteris visitare ægrotum: ex his enim diligeris.**

<sup>33</sup> *Propurga te cum brachiis*: oblatis frugibus tuo opere comparatis. Vide 35.

<sup>34</sup> *Purgationis*: pro delicto: Gr. supple, hostiam: hebraismus: de negligentia: alia versio: *purga te cum paucis*: exiguis muneribus magna peccata redime.

<sup>35</sup> *Initia, seu primitias sanctorum*: sancta vocantur, quæ Domine consecrata.

<sup>37</sup> *Et mortuo non prohibeas gratiam*: dona pro ipsis oblata, ut factum est II. Mach. xii. 43. aut munera sepulturæ, aliaque ad mortuorum memoriam.

<sup>39</sup> *In dilectione firmaberis*: diligeris: Græc.

<sup>33</sup> Honora Deum ex totâ animâ tuâ; et honorifica sacerdotes, et propurga tecum brachiis.

<sup>34</sup> Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis; et de negligentia tuâ purga tecum paucis.

<sup>35</sup> Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia sanctorum:

<sup>36</sup> Etpauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua.

<sup>37</sup> Gratia dati in conspectu omnis viventis: et mortuo non prohibeas gratiam.

<sup>38</sup> Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.

<sup>39</sup> Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

In omnibus verbis tuis  
memorare novissima tua; et  
in æternum non peccabis. 40. In omnibus operibus  
tuis memorare novissima  
tua; et in æternum non  
peccabis.

---

## CAPUT VIII.

*Cum quoque ut agendum : cum divitibus : cum indoctis : cum violentis, etc. Ne spernas peccatorem resipiscerentem ; ne læteris de morte inimici , 8. audi seniores , 9. et seq.*

## SIXTINA VERSIO.

Non litiges cum homine  
potente ; ne fortè incidas in  
manus illius.

Non contendas cum viro  
locuplete ; ne fortè statuat  
contra te pondus.

Multos enim perdidit au-  
rum, et corda regum fecit  
declinare.

Non litiges cum homine  
linguoso, et non struas super  
ignem illius ligna.

Ne colludas cum indocto ;  
ne inhonorentur majores  
tui.

Non improperes homini  
avertenti se à peccato : me-

## VERSIO VULGATA.

1. Non litiges cum homi-  
ne potente , ne fortè incidas  
in manus illius.

2. Non contendas cum  
viro locuplete , ne fortè con-  
tra te constitutat litem tibi.

3. Multos enim perdidit  
aurum et argentum, et us-  
que ad cor regum extendit  
et convertit.

4. Non litiges cum homine  
linguato ; et non strues in  
ignem illius ligna.

5. Non communices ho-  
mini indocto , ne malè de  
progenie tuâ loquatur.

6. Ne despicias hominem  
avertentem se à peccato ,

<sup>2</sup> *Ne contra te :* Gr. *ne tibi præponderet.*

<sup>3</sup> *Convertit :* declinare fecit : Gr.

<sup>5</sup> *Non communices :* ne colludas : Gr. *Ne malè de progenie tuâ :* de genere tuo. Imperitus enim de te tuisque quidvis effu-  
tiverit.

mento, quoniam omnes in correptionibus sumus.

Ne spernas hominem in suā senectute : etenim ex nobis senescunt.

Noli de mortuo gaudere : memento quoniam omnes morimur.

Ne despicias narrationem sapientum ; et in proverbiis eorum conversare.

Ab ipsis enim disces doctrinam, et servire magnatis.

Non te prætereat narratio seniorum : et ipsi enim didicerunt à patribus tuis:

Quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.

Non incendas carbones peccatoris , ne incendaris in igne flammæ illius.

Ne contra facies stes contumeliosi ; ne insideat, quasi insidiator , ori tuo.

Noli fœnerari homini fortiori te : quòd si fœneraveris , quasi perditum habe.

*6 In correptione sumus : correptioni obnoxii.*

neque improperes ei : memento quoniam omnes in correptione sumus.

7. Ne spernas hominem in suā senectute : etenim ex nobis senescunt.

8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere : sciens quoniam omnes morimur , et in gaudium nolumus venire.

9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium , et in proverbiis eorum conversare.

10. Ab ipsis enim disces sapientiam , et doctrinam intellectūs , et servire magnatis sine querelâ.

11. Nou te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à patribus suis :

12. Quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.

13. Non incendas carbones peccatorum arguens eos ; et ne incendaris flammā ignis peccatorum illorum.

14. Ne contra facies stes contumeliosi ; ne sedeat , quasi insidiator , ori tuo.

15. Noli fœnerari homini fortiori te : quòd si fœneraveris , quasi perditum habe.

Non spondeas super virtutem tuam : quod si spoponderis, quasi persoluturus, cogita.

Ne litiges cum judice : quoniam secundum existimationem ejus judicabunt ei.

Cum audace ne eas in viâ, ne gravetur contra te. Ipse enim secundum voluntatem suam faciet ; et simul cum stultitiâ illius peries.

Cum iracundo ne facias rixam, et cum illo ne eas per desertum : quoniam quasi nihil est ante illum sanguis ; et ubi non est adjutorium, elidet te.

Cum fatuo consilium non habeas : non enim poterit verbum celare.

Coram extraneo non facias occultum : nescis enim quid pariet.

Non omni homini coruum manifestes : et non referat tibi gratiam.

16. Non spondeas super virtutem tuam : quod si spoponderis, quasi restituens cogita.

17. Non judices contra judicem : quoniam secundum quod justum est judicat.

18. Cum audace non eas in viâ, ne fortè gravet mala sua in te : ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitiâ illius peries.

19. Cum iracundo non facies rixam, et cum audace non eas in desertum : quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adjutorium, elidet te.

20. Cum fatuis consilium non habeas : non enim poterunt diligere, nisi quae eis placent.

21. Coram extraneo ne facias consilium : nescis euim quid pariet.

22. Non omni homini coruum manifestes; ne fortè inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.

<sup>18</sup> *Ne gravet mala sua in te;* Gr. *ne gravis tibi sit;* ipse enim secundum voluntatem suam vadit : Gr. *faciet;* neque sana consilia audiet.

<sup>20</sup> *Non enim poterunt diligere.* Vide Gr.

<sup>21</sup> *Coram extraneo :* viro parum noto. *Consilium.* Vide Gr.

## CAPUT IX.

*De uxore et mulieribus, usque ad 14. de amicis, 14, 15. peccatorum gloria, 16, 17. cum principibus parcè: explora proximum, 21. qui convivæ adhibendi: qui sermones, 22, 23. effutitor, 25.*

## SIXTINA VERSIO.

Non zeles mulierem sinūs  
tui: neque doceas super te  
doctrinam nequam.

Non des mulieri animam  
tuam, ut ascendat ipsa su-  
per virtutem tuam.

Ne respicias mulierem  
multivolam; ne fortè inci-  
das in laqueos illius.

Cum psaltrice ne assiduus  
sis; ne fortè capiaris in ten-  
tationibus ejus.

\* *Ne ostendat super te: tuis suspicionibus facta astutior, et ad ultiōrem prompta: Gr. neque doceas super te doctrinam nequam: zelando, suspicando, metuendo, ad prava quæque consilia adiges.*

<sup>3</sup> *Ne respicias mulierem multivolam: cupidam, libidinosam: ex earum genere quas Paulus ait duci variis desideriis. II. Tim. III. 6. Gr. clarè: ne occurras mulicii meretricii habitūs.*

<sup>4</sup> *Cum saltatrice: seu psaltrice. His enim artibus homines quam facilè inescari soleant, experientia docet. In efficacia: Gr. conatibus; sive ut alii legunt, studiis.*

## VERSIO VULGATA.

1. Non zeles mulierem si-  
nūs tui; ne ostendat super  
te malitiam doctrinæ ne-  
quam.

2. Non des mulieri potes-  
tatem animæ tuæ; ne ingre-  
diatur in virtutem tuam, et  
confundaris.

3. Ne respicias mulierem  
multivolam; ne fortè inci-  
das in laqueos illius.

4. Cum saltatrice ne assi-  
duus sis, nec audias illam;  
ne fortè pereas in efficaciâ  
illius.

Virginem

Virginem ne aspicias; ne forte scandalizeris in decoribus ejus.

Ne des fornicariis animam tuam; ne perdas hereditatem tuam.

Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in desertis illius.

Averte oculum à muliere formosâ, et ne circumspicias speciem alienam.

Propter speciem mulieris multi aberraverunt; et ex hoc concupiscentia, quasi ignis, exardescit.

Cum alienâ muliere non sedeas omnino, neque agites convivia cum illâ in vi-  
no:

<sup>5</sup> In decoro: Gr. ἡ περιηγία: quod sonat pœnas: sensus autem est: ne te illa malè mulctet: ne ex amore ejus malum incumbat tibi. Alii legendum suspicantur, ἡ περιηγία, in concupiscentiis ejus: quod planius.

<sup>7</sup> Noli circumspicere: ut faciunt, qui et capere et capi quærunt: rectè Grot. venatores formarum. In plateis: Gr. in desertis; in locis minus habitatis: malè sagacem hominem notat, qui undecimque querit quò pereat, sive in notis quadrixiis, sive in occultis desertisque angulis.

BOSSUET. II.

5. Virginem ne conspicias; ne forte scandalizeris in decore illius.

6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo; ne perdas te, et hereditatem tuam.

7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.

8. Averte faciem tuam à muliere comptâ, et ne circumspicias speciem alienam.

9. Propter speciem mulieris multi perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur.

11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

12. Cum alienâ muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum eâ super cubitum:

Ne fortè declinet cor tuum in illam, et spiritu tuo labaris in perditionem.

Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non est similis illi.

Vinum novum, amicus novus: si inveteraverit, cum suavitate bibes illud.

Non zeles gloriam peccatoris: non enim scis quæ sit illius subversio.

Non bene sentias de beneplacito impiorum: memento quoniam usque ad inferos non justificabuntur.

Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi: et non suspicaberis timorem mortis.

Et si accesseris, noli delinquere; ne auferat vitam tuam.

Scito quoniam in medio laqueorum ingrederis, et

13. Et non alterceris cum illâ in vino; ne fortè declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem.

14. Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi.

15. Vinum novum, amicus novus: veteraset, et cum suavitate bibes illud.

16. Non zeles gloriam, et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio.

17. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius.

18. Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi; et non suspicaberis timorem mortis.

19. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere; ne fortè auferat vitam tuam.

20. Communionem mortis scito: quoniam in medio

<sup>13</sup> *Non alterceris.* Vide Gr.

<sup>16</sup> *Quæ futura sit illius subversio.* Gr. καταρρεψη, finis, exitus: quanquam ea vox subversionem, ac perversitatem sonat. II. Tim. ii. 14.

<sup>17</sup> *Usque ad inferos non placebit:* ante mortem dabit poenas: cui consentit Gr.

<sup>18</sup> *Longè abesto.* Hâc parabolâ docet parcè ac modestè utendum potentiorum consuetudine.

super pinnacula civitatum ambulas.

Secundum virtutem tuam conjecta de proximis : et cum sapientibus consulta.

Cum intelligentibus sit collocutio tua, et omnis enarratio tua in lege Altissimi.

Viri justi sint tibi convivæ : et in timore Domini sit gloriatio tua.

In manu artificum, opus laudabitur : et princeps populi sapiens in sermone suo.

Terribilis in civitate suâ homo linguosus : et temerarius in verbo suo odibilis erit.

<sup>20</sup> *Super dolentium* (sive iratorum) *arma* (expedita scilicet exactaque) *ambulabis* : Gr. super pinnacula civitatum : pari ubique periculo.

<sup>21</sup> *Cave à proximo*. Explora proximum : Gr. fac conjecturam de proximo.

laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis.

21. Secundum virtutem tuam cave te à proximo tuo; et cum sapientibus et prudentibus tracta.

22. Viri justi sint tibi convivæ; et in timore Dei sit tibi gloriatio,

23. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.

24. In manu artificum opera laudabuntur; et princeps populi in sapientiâ sermonis sui; in sensu verò seniorum verbum.

25. Terribilis est in civitate suâ homo linguosus : et temerarius in verbo suo odibilis erit.

## CAPUT X.

*De regnis, divitibus ac magistratibus, ad 29. parcendum inimicis, 6, 9, 10. superbia, 14, 15, 21, 22. eversio regnorum et gentium, 26 et seqq. pauperes et divites, 25, 26. operarius, jactator, 29, 30. peccatum, 32. vera gloria, 33.*

## SIXTINA VERSIO.

JUDEX sapiens erudiet populum suum : et principatus sensati ordinatus erit.

Secundum judicem populisui, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis , tales omnes inhabitantes in eâ.

Rex insipiens perdet populum suum : et civitas habitabitur per sensum potentium.

In manu Domini potestas terræ : et utilem suscitabit in tempus super illam.

In manu Domini prosperitas hominis ; et super personam scribæ imponet gloriam ipsius.

In omni injuriâ ne succenseas proximo; et nihil agas in operibus contumeliaz.

## VERSIO VULGATA.

1. JUDEX sapiens judicabit populum suum ; et principatus sensati stabilis erit.

2. Secundum judicem populi , sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis , tales et inhabitantes in eâ.

3. Rex insipiens perdet populum suum:et civitates habitabuntur per sensum potentium.

4. In manu Dei potestas terræ : et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.

5. In manu Dei prosperitas hominis , et super faciem scribæ imponet honorem suum.

6. Omnis injuriæ proximi ne memineris ; et nihil agas in operibus injuriæ.

<sup>1</sup> Stabilis erit : Gr. ordinatus, unde stabilitas.

<sup>5</sup> Scribæ : docti.

**Odibilis coram Domino est et hominibus superbia: et ex utrisque delinquit inusta.**

Regnum à gente in gentem transfertur propter injusticias, et contumelias, et pecunias.

Quid superbit terra et cinis? quoniam in vitâ projeci intima ejus.

### In prolixum languorem

**7 Et execrabilis: et ex utrisque delinquit inusta: Gr. sive ut alii codices: ex utrisque delictum injustitiae: utrumque inustum est: odiosum esse Deo; odiosum hominibus.**

**9. 10. Avaro nihil scelestius. Quid superbit.... nihil est iniquius.... hic enim et animam suam venalem habet; quoniam in vitâ suâ projicit intima sua: viscera sua; adeo tenax pecuniæ, ut cùm aliquid elargiri cogitur, quasi extralii sibi putet viscera: vel, dum defraudat genium, vivus intestina ipsamque animam projicit. Variant Gr. codices: et quidem quæ de avaro habet Vulgata, in Sixtino exciderunt, nimis interrupto sensu; eaque ex optimis codicibus supplevimus: qui etiam pro ἐπιφέρει, projeci, quod habet Vulgatus, habent, projecterunt, ἐπιφέρει; porrò Vulgata legit ἐπιφέρει, projectit.**

**12 Brevem languorem præcidit medicus. Multa hic perturbatio ex variis lectionibus. Vulgatus enim legit μαρφή, parvum seu brevem: quod Gr. μαρφή, longum. Variant etiam Gr. codices: Sixtinus enim habet, σκάπτη; illudit, irridet, cavillatur. Alii optimi codices, κόπτη, incidit, præcidit, quod legit Vulgatus. Sixtinus etiam codex omittit vocem illam, sine quâ pendet sensus (medicus), quam et Vulgata,**

**7. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia: et execrabilis omnis iniquitas gentium.**

**8. Regnum à gente in gentem transfertur propter injusticias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos.**

**9. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis?**

**10. Nihil est iniquius quâmi amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet; quoniam in vitâ suâ projicit intima sua.**

**11. Omnipotentatûs brevis vita. Languor prolixior gravat medicum.**

**12. Brevem languorem**

cavillatur : et rex hodie est,  
et cras morietur.

Cum enim morietur ho-  
mo, haereditabit serpentes,  
et bestias, et vermes.

Initium superbiæ homi-  
nis, cum apostatavit à Deo,

Et ab eo, qui fecit eum,  
recessit cor ejus. Quoniam  
principium superbiæ, pec-  
catum; et qui tenuerit eam,  
profundet abominationem.

Propter hoc incredibiles  
fecit Dominus obductiones,  
et destruxit eos in finem.

Sedes ducum destruxit  
Dominus, et sedere fecit  
mites pro eis.

et optimi illi habent codices. Sensus ergo est : prolixum morbum  
præcidit medicus secando et urendo : sic et rex : sic qui rex hodie  
est, cras morietur : sic à Deo optimo medico confestim tollitur  
rex (malus) curandis citius reipublicæ malis. Ex aliis lectionibus  
vix ac ne vix quidem sensum bonum exsculpseris.

<sup>14</sup> *Apostatare* : abscedere cum proterviâ. Hoc autem et seqq.  
usque ad §. 21. videtur alludere ad Chananæas gentes, crudeles,  
impia; que cum adversus Deum superbire, ejusque cultum ac  
memoriam abjicere cœpissent, exinde in abominanda §. 15. hoc  
est, in omne facinus prouerunt, cesseruntque Israelitis mitioribus,  
et Dei cultoribus, 17, 18, et seqq.

<sup>16</sup> *Exhonoravit Dominus conventus* : civitates, cœtus : at Gr.  
propterea Dominus incredibiles, (verti etiam potest) manifestissimas  
calamitates induxit : παρεστάξας, manifestavit : sive præter  
opinionem invexit : unde paradoxa, incredibilia, inopina. *Et*  
*destruxit eos in finem* : nempe qui sectantur superbiam.

præcidit medicus : sic et rex  
hodie est, et cras morietur.

13. Cum enim morietur  
homo, haereditabit serpen-  
tes, et bestias, et vermes.

14. Initium superbiæ ho-  
minis, apostatare à Deo :

15. Quoniam ab eo, qui  
fecit illum, recessit cor ejus :  
quoniam initium omnis pec-  
cati est superbia : qui te-  
nuerit illam, adimplebitur  
maledictis, et subvertet  
eum in finem.

16. Propterea exhonora-  
vit Dominus conventus ma-  
lorum, et destruxit eos us-  
que in finem.

17. Sedes ducum super-  
borum destruxit Deus, et  
sedere fecit mites pro eis.

**R**adices gentium evulsit Dominus, et plantavit humiles pro eis.

**T**erras gentium evertit Dominus, perdidit eas usque ad fundamenta terræ.

**A**refecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum à terrâ.

**N**on est creata hominibus superbia; neque ira furoris generationibus mulierum.

**S**emen honoratum quale? semen hominis. Semen honoratum quale? ii qui timent Dominum. Semen inhonoratum quale? semen hominis. Semen iuhonorum quale? qui prætereunt mandata.

**I**n medio fratrum rector illorum in honore : et qui

**22** *Nationi* (filiis, atque, ut habet Græcus, generationibus) mulierum : docet autem animantes quasdam velut ad superbiam natas, alias ad crudelitatem et iram : filios verò mulierum, homines ad modestiam et mansuetudinem naturā esse compositos.

**23** *In medio fratrum*. Primogenitus quādam ætatis prærogativa velut rector fratrum habetur. Judæi quoque cives suos appellabant fratres, ex eodem Abrahāmi sanguine ortos. Sensus ergo sit, quali honore est vel inter fratres primogenitus, vel rex inter cives fraternalē caritate conjunctos, tali honore Deus dignatur jus-

**18.** Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantabit humiles ex ipsis gentibus.

**19.** Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum.

**20.** Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum à terrâ.

**21.** Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu.

**22.** Non est creata hominibus superbia; neque iracundia nationi mulierum.

**23.** Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum : semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

**24.** In medio fratrum rector illorum in honore : et

timent Dominum, in oculis illius.

Dives, et honoratus, et pauper, gloriatio eorum, timor Domini.

Non justum est despicer pauperem sensatum; et non decet magnificare hominem peccatorem.

Magnus, et judex, et potens honorificabitur: et non est eorum aliquis major illo qui timet Dominum.

Servo sapienti liberi servient: et vir prudens non murmurabit.

Noli excusando cunctari in faciendo opere tuo: et noli te extollere in tempore angustiæ tuæ.

Melior est, qui operatur in omnibus, quam qui ambulat, aut gloriatur, et egit pane.

tos: quod congruit <sup>¶</sup>. 27. Hic habet Complutensis: timor Domini imperia servat: evertit autem inclemencia (sive asperitas, atque acerbitas) et superbìa. *In oculis illius*: quippe quos respiciat ac velut in oculis gerat.

<sup>27</sup> *Magnus, et judex..... et non est major illo*: Gr. planiūs: et non est aliquis horum major illo qui timet Deum.

<sup>28</sup> *Correptus, et inscius*: qui etiam emendatus, inscius manet: non honorabitur: utpote immedicabili imperitiâ.

<sup>29</sup> *Noli extollere te*: Gr. Noli sapientem agere in faciendo opere: noli ratiocinari multūm, cùm opus facto est; noli sapientiæ specie comminisci vanas tergiversandi causas.

qui timent Dominum, erunt in oculis illius.

25. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est.

26. Noli despicer hominem justum pauperem; et noli magnificare virum peccatorem divitem.

27. Magnus, et judex, et potens est in honore: et non est major illo qui timet Deum.

28. Servo sensato liberi servient: et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur.

29. Noli extollere te in faciendo opere tuo; et noli cunctari in tempore angustiæ.

30. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et egit pane.

Fili , in mansuetudine glorifica animam tuam : et da illi honorem secundum meritum ejus.

Peccantem in animam suam, quis justificabit? et quis honorabit exhonoran tem vitam suam?

Pauper honorificatur per scientiam suam : et dives honorificatur propter substantiam suam.

Qui autem glorificatur in paupertate, quantò magis in substantiā? et qui est inglorius in substantiā, quantò magis in paupertate?

51. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.

32. Peccantem in animam suam, quis justificabit? et quis honorificabit exhonoran tem animam suam?

33. Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum : et est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

34. Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in substantiā? et qui gloriatur in substantiā, paupertatem vereatur.

<sup>33</sup> *Pauper gloriatur* : Gr. honoratur : *per disciplinam, doctrinam, suam* : et est homo qui : Gr. dives autem honoratur propter substantiam, alter insito, alter advectio et emendicato bono.

<sup>34</sup> *Qui autem* : qui cùm pauper sit, superbit, quantò superbiret magis, si valeret opibus? vel, quod magis Græco congruit: qui etiam pauper honoratur, quanto honori esset si valeret opibus? et qui inglorius est, etiam dives, quantò magis, si inops esset?

## CAPUT XI.

*Non temerè judicandum, neque ex specie, 2. usque ad 9. ardentes, sive pluribus rebus intenti, ad 12. ditescere cupientes, 18, 19, 20. inflati rebus secundis, 25, et seqq. calamitates: ne ante mortem laudaveris, 30. cave ab extraneo et ignoto, 31, ad finem.*

## SIXTINA VERSIO.

SAPIENTIA humiliati exaltavit caput, et in medio magnatorum condescere illum faciet.

Non laudes virum in specie suâ: neque spernas hominem in visu suo.

Brevis in volatilibus apis: et principium dulcorum, fructus ejus.

In circumjectione vestimentorum ne glorieris; nec in die honoris extollaris: quoniam mirabilia opera Domini, et absconsa opera illius in hominibus.

Multi tyranni sederunt in solo; et iususpabilis portavit diadema.

<sup>1</sup> *Humiliati: humiliis conditionis vii.*

<sup>3</sup> *Brevis: exigua: est apis; exemplum minimæ rei, quæ virtute præstet. Initium dulcoris: principium, seu principatus dulcedinis: summa et præstantissima dulcedinum.*

<sup>5</sup> *In throno: Gr, in solo, unde factum solio, et postea throno; cæterum, solo, verissima lectio est, cum sit oppositum: multi reges in solum dejecti; multi ad diadematis honorem evecti. Insuspabilis: de quo nihil magni suspicareris.*

## VERSIO VULGATA.

1. SAPIENTIA humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum condescere illum faciet.

2. Non laudes virum in specie suâ, neque spernas hominem in visu suo.

3. Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.

4. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius.

5. Multi tyranni sederunt in throno, et iususpabilis portavit diadema.

Multi potentes exhonoriati sunt valde, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

Prinsquam interroges, ne vituperes ; intellige primum, et tunc corripe.

Priusquam audias, ne respondeas : et in medio sermonum ne interloquaris.

De re, quâ tibi opus non est, ne certaveris : et in iudicio peccantium ne consideras.

Fili, ne circa multa sint actus tui. Si enim multiplicaveris, non eris immunis à delicto. Et si secutus fueris, non apprehendes ; et non effugies, si præcucurseris.

Est laborans, et dolens, et festinans : et tanto magis ipsi deest.

#### 9 *Ne certeris : ne certaveris.*

10 *Ne in multis sint actus tui.* Ardeliones notat, qui cuique negotio se immiscent. *Si dives fueris :* qui finis est illorum, qui se nimis implicant negotiis : *si secutus fueris (multa) non assequere.* *Et non effugies :* cùm semel multis fueris negotiis implicitus, frustra effugere conaberis ; ac præcurrentem licet, difficultates facile comprehendent. Summa est : multis implicitus negotiis, multa peccat ; multa sectatus, nihil capit ; multa conatus, expedire se non potest : cui etiam ꝑ. sequens congruit.

11 *Dolens, se excrucians ; impius : additum explanationis causâ : aeternum sententia per se stat. Tanto magis non abundabit :* Gr.

6. Multi potentes oppressi sunt validè, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

7. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cùm interrogaveris, corripe justè.

8. Priusquam audias, ne respondeas verbum : et in medio sermonum ne adjicias loqui.

9. De eâ re, quæ te non molestat, ne certeris : et in iudicio peccantium ne consistas.

10. Fili, ne in multis sint actus tui : et si dives fueris, non eris immunis à delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes ; et non effugies, si præcucurreris.

11. Est homo laborans, et festinans, et dolens impensis ; et tanto magis non abundabit.

Est marcidus, et egens recuperatione, deficiens virtute, et abundat paupertate :

Et oculi Domini respexerunt illum in bona; et erexit eum ab humilitate ipsius; et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in illo multi.

Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas à Domino sunt.

Datio Domini permanet piis : et beneplacitum ejus bonos successus habebit in æternum.

tantò magis deficit ; quò mobilior, et quietis impatientior, èò infirmior.

<sup>12</sup> *Est homo marcidus.* Aliud extreum : indiligentia atque inertia, et velut animi torpor. *Egens recuperatione* : egens opis, auxiliis : Gr. *Et* : tamen.

<sup>13</sup> *Oculus Dei.* Hic memorat eos qui fortunati vocantur, quibus veluti dormientibus, Deus sponte omnia confidere videatur : atque ex eo quòd alii magnis conatibus nihil agant, aliis omnia ultro prouuire videantur, meritò infert .<sup>14</sup> rebus humanis intervenire vim quamdam, quæ nostram industriam exsuperet, non autem formidam aut casum, ergo Deum. Vide xiii. 26.

<sup>14</sup> *Honestas* : honores, opes.

12. *Est homo marcidus*, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate :

13. *Et oculus Dei respexit illum in bono*, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum.

14. *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas, à Deo sunt.*

15. *Sapientia, et disciplina, et scientia legis apud Deum. Dilectio, et viæ bonorum apud ipsum.*

16. *Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt : qui autem exultant in malis, consenserunt in malo.*

17. *Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum.*

Est qui locupletatur , attentè et parcè agendo : et hec est pars mercedis illius ,

In eo quod dicit : Inveni requiem , et nunc manducabo de bonis meis :

Et nescit quòd tempus pertransiet , et relinquet ea aliis , et morietur.

Sta in testamento tuo , et in illo colloquere : et in opere tuo veterasce.

Ne mireris in operibus peccatoris. Confide in Domino ; et mane in labore tuo.

Facile est enim in oculis Domini , velociter subito honestare pauperem.

Benedictio Domini in mercede pii : et in horā veloci exoriri facit benedictionem suam.

Ne dicas : Quid est mihi opus ? et quæ erunt mihi ex hoc nunc bona ?

18. Est qui locupletatur parcè agendo; et hec est pars mercedis illius ,

19. In eo quod dicit : Inveni requiem mihi , et nunc manducabo de bonis meis solus :

20. Et nescit quòd tempus præteriet , et mors appropinquet , et relinquat omnia aliis , et morietur.

21. Sta in testamento tuo , et in illo colloquere ; et in opere mandatorum tuorum veterasce.

22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide antem in Deo ; et mane in loco tuo.

23. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.

24. Benedictio Dei in mercedem justi festinat , et in horā veloci processus illius fructificat.

25. Ne dicas : Quid est mihi opus ? et quæ erunt mihi ex hoc bona ?

<sup>18</sup> Parcè agendo : summâ cum parcimoniâ : unde Gr. addit : attentè , diligenter.

<sup>19</sup> Manducabo. Sic ille Luc. xii. 19. *Anima , habes multa bona :.. epulare , etc.*

<sup>21</sup> In testamento tuo ; in fœdere per legem : et in illo colloquere : alludit ad illud : *E vigilans loquere cum eis : præceptis scilicet. Prov. vi. 22.*

Ne dicas: Sufficientia mihi sunt: et quid ex hoc nunc pessimabor?

In die bonorum, oblivio malorum; et in die malorum, non erit memoria bonorum.

Quoniam facile est coram Domino, in die obitūs retribuere homini secundūm vias ejus.

Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ: et in fine hominis, denudatio operum illius.

Ante mortem ne beatifices quemquam: et in filiis suis agnosceretur vir.

Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.

26. Ne dicas: Sufficiens mihi sum: et quid ex hoc pessimabor?

27. In die bonorum ne immemor sis malorum; et in die malorum ne immemor sis bonorum:

28. Quoniam facile est coram Deo in die obitūs retribuere unicuique secundūm vias suas.

29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ: et in fine hominis denudatio operum illius.

30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam: quoniam in filiis suis agnosceretur vir.

31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.

25. 26. *Ne dicas: Quid est mihi opus?.... ne dicas.* Sic agunt bonorum copiæ elati; rem optimam ac maximè constabilitam, sive privatam sive publicam, aliud atque aliud negligendo, pessumdat.

27 *In die bonorum:* Gr. paulò aliter: in die bonorum, oblivio malorum, et in die malorum, non erit memoria bonorum: prorsus ex intimâ mentis humanæ notitiâ, quâ nihil magis obliviousum aut improvidum.

28 *Malitia;* infelicitas, infortunium: quod frequens et observandum.

30 *In filiis.* Duo notat quibus hominis prudentia cognoscatur; vitæ finis, et liberi post mortem, qui ut agent, patre mortuo, et jam suo consilio relicti, ita bene à patre instituti habebuntur.

31 *Non omnem hominem:* vide 36.

**Perdix venatrix** in caveâ, sic cor superbi; et tanquam speculator inspicit casum.

Bona enim in mala convertens insidiatur; et in electis imponet maculam.

A scintillâ ignis augetur prunna: et homo peccator sanguini insidiatur.

Attende à malefico; fabricat enim mala: ne fortè maculam det tibi in perpetuum.

Admitte ad te alienige-

<sup>32</sup> *Sicut eructant*: sicut ex fœtido peetore gravis odor, ita ex corde doloso fraudes erumpunt. *Et sicut perdix*: planus Vulgatæ sensus: Gr. autem si habet: perdix venatica, θυρεωτής: θυρεωτής, venatu capta, ut habent optimi codices. *Sic cor superborum*: hoc est, præfractè et temerè cuivis se credentium facile capitur. *Et sicut prospector*: sive speculator: Gr. ita vir dolosus, de quo agitur, domum tuam inductus, ¶. 31. easum tuum providet magno tuo periculo; quòd et inimicis te prodat, et ruiturum impellat, cui sequens congruit: Gr. paulò aliter, et ex Vulgatâ supplendus videtur.

<sup>33</sup> *Bona in mala convertens*: per calumniam. *In electis*: viris quoque optimis scelera imputabit. Potest etiam sumi neutraliter, pro rebus optimis.

<sup>34</sup> *Augetur sanguis*: cædes: Gr. aliter, sed obscurius, et ex Vulgatâ supplendus.

<sup>36</sup> *Admitte*: si admittis: alienigenam: alienum: Gr. spretis propinquis et amicis. *In turbine*: in rebus turbidis: confer cum ¶. 31.

52. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, et ictu perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui.

33. Bona enim in mala convertens insidiatur; et in electis imponet maculam.

34. A scintillâ nnâ augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis: homo verò peccator sanguini insidiatur.

35. Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala: ne fortè inducat super te subsannationen in perpetuum.

36. Admitte ad te alieni-

nam : et subvertet te in turbationibus , et alienabit te à tuis propriis.

genam : et subvertet te in turbine , et abalienabit te à tuis propriis.

## CAPUT XII.

*Cui beneficiendum , ad 8. de veris amicis , deque inimicis , amicitiae specie fallentibus , 8. ad finem.*

## SIXTINA VERSIO.

Si benefacias , scito cui facias ; et erit gratia bonis tuis.

Benefac pio , et invenies retributionem : et si non ab ipso , certè ab Altissimo.

Non est bene ei qui assiduus est in malis , et eleemosynam non danti.

Da pio , et ne suscipias peccatorem.

Benefac humili , et non dederis impio . Impedi panes illius , et non dederis ei , ne in ipsis te opprimat.

Nam duplia mala invenies in omnibus bonis , quæ-

## VERSIO VULGATA.

1. Si benefeceris , scito cui feceris ; et erit gratia in bonis tuis multa.

2. Benefac justo , et invenies retributionem magnam : et si non ab ipso , certè à Domino.

3. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis , et eleemosynas non danti : quoniam et Altissimus odio habet peccatores , et miseratus est poenitentibus.

4. Da misericordi , et ne suscipias peccatorem : et impiis , et peccatoribus reddet vindictam , custodiens eos in diem vindictæ.

5. Da bono , et non receperis peccatorem.

6. Benefac humili , et non dederis impio : prohibe panes illi dari , ne in ipsis potentior te sit.

7. Nam duplia mala invenies in omnibus bonis , cumque

cumque feceris ei: quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. Da bono, et ne suscipias peccatorem.

Non judicabitur in bonis amicus; et non abscondetur in malis inimicus.

In bonis viri, inimici illius in tristitia: et in malis illius etiam amicus disjungetur.

Non credas inimico tuo in æternum. Sicut enim æramentum æruginat, sic nequitia illius.

Etsi humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo: et eris ei tanquam qui absteseris speculum, et cognosces quòd non in finem depositum æruginem.

Non statuas illum penete; ne te subverso, stet in loco tuo. Non facias eum scedere ad dexteram tuam, ne fortè inquirat cathedram

quæcumque feceris illi: quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam.

8. Non agnosceretur in bonis amicus; et non abscondetur in malis inimicus.

9. In bonis viri, inimici illius in tristitia: et in malitia illius, amicus agnitus est.

10. Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius:

11. Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo.

12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dextram tuam: ne fortè conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam; et in

<sup>8</sup> Non agnosceretur: eò quòd florentibus rebus omnes æquè favere videantur.

<sup>10</sup> Sicut enim æramentum: quemadmodum ærugo, ita odia veterascendo crescunt. Alium sensum indicat Gr. sequenti congruum.

<sup>11</sup> Et si humiliatus.....ab illo: addit Gr. et eris ei, sicut qui abstesit speculum, et cognosces quòd non in finem depositum æruginem: metaphorà ductà à speculis æneis, quæ abstergendo, agnoscis indelebilem maculam æruginis: ita explorando inimicos, immedicablem odium.

<sup>12</sup> Inquirat cathedram tuam: sedem tuam occupandam: rem

tuam; et in novissimo co-guoscas verba mea, et in ser-monibus meis stimuleris.

Quis miserebitur incanta-tori à serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? sic et qui comita-tur cum viro peccatore, et convolvitur in peccatis il-lius.

Unâ horâ permanebit te-cum; si autem declinaveris, non supportabit.

Et in labiis suis indulcat inimicus; et in corde suo de-liberabit subvertere te in foveam.

In oculis suis lacrymabi-tur inimicus; et si invenerit tempus, non satiabitur san-guine.

Si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem te:

Et quasi adjuvans, sub-secabat plantas tuas.

Caput suum movebit et

tuam, dignitatem, locum: quod in Gr. est planius. *Et in novissimo: seriis; agnoscas, etc. In sermonibus meis stimuleris:* pungaris, re-cordatus quam vera prædixerim.

<sup>14</sup> *Si declinaveris:* si res tuae inclinentur et cadant.

<sup>15</sup> *Indulcat:* dulcescit.

<sup>17, 18.</sup> *Priorem:* te, Gr. tanquam adjuturum; at adjuvandi specie suffosurum *plantas tuas:* pedes impediturum, ut cadas. Elidendum autem illud (*in oculis, etc.*) quod à ꝑ. 16. nullâ necessitate repe-titur: et ita Gr.

novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris.

13. Quis miserebitur in-cantatori à serpente percus-so, et omnibus qui appro-piant bestiis? et sic qui com-i-tatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus.

14. Unâ horâ tecum per-manebit; si autem declina-veris, non supportabit.

15. In labiis suis indulcat inimicus; et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.

16. In oculis suis lacryma-tur inimicus; et si invenerit tempus, non satiabitur san-guine:

17. Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem.

18. In oculis suis lacryma-tur inimicus, et quasi adju-vans, suffodiet plantas tuas.

19. Caput suum movebit,

plaudet manibus suis , et multa susurrans commutabit vultum suum.

et plaudet manu , et multa susurrans commutabit vultum suum.

<sup>19</sup> *Multa susurrans* : multos ruores clam spargens. *Commutabit vultum suum* : variè et artificiose componet ad fraudes.

## C A P U T   X I I I .

*Cum quo cuique versandum , usque ad 25. societas cum malis , 1. cum opulentioribus , 2. ad 25. ubi potentiorum artes : de divite ac paupere , 25. et seqq. indicia mentis in vultu , 31 , 32.*

## S I X T I N A   V E R S I O .

## V E R S I O   V U L G A T A .

Qui tetigerit picem , inquinabitur : et qui communicaverit superbo , assimilabitur ei.

Pondus super te tollas : et fortiori te , et ditiori ne socius fueris.

Quid communicabit olla ad lebetem ? ipsa impinget , et ipsa conteretur.

Dives injustè egit , et ipse fremuit : pauper læsus est , et ipse orabit.

Si utilitatem apportes ,

1. Qui tetigerit picem , inquinabitur ab eâ : et qui communicaverit superbo , induet superbiam.

2. Pondus super se tollet qui honestiori se communicat ; et ditiori te ne socius fueris.

3. Quid communicabit cocabus ad ollam ? quando enim se colliserint , confringetur.

4. Dives injustè egit , et fremet : pauper autem læsus tacebit.

5. Si largitus fueris , as-

<sup>2</sup> *Pondus super se* ( majus suis viribus ) *tollet* , *qui honestiori* , *ditiori* , *potentiori communicat* : quòd illa societas imbecillo iniqua futura sit et gravis.

<sup>4</sup> *Dives injustè egit et fremet* : prior irascitur quasi læsus. *Pauper tacebit* : Gr. supplicabit : veniam cogetur petere , quasi ipse læserit.

operatus in te : et si tibi sumet te : et si non habueris, derelinquet te.

Si habes, convivet tecum, et evacuabit te, et ipse non dolebit.

Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem tibi dabit : loquetur tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi ?

Et confundet te in cibis suis, donec exinaniat te bis et ter : et in novissimo deridebit te : postea videbit te, et derelinquet te, et caput suum movebit super te.

Attende, ne seducaris, et ne humilieris in lætitia tuâ.

Advocatus à potente, discede : et tantò magis te advocabit.

6. Si habes, convivet tecum, et evacuabit te; et ipse non dolebit super te.

7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi ?

8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter : et in novissimo deridebit te : et postea videns derelinquet te, et caput suum movebit ad te.

9. Humiliare Deo, et expecta manus ejus.

10. Attende, ne seductus in stultitiam humilieris.

11. Noli esse humilis in sapientia tuâ, ne humiliatus in stultitiam seducaris.

12. Advocatus à potentiore discede ; ex hoc enim magis te advocabit.

<sup>7</sup> *Supplantabit* : decipiet, Gr.

<sup>8</sup> *Confundet te in cibis suis* : convivam adhibebit nihil negaturum præ verecundiâ. *Bis et ter* : ad convivia referendum videtur.

<sup>9</sup> *Humiliare coram Deo* : sed ne nimis stultèque coram hominibus, ne ut vile quid conculceris : quod sequenti congruit.

<sup>10</sup> *Ne in stultitiam humilieris* : dejiciaris : Gr. addit : in lætitia : in conviviis et voluptatibus.

<sup>11</sup> *In sapientia tuâ* : falsâ scilicet, quâ divitum captas gratiam.

Non intrudas te, ne expellaris; et ne longè distes, ne eas in oblivionem.

Ne retineas colloqui cum illo, nec credas multis verbis illius: ex multâ enim loquelâ tentabit te, et tanquam arridens interrogabit.

Immitis, qui non conservat verba; et non parcer de malitiâ, et de vinculis.

Cave tibi, et attende diligenter, quoniam cum subversione tuâ ambulas.

Omne animal diligit simile sibi; et omnis homo proximum sibi.

<sup>13</sup> *Ne improbus sis: quod latinè sonat importunum, neque à ditis latere discedentem: ne impingaris: Gr. ne expellaris.*

<sup>14</sup> *Ne retineas: Græc. μὴ ἔπειται, quod etiam sonat: ne studueris, ne animum adjeceris: infrà, xv. 2. et alibi in Scripturis, ut Luc. xiv. 7. I. Tim. iv. 16. ex æquo loqui: Gr. alloqui: ἴσχυρος οὖται, quod aliqui habent codices, pro ἴσχυρον οὖται.*

<sup>15</sup> *Immitis animus conservabit verba tua: tacitè, ut occasionem nocendi querat. At Gr. immitis qui non servat verba: datæ fidei ac promissorum immemor. Non parcer de malitiâ: tibi molietur importunum et carceres.*

<sup>17</sup> *Quasi in sonnis: vigilem te volo, sed instar somnolenti, ne te attentum nimis et curiosum putet, technasque meditantem.*

13. Ne improbus sis, ne impingaris; et ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem.

14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius: ex multâ enim loquelâ tentabit te, et subrideus interrogabit te de absconditis tuis.

15. Immitis animus illius conservabit verba tua: et non parcer de malitiâ, et de vinculis,

16. Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tuâ ambulas.

17. Audiens verò illa, quasi in sonnis vide, et vigilabis.

18. Omni vitâ tuâ dilige Deum, et invoca illum in salute tuâ.

19. Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi.

Omnis caro secundum genus conjungitur ; et homo simili sibi sociabitur.

Quid communicabit lupus agno? sic peccator erga pium.

Quæ pax hyenæ ad canem? et quæ pax diviti ad pauperem?

Venatio leonum, onagri in eremo : sic pascua divitum sunt pauperes.

Abominatio superbo humilitas : sic execratio diviti pauper.

Dives commotus confirmatur ab amicis : humilius autem cùm ceciderit, expellitur ab amicis.

Divite lapso multi recuperatores : locutus est non dicenda ; et justificaverunt illum.

Humilis lapsus est, et insuper arguitur : locutus est sensatè, et non est datus ci locus.

<sup>22</sup> *Sancto homini ad canem* : ad hominem impurum : de quo, *Foris canes*: Apocal. xxii. 15. At Gr. quæ pax hyenæ ad canem? inter animantes naturâ inimicissimas.

<sup>24</sup> *Humilitas* : vilitas, execratio : sordes.

<sup>25</sup> *Commotus* : vacillans : Gr.

<sup>26</sup> *Recuperatores* : adjutores : *superba* : infanda, Gr.

<sup>27</sup> *Deceptus est* : Gr. lapsus est.

20. Omnis caro ad similem sibi conjungetur ; et omnis homo simili suî sociabitur.

21. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.

22. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?

23. Venatio leonis onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes.

24. Et sicut abominatio est superbo humilitas : sic et execratio divitis pauper.

25. Dives commotus confirmatur ab amicis suis: humilius autem cùm ceciderit, expelletur et à notis.

26. Diviti decepto multi recuperatores : locutus est superba, et justificaverunt illum.

27. Humilis deceptus est, insuper et arguitur : locutus est sensatè, et nou est datus ei locus.

Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum ejus usque ad nubes exaltaverunt.

Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? et si offendere, subvertunt illum.

Bona est substantia, cui non est peccatum: et nequissima paupertas in ore impii.

Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.

Vestigium cordis in bonis facies hilaris: et inventio parabolarum, cogitationes cum labore.

**3o Bona est substantia:** bona opes bonis artibus partae, paupertas autem judice impio semper pessima.

**32 Vestigium:** non facilè inveneris faciem bonam, in quâ sit vestigium, sive indicium cordis boni: in quâ animi candor eluceat: longè aliter Græc. vestigium (indicium) cordis in bonis (in letis rebus versantis est) facies hilaris; inventio parabolarum (sententiarum sunt) cogitationes cum labore; leta frons letum indicat animum: gravis, laborantem in morali disciplinâ, ad breves et scita dignas sententias redigendas: quod genus tractationis utilissimum vitæ humanæ judicabant.

28. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducunt.

29. Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? et si offendere, subvertent illum.

30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientiâ, et nequissima paupertas in ore impii.

31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.

32. Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile iuvenies, et cum labore.

## CAPUT XIV.

*Lingua, 1. bona conscientia, 2. avarus, invidus, stultus, sibique et aliis pessimus, 4. ad 22. quærenda sapientia, 22. ad finem.*

## SIXTINA VERSIO.

**BEATUS** vir, qui non est lapsus in ore suo, et non est stimulatus in tristitiâ delicti.

Beatus, quem nou condemnavit animus suus, et qui non excidit à spe suâ.

Viro minutè rationes subducenti non est pulchra substantia : et homini livido ad quid pecuniæ ?

Qui acervat ex animâ suâ, aliis congregat; et in bonis illius alii luxuriabuntur.

Qui sibi nequam est, cui bonus erit? et non jucundabitur in pecuniis suis.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius; et hoc est redditio malitiæ illius :

<sup>1</sup> *Beatus vir*: qui linguâ non peccat, ferè omnis peccati exsors : ut Jac. iii. 2. *Stimulatus* : compunctus peccati conscientiâ.

<sup>2</sup> *Felix* : quem suus animus (sua conscientia) non cruciat.

<sup>3</sup> *Sine ratione* : indecens. *Livido* : avaro, ut videtur, sibi omnia invidenti : ut infrà, 6.

<sup>4</sup> *Ex animo suo* : Gr. ex animâ suâ : ex victu suo, cui detrahit ad augendas opes. *Injustè* nihil ad rem, et Gr. deest.

## VERSIO VULGATA.

1. **BEATUS** vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitiâ delicti.

2. **Felix**, qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit à spe suâ.

3. **Viro** cupido et tenaci sine ratione est substantia : et homini livido ad quid aurum?

4. Qui acervat ex animo suo injustè, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur.

5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis.

6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius; et hæc redditio est malitiæ illius :

Et si benefaciatur, in obli-  
vione facit, et in novissimis  
manifestat malitiam suam.

Nequam est invidens oculo,  
avertens faciem, et de-  
spiciens animas.

Cupidi oculus non satia-  
bitur parte: et injustitia mala  
arefacit animam.

Oculus malus invidus in  
pane, et egenus super men-  
sam suam.

Fili, sicut habes, benefac  
tecum: et Domino dignas  
oblationes offer.

Memor esto, quoniam  
mors non tardat; et testa-  
mentum inferorum non est  
demonstratum tibi.

7. Et si beneficerit, igno-  
ranter et non volens facit:  
et in novissimo manifestat  
malitiam suam.

8. Nequam est oculus li-  
vidi; et avertens faciem  
suam, et despiciens animam  
suam.

9. Insatiabilis oculus cu-  
pidi in parte iniquitatis: non  
satiabitur, donec consumat  
arefaciens animam suam.

10. Oculus malus ad ma-  
la: et non satiabitur pane,  
sed indigens et in tristitia  
erit super mensam suam.

11. Fili, si habes, benefac  
tecum: et Deo dignas obla-  
tiones offer.

12. Memor esto quoniam  
mors non tardat, et testa-  
mentum inferorum quia de-  
monstratum est tibi. Testa-

7 In novissimo · facilè ad ingenium reddit.

8 Nequam est, perversus, iniquus, oculus lividi: cuiuslibet, aut  
etiam, avari sibi et aliis invidentis; ex y. 6, 7. Notum illud: An  
oculus tuus nequam est, etc. Math. xx. 15. Despiciens animam:  
Gr. animas: non suam tantum animam, sed totum humanum genus  
vilifacit. Totus versus in Gr. planior et brevior.

9 In parte: portione: nunquam sorte suà contentus: ideo partem  
iniquitatis sive iniquam vocat: quod tamen Gr. deest. Arefaciens  
animam: curis conficiens.

10 Non satiabitur pane: sibi ipsi invidet. Vide Gr.

11 Testamentum inferorum: lex sepulcri: demonstratum est tibi:  
quòd nemo mortem effugere possit. At Gr. non est demonstratum,  
quòd oblitus videaris. Testamentum: sic distingue: testamentum  
hujus mundi: Morte morietur: hoc est sempiterna lex, ut omne quod  
nascitur, intereat. Vide Gr. y. 18,

mentum enim hujus mundi :  
Morte morietur.

Ante mortem benefac  
amico, et secundum vires  
tuas porrigena da ei.

Non defraudes à die bono:  
et pars boni desiderii non te  
prætereat.

Nonne alii relinques do-  
lores tuos, et labores tuos in  
divisionem sortis?

Da et accipe; et falle ani-  
mam tuam :

Quoniam non est apud  
inferos quærere delicias.

Omnis caro, sicut vestis,  
veterascit : testamentum  
enim à saeculo : Morte mo-  
rietur. Sicut folium germi-  
nans in arbore densâ,

Alia quidem dejicit, alia

<sup>15</sup> Nonne aliis : imò hæc erit pars tua, cætera transibunt ad hæ-  
redes.

<sup>16</sup> Da et accipe : da eleemosynam, et accipe veniam. *Et justifica*  
*animam tuam*, à peccatis: quod sequenti congruit. At Gr. Da et  
accipe, (hoc est, ut videtur, utere bonis potius quam te inediâ per  
avaritiam excrucies) et falle animam tuam ; quo sensu dicimus fal-  
lere, ac velut consopire curas : subditque statim :

<sup>17</sup> Quoniam non est apud inferos invenire cibum : Gr. delicias :  
quæ quomodo accipienda sint, ad similes locos Ecclesiastæ diximus.

<sup>18</sup> Omnis caro sicut fœnum : vide Gr.

<sup>19</sup> Alia generantur : sicut folia, alia enascuntur, alia dejiciuntur,  
decidunt : sic est hominum generatio : quâ comparatione Homerus  
utitur. Gr. dejicit, generat, refert ad arborēm,

13. Ante mortem benefac  
amico tuo, et secundum vi-  
res tuas exporrigens da pau-  
peri.

14. Non defrauderis à die  
bono : et particula boni do-  
ni non te prætereat.

15. Nonne aliis relinques  
dolores, et labores tuos in  
divisione sortis?

16. Da et accipe; et justi-  
fica animam tuam.

17. Ante obitum tuum  
operare justitiam : quoniam  
non est apud inferos inve-  
nire cibum.

18. Omnis caro , sicut fœ-  
num, veteraset, et sicut  
folium fructificans in arbore  
viridi.

19. Alia generantur, et

autem generat : sic genera-  
tio carnis, et sanguinis; alia  
quidem finitur, alia verò  
nascitur.

**Omnē opus corruptibile**  
deficit; et qui illud opera-  
tur, abibit cum illo.

**Beatus vir, qui in sapien-  
tiā morietur, et qui in sensu**  
suo disseret.

**Qui excogitat vias illius in**  
corde suo, et in absconditis  
ejus intelliget. Vade post il-  
lam quasi investigator, et in  
ingressibus ejus insidiare.

**Qui respicit per fenestras**  
illius, et in januis illius au-  
diens;

**Qui requiescit juxta do-**  
mum illius, et in parietibus  
illius figet palum; statuet  
casulam suam ad manus il-  
lius, et requiescat in casulâ  
bonorum.

alia dejiciuntur : sic genera-  
tio carnis et sanguinis; alia  
finitur, et alia nascitur.

**20. Omne opus corruptibile**  
in fine deficiet : et qui  
illud operatur, ibit cum illo.

**21. Et omne opus elec-**  
tum justificabitur : et qui  
operatur illud, honorabitur  
in illo.

**22. Beatus vir, qui in sa-**  
pientiā morabitur, et qui in  
justitiā suā meditabitur, et  
in sensu cogitabit circum-  
spectionem Dei.

**23. Qui excogitat vias il-**  
lius in corde suo, et in abs-  
conditis suis intelligens, va-  
dens post illam quasi inves-  
tigator, et in viis illius con-  
sistens :

**24. Qui respicit per fenes-**  
tras illius, et in januis illius  
audiens :

**25. Qui requiescit juxta**  
domum illius, et in parieti-  
bus illius figens palum, sta-  
tuet casulam suam ad ma-  
nus illius, et requiescent in  
casulâ illius bona per ævum:

<sup>21</sup> *Opus electum*: bonum, probatum : *justificabitur*: justa mer-  
cede donabitur.

<sup>22</sup> *Morabitur*: morietur, Gr.

<sup>24</sup> *Per fenestras..... in januis*: curiosus explorator per quasvis  
rimulas inspicit; ad januam adstat, si quis forte susurrus elabitus:  
ita sapientiae attendamus.

Statuet filios suos sub tegmine illius , et sub ramis ejus morabitur.

Protegetur sub eâ à fervore , et in gloriâ ejus requiescat.

26. Statuet filios suos sub tegmine illius , et sub ramis ejus morabitur.

27. Protegetur sub tegmine illius à fervore , et in gloriâ ejus requiescat.

## C A P U T   X V .

*Prosequitur de sapientia, usque ad 11. quo versu incipit confutare eos qui peccata Deo imputabant: tanquam non esset in homine liberum arbitrium: 14. et seqq. aut Deus peccatoribus delectatur, 12, 22.*

### S I X T I N A   V E R S I O .

Qui timet Dominum , faciet illud : et qui continens est legis , apprehendet eam.

Et obviabit illi , quasi mater ; et quasi mulier virginitatis suscipiet eum.

Cibabit illum pane intellectus , et aquâ sapientiae potabit illum : firmabitur in illâ , et non flectetur :

### V E R S I O   V U L G A T A .

1. Qui timet Deum , faciet bona : et qui continens est justitiae , apprehendet illam,

2. Et obviabit illi , quasi mater honorificata ; et quasi mulier à virginitate suscipiet illum.

3. Cibabit illum pane vitae et intellectus , et aquâ sapientiae salutaris potabit illum ; et firmabitur in illo , et non flectetur :

<sup>1</sup> *Qui continens (compos est, ut suprà, vi. 28.) justitiae: legis, Gr. apprehendet illam: sapientiam, de quâ præcedente capite.*

<sup>2</sup> *Mulier à virginitate: virgo in uxorem data. Suscipiet illum: Deum; de quo v. 1.*

<sup>3</sup> *Firmabitur in illo: sapientia in bono viro radices aget: Gr. in illâ: vir bonus in sapientiâ firmum figet gradum.*

Etsuper eam innitetur, et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos ejus,

Et in medio ecclesiæ aperiet os ejus.

Jucunditatem, et coronam exultationis, et nomen æternum hæreditabit.

Homines stulti non apprehendent eam ; et viri peccatores non videbunt eam.

Longè abest à superbiâ : et viri mendaces non erunt illius memores.

Non est speciosa laus in ore peccatoris :

Quoniam non est à Domino missus. In sapientiâ enim dicetur laus : et Do-

4. Et continebit illum , et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos suos;

5. Et in medio ecclesiæ aperiet os ejus : et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectûs, et stolâ gloriæ vestiet illum.

6. Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum.

7. Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati obviabunt illi : homines stulti non videbunt eam : longè enim abest à superbiâ et dolo.

8. Viri mendaces non erunt illius memores : et viri veraces invenientur in illâ , et successum habebunt usque ad inspectionem Dei.

9. Non est speciosa laus in ore peccatoris :

10. Quoniam à Deo profecta est sapientia. Sapientiæ enim, Dei adstabit laus,

<sup>6</sup> *Et nomine æterno hæreditabit illum : donabit : Gr. (de viro justo) et nomen æternum hæreditabit, sortietur.*

<sup>9</sup> *Non est speciosa laus : Dei scilicet : in ore peccatoris.*

<sup>10</sup> *Quoniam à Deo profecta est sapientia : Gr. Quoniam non est à Deo missus (peccator), ut Deum laudet. Vides autem non licere cuivis laudem dare Deo, sed si quem ad tantum opus mittit. Quem vero mittat, docent hæc : sapientiæ enim, Dei adstabit laus, etc.*

minus prosperabit illum.

et in ore fideli abundabit,  
et dominator dabit eam  
illi.

**Ne dixeris : Quia propter  
Dominum recessi : quæ enim  
odit, ne facias.**

**Ne dixeris : Quia ipse me  
implanavit : non enim opus  
habet viro peccatore.**

**Omne execramentum odit  
Dominus : et non est ama-  
bile timentibus eum.**

**Ipse ab initio fecit homi-  
nem, et reliquit illum in  
manu consilii sui.**

**11. Non dixeris : Per Deum  
abest : quæ enim odit, ne  
feceris.**

**12. Non dicas : Ille me  
implanavit : non enim ne-  
cessarii sunt ei hominés im-  
pii.**

**13. Omne execramentum  
erroris odit Dominus : et  
non erit amabile timentibus  
eum.**

**14. Deus ab initio con-  
stituit hominem, et reliquit  
illum in manu consilii sui.**

**15. Adjecit mandata, et  
præcepta sua.**

quæ breviora et obscuriora in Græc. *Dominator* : Dominus sive Deus.

**11 Per Deum abest :** (peccator à Dèo) Græc. planior : Ne dixeris : per Deum recessi : defeci : ἀπέθη. Quidam ita omnia Deo tribuebant, ut etiam peccata et errores ipsi auctori adscriberent : alii negabant curare quidquam : infrà, xvi. 16. quæ objecta et argumentis et exemplis confutare incipit, eaque occasione creationis opus fusè commen- morat, quo Dei sapientia, bonitas, justitia maximè commendatur, cap. xvi, 24. xvii, xviii. ad ñ. 15. Hic primam quæstionem de pecati causâ aggreditur : ad quem locum maximè pertinet liberi arbitrii commemorationis, et cætera à ñ. 14:

**12 Ille me implantavit :** decepit, induxit in malum. *Non enim ne-  
cessarii sunt ei :* perspicua solutio, impios Deo non esse necessarios, quam hic uno verbo tangit: ñ. verò 22. et cap. seq. fusiùs. Hunc locum usque ad ñ. 19. Græco ferè congruentem refert Augustinus, de Grat. et lib. arb. c. II. n. 3. aliter in Speculo, ubi Vulgata m sequitur.

**14 Reliquit illum :** dato præcepto de vetito fructu.

**Si volueris conservabis mandata, et fidem facere beneplaciti.**

**Apposuit tibi ignem et aquam : ad quodcumque volueris , extenderes manum tuam.**

**In conspectu hominum vita et mors : et quodcumque placuerit, dabitur ei.**

**Quoniam multa sapientia Domini : fortis ipse in potentia , et videns omnia.**

**Et oculi ejus ad timentes eum : et ipse agnoscat omnem operam hominis.**

**Et nemini mandavit impie agere, et nemini dedit licentiam peccandi.**

**16. Si volueris mandata servare, conservabunt te , et in perpetuum fidem placitam facere.**

**17. Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam.**

**18. Ante hominem vita et mors , bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi :**

**19. Quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia , videns omnes sine intermissione.**

**20. Oculi Domini ad timentes eum : et ipse agnoscit omnem operam hominis.**

**21. Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi :**

**22. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.**

**<sup>16</sup> Si volueris : sic ordinandum. Si volueris mandata servare , et in perpetuum fidem (tibi) placitam facere , (eam toto animo retinere ) servabunt te : mandata, observata scilicet.**

**<sup>18</sup> Ante hominem vita : sumptum ex Deut. xxx. 15, 19.**

**<sup>21</sup> Spatium peccandi : Gr. licentiam.**

**<sup>22</sup> Non enim concupiscit : inculeare incipit, quod ¶. 12. dictum : ac seq. cap. fuse exequitur : Gr. sic : ne cupias filiorum inutilium multitudinem : cap. xvi. 1. quod ad eundem scopum pertinet, ut statim videbimus.**

## CAPUT XVI.

*Pergit de filiorum impiorum multitudine : non esse optandam eam, ad 6. Deus malorum hominum multitudini non parcit, 6, 7, ad 12. unicuique reddit secundum opera, 12, ad 16. aggreditur qui dicebant a Deo non curari mundum, aut res humanas, ac Dei providentiam ostendit per opera, 16. ad finem.*

## SIXTINA VERSIO

## VERSIO VULGATA.

Non concupiscas multitudinem filiorum inutilium : neque jocunderis in filiis impiis, si multiplicentur : ne oblecteris super ipsos, si non est timor Dei cum illis.

Non credas vitæ illorum : et ne respexeris in locum illorum.

Melior est enim unus, quam mille;

Et mori sine filiis, quam habere filios impios.

Ab uno enim sensato co-

1. Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis.

2. Non credas vitæ illorum : et ne respexeris in labores eorum.

3. Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii :

4. Et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios.

5. Ab uno sensato inha-

<sup>1</sup> *Ne jucunderis.* Rectè hic admoniti homines, ne impia sobolis amplitudine glorientur; idque longè magis pertinere ad Deum, v. 5, et seqq.

<sup>2</sup> *Non credas vitæ illorum.* Ne victuros credas : hebraismus : Deut. xxviii. 66. *Et erit vita tua quasi pendens..... et non credes vitæ tuæ.*

<sup>3</sup> *Ab uno sensato..... tribus impiorum :* ab uno Abrahamo, ab uno Israele Hebrei in tantum populum propagati, cùm populi Chananæi tantâ multitudine internecione deleti sint.

habitabitur

habitatitur civitas: tribus autem impiorum desolabitur.

Multa talia vidi in oculis meis; et fortiora his audivit auris mea.

In synagogâ peccantium exardebit ignis; et in gente incredibili exarsit ira.

Non est propitiatus pro antiquis gigantibus qui rebellaverunt fortitudine suâ.

Non pepercit pro incolatu Lot, iis quos execratus est pro superbiâ illorum.

Non misertus est genti perditionis, iis qui se elevaverant in peccatis suis:

Et sic sexcentis millibus peditum, qui congregati insurrexerunt in duritiâ cor-

bitabitur patria: tribus impiorum deseretur.

6. Multa talia vidi oculus meus; et fortiora horum audivit auris mea.

7. In synagogâ peccantium exardebit ignis; et in gente incredibili exardescet ira.

8. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtutis:

9. Et non pepercit peregrinationi Lot, et execratus est eos præ superbiâ verbi illorum.

10. Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in peccatis suis.

11. Et sicut sexcenta milia peditum, qui congregati sunt in duritiâ cordis

<sup>6</sup> *Multa talia vidi..... fortiora horum.* Multa vidi talia, nempe ex uno pio amplam sobolem excresuisse: impiorum amplas familias ad nihilum redactas; hæc, inquam, vidi ego plurima; tetriora audiui.

<sup>7</sup> *In synagogâ: in cœtu.* Jam eò redit, unde digressus erat; nempe ut ostendat, Deum ulcisci impios, nec eorum multitudine deterritum.

<sup>8</sup> *Gigantes: impii diluvio mersi, tantâ licet multitudine.* Gen. vi. 4.

<sup>9</sup> *Peregrinationi Lot: Sodomis,* ubi peregrinus agebat.

<sup>11</sup> *Sicut sexcenta milia peditum: Israelitarum scilicet, qui ex Ægypto profecti sunt.* Num. xxvi. 51. *Qui congregati sunt in duritiâ.*

dis sui : et si unus fuerit cervicosus, mirum hoc, si erit immunis.

Misericordia enim et ira ab illo : princeps propitiationum, et effundens iram.

Secundum multam misericordiam ejus, sic et multa correptio ejus : hominem secundum opera ejus iudicat.

Non effugiet in rapinis peccator, et non fraudabit sufferentiam pii.

Omni misericordiae faciet locum : unusquisque secundum opera sua inveniet.

Ne dicas : A Domino abscondar : numquid ex summo quis mei memorabitur ?

*tia*: rebelles et increduli, et ideo omnes ad unum prostrati in deserto. *Cervicatus, cervicosus, contumax.*

<sup>12</sup> *Potens exoratio*, (Gr. princeps exorationum : in parcendo primus) et *effundens iram* : Deus qui irascitur et miseretur. Psalm. LIX. 3. nec minus exorari quam irasci solitus.

<sup>14</sup> *Non effugiet in rapinâ..... non retardabit* : non diu expectabit, *sufferentia* : patientia, *misericordiam facientis* : statim enim mercedem accipiet; Gr. expeditior : non fraudabit (Deus) expectationem pii.

<sup>15</sup> *Omnis misericordia faciet locum*, sibi ad Deum. Gr. omni misericordiae faciet locum : Deus scilicet.

<sup>16</sup> *Non dicas : A Deo abscondar*. Confutatis iis, qui Deo auctori peccata tribuebant : alteram quæstionem aggreditur, refellitque eos qui negabant Deo curæ esse res humanas. *Ex summo* (cælo-

sui : et si unus fuisset cervicatus, mirum, si fuisset immunis.

<sup>12</sup>. Misericordia enim et ira est cum illo. Potens exoratio, et effundens iram :

<sup>13</sup>. Secundum misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundum opera sua iudicat.

<sup>14</sup>. Non effugiet in rapinâ peccator, et non retardabit sufferentia misericordiam facientis.

<sup>15</sup>. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum, et secundum intellectum peregrinationis ipsius.

<sup>16</sup>. Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur?

In populo magno non ero  
in memoriam : quae est enim  
anima mea in immensam crea-  
turam ?

Ecce cœlum et cœlum  
cœli Dei, abyssus et terra,  
commovebuntur in visita-  
tione ejus.

Montes simul et funda-  
menta terræ , cùm con-  
spexerit illa , tremore con-  
cutiuntur.

Et super ipsis non cogita-  
bit cor : et vias ejus quis in-  
telligit ?

Et procella quam non vi-  
debit homo.

Plurima autem operum  
ejus in absconsis. Opera jus-  
titiae quis annuntiabit , aut

rum ) quis memorabitur , etc. Sic ille impius , Job. xxii. 14. *Nec nos-  
tra considerat , et circa cardines cœli perambulat.*

<sup>17</sup> In populo magno : quod familiare Epicureis : non vacare  
Deo, ut inquirat in singulos, neque unum homuncionem, resque hu-  
manas tanti esse. In tam immensam creaturam : revera enim mun-  
dum immensum singebant, orbesque infinitos : tanquam id effec-  
turi essent, ut si induceretur Deus horum curator, tanto labore  
fatisceret, neque attenderet ad singulos · quos confutare incipit  
¶. sequenti.

<sup>21</sup> Procellam : ventos procellosos, quorum causæ latent in the-  
sauris Dei : Psalm. cxxxiv. 7.

<sup>22</sup> Plurima opera ejus in absconsis. Ne ergo mirere, si gubern-  
nationis arcana te latent, unde sequitur : opera justitiae ejus quis  
enuntiabit? quis enarrabit quomodo Deus animadversus sit in

17. In populo magno non  
agnoscari : quae est enim ani-  
ma mea in tam immensam  
creaturam ?

18. Ecce cœlum et cœli  
cœlorum , abyssus et uni-  
versa terra , et quae in eis  
sunt , in conspectu illius  
commovebuntur :

19. Montes simul et col-  
les, et fundamenta terræ ,  
cùm conspexerit illa Deus,  
tremore concutientur.

20. Et in omnibus his in-  
sensatum est cor : et omne  
cor intelligitur ab illo :

21. Et vias illius quis in-  
telligit, et procellam, quam  
nec oculus videbit homi-  
nis?

22. Nam plurima illius  
opera sunt in absconsis : sed  
opera justitiae ejus quis enun-

quis sustinebit? Longè enim est testamentum.

tiabit? aut quis sustinebit? Longè enim est testamentum à quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est.

**Qui minoratur corde, cogitat hæc: et vir imprudens et errans cogitat stulta.**

**Audi, fili mi, et disce scientiam; et in verbis meis attende corde tuo.**

**Ostendo in pondere disciplinam; et in veritate annuntio scientiam.**

**23. Qui minoratur corde, cogitat inania: et vir imprudens et errans cogitat stulta.**

**24. Audi me, fili, et disce disciplinam sensùs, et in verbis meis attende in corde tuo:**

**25. Et dicam in æquitate disciplinam, et scrutabor enarrare sapientiam: et in verbis meis attende in corde tuo; et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio; et in veritate enuntio scientiam ejus.**

impios? *Aut quis sustinebit?* quis expectabit? quasi diceret *Iustitia Dei non statim ad ultionem prosilit; expectandus est exitus rerum, quod homines præcipite judicandi licentiā non faciunt: unde subdit, longè enim testamentum: quod potest intellegi, longè lex à quibusdam: melius, testamentum, pactum, pro occultâ illà lege quā Deus in acta hominum inquirit: pergit enim: interrogatio, sive inquisitio omnium in consummatione est: in illo ultimo judicio. Ultionem non omittit; sed differt. Vide autem in Vulgatâ testamenti nomen pro cujusque sententiâ: xvii. 17.*

**23 Qui minoratur corde: qui intellectu deficit: cogitat inania: cogitat hæc, Gr. quæ suprà, 16, 17.**

**25 Dicam in æquitate (Gr. ostendam in pondere) disciplinam: scrutabor enarrare: diligenter enarro. Et in verbis: alia interpretatio, nonnihil variatâ lectione.**

In judicio Domini opera ejus ab initio : et in affectione ipsorum distinxit partes eorum.

Ornavit in æternum opera sua , et principia eorum in generationes eorum. Nec esurierunt , nec laboraverunt : et non destiterunt ab operibus suis.

Unusquisque proximum suum non angustiavit :

Et usque in æternum non repugnabunt verbo illius.

Et post hæc Dominus in terram respexit , et implevit eam bonis suis.

Anima omnis vitalis ope-

26. In judicio Dei opera ejus ab initio , et ab institutione ipsorum distinxit partes illorum , et initia eorum in gentibus suis.

27. Ornavit in æternum opera illorum , nec esurierunt , nec laboraverunt , et non destiterunt ab operibus suis.

28. Unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum.

29. Non sis incredibilis verbo illius.

30. Post hæc Deus in terram respexit , et implevit illam bonis suis.

31. Anima omnis vitalis

<sup>26</sup> *In judicio.... ab institutione ipsorum.* Ex hoc versu ad finem exequitur ordinem , nemusque operum Dei : nempe quod facta sint summo accuratoque *judicio* , atque *ab institutione* : ex quo instituta et facta sunt accuratè distincta per partes , &c. 26. ornataque in æternum , 27. et ad principia sua revocata : *in gentibus suis* , 26. secundum genera sua : cœlum , sidera , elementa : stantque omnia ab initio : nec fame , aut nimio labore confecta desiciunt , 27. spatiis quoque disposita , ac licet tam arctè connexa , nullo loco vacuo ; non tamen ut in turbâ sit , sibi mutuo impedimento sunt , sed liberè expedient motus suos , 28. unde consecutio : *Non sis ergo incredibilis* (*incredulus*) *verbis illius* , 29. Gr. addit : et usque in æternum nou repugnant verbo ejus elementa , sidera , creaturæ omnes.

<sup>30</sup> *Post hæc* : posteaquam sidera et elementa suo constituit loco : *in terram respexit* , et *implevit illam bonis suis* : plantis , animalibus.

<sup>31</sup> *Anima omnis vitalis* : seu vivens , ut Scriptura passim : omne

ruit faciem ejus , et in denuntiavit ante faciem ipsam reversio illorum. ipsius, et in ipsam iterum reversio illorum.

animal : *denuntiavit ante faciem ipsius* : operuit faciem , Gr. terræ scilicet. Hæc ergo cùm æternâ lege stent, non potest negari Dei prouidentia. Jam ad hominem speciatim.

## CAPUT XVII.

*Deus curam gerit hominum ab ipso creationis initio : unde adhortatio ad pietatem, toto capite : opera hominum nota Deo sicut sol, 15, 30. videt omnia, 31.*

SIXTINA VERSIO.

DOMINUS creavit de terrâ hominem :

Et iterum convertit illum in ipsam.

Dies numeri , et tempus dedit illis, et dedit illis potestatem eorum , quæ sunt super eam. Secundùm seippos vestivit illos virtute, et secundùm imaginem suam fecit eos.

<sup>2</sup> *Secundùm se* : Gr. explicat γ. seq. secundùm seippos : homines scilicet : prout illis dignum erat : nam etiam immortales fecit.

<sup>3</sup> *Numerum dicrum* : dies noctesque et tempora numeratò illi dedit, constitutis omnium signis. Gen. 1. 14. *Dedit illi potestatem* : hæc et quæ sequuntur repetita ex Gen. 1. 28. II. 19, 20, etc.

VERSIO VULGATA.

1. DEUS creavit de terrâ hominem , et secundùm imaginem suam fecit illum.

2. Et iterum convertit illum in ipsam : et secundùm se vestivit illum virtute.

3. Numerum dierum et tempus dedit illi; et dedit illi potestatem eorum , quæ sunt super terram.

**E**t posuit illius terrorem super omnem carnem , et dominari bestiarum et volatilium.

**C**onsilium , et linguam , et oculos , aures , et cor dedit ad cogitandum illis.

**D**isciplinā intellectū implevit illos : et bona et mala ostendit eis.

**P**osuit oculum suum super corda illorum , ostendere illis magnalia operum suorum.

**E**t nomen sanctificationis laudabunt : ut magnalia enarrent operum ejus.

**A**ddidit illis disciplinam , et legem vitæ hæreditavit eos.

**T**estamentum æternum constituit cum illis ; et judicia sua ostendit eis.

**M**agnalia honoris videbunt oculi eorum : et hono-

**4.** Posuit timorem illius super omnem carnem ; et dominatus est bestiarum et volatilium.

**5.** Creavit ex ipso adjutorium simile sibi : consilium , et linguam , et oculos , et aures , et cor dedit illis ex cogitandi ; et disciplinā intellectū replevit illos.

**6.** Creavit illis scientiam spiritū , sensu implevit cor illorum : et mala et bona ostendit illis.

**7.** Posuit oculum suum super corda illorum , ostendere illis magnalia operum suorum ,

**8.** Ut nomen sanctificationis collaudent : et gloriari in mirabilibus illius , ut magnalia enarrent operum ejus.

**9.** Addidit illis disciplinam , et legem vitæ hæreditavit illos.

**10.** Testamentum æternum constituit cum illis , et justitiam et judicia sua ostendit illis.

**11.** Et magnalia honoris ejus vidi oculus illorum :

**6** *Mala et bona ostendit illis* : plantatā arbore scientiæ boni et mali. Gen. ii. 17. atque inde consecutis malis bonisque.

**8** *Nomen sanctificationis* : nomen Dei sanctum.

**9** *Addidit illis disciplinam*. His et seqq. exequitur varia dona collata humano generi , legem , promissa , miracula. *Hæreditavit illos* : sorti assignavit : sorte distribuit.

rem vocis eorum audivit auris illorum. Et dixit illis: Attendite ab omni iniquo.

Et mandavit illis unicuique de proximo.

Viæ eorum coram illo sunt semper : non abscondentur ab oculis ipsius.

Unicuique genti præposuit rectorem :

Et pars Domini Israel est.

Omnia opera eorum velut sol in conspectu ejus : et oculi ejus sine intermissione in vias eorum.

Non sunt absconsæ injustitiæ illorum ab eo , et omnia peccata eorum in conspectu Domini.

Eleemosyna viri , quasi signaculum cum ipso ; et gratiam hominis, quasi purgatiam conservabit.

Postea resurget , et retribuet illis : et retributionem

et honorem vocis audierunt aures illorum , et dixit illis : Attendite ab omni iniquo.

12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo.

13. Viæ illorum coram ipso sunt semper : non sunt absconsæ ab oculis ipsius.

14. In unamquamque gentem præposuit rectorem :

15. Et pars Dei , Israel facta est manifesta.

16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.

17. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum ; et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.

18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso ; et gratiam hominis, quasi purgatiam conservabit.

19. Et postea resurget , et retribuet illis retributionem

*14 In unamquamque gentem..... rectorem : legislatores , reges : quod frustra retulerunt ad angelos.*

*17 Non sunt absconsa testamenta : non sunt absconsæ injustitiæ illorum : Gr.*

*18 Eleemosyna viri : ut mala opera , ¶. 17. Deum non latent : ita , hic , bona opera , puta , eleemosynæ . Quasi signaculum : quasi res sigillo clausa ; inviolabile divinæ misericordiæ pignus.*

*19 Postea resurget : Deus , cùm diu obdormisse videbatur , et quasi*

**eorum in caput ipsorum reddet.**

nem , unicuique in caput ipsorum , et convertet in interiores partes terræ.

**Verumtamen pœnitentiibus dedit redditum , et confirmavit deficiente sostenientia.**

20. Pœnitentibus autem dedit viam justitiae , et confirmavit deficiente sustinere , et destinavit illis sortem veritatis.

**Converte ad Dominum , et relinque peccata :**

21. Convertere ad Dominum , et relinque peccata tua :

**Precare ante faciem , et minue offendiculum.**

22. Precare ante faciem Domini , et minue offendicula.

**Reverte ad Altissimum , et avertere ab injustitiâ , et valde odito execrationem.**

23. Reverte ad Dominum , et avertere ab injus-  
titia tuâ , et nimis odito execrationem :

**Altissimo quis laudem dicet in inferno ?**

24. Et cognosce justicias et judicia Dei , et sta in sorte propositionis , et orationis altissimi Dei.

**Pro viventibus et viven-  
tibus , et dantibus vicissim  
confessionem.**

25. In partes vade sœculi sancti , cum vivis et dantibus confessionem Deo.

connivere peccatis , tandem consurget in impios , iram concitat : et convertet in interiores : ad sepulcrum : neci dedet.

*20. Viam justitiae : redditum , Gr. et confirmavit deficiente sustinere : sub plagis et verberibus fatiscentes.*

*24. Sta in sorte propositionis : in sorte tibi proposita ; in sorte veritatis , suprà , 20. atque observandæ legis , quæ tibi pars ob-  
tigit.*

*25. 26. In partes vade : consocia te eorum partibus , qui vitam agunt  
piam , et vivi Deum laudant. Pro hoc Gr. Altissimo quis dicet  
laudem in inferno ? pro viventibus et dantibus vicissim confessio-  
nem : quasi diceret : hoc est viventium et vicissim collaudantium*

A mortuo , tanquam eo  
qui non est , perit confessio :

Vivus et sanus laudabit  
Dominum.

Quàm magna misericordia Domini , et propitiatio convertentibus se ad eum !

Non enim omnia possunt esse in hominibus : quoniam non est immortalis filius hominis.

Quid lucidius sole ? et hoc deficit : et malus excogitat carnem et sanguinem.

Deum. *A mortuo , quasi nihil* , quasi nullo : non existente , Gr. *perit confessio* : laus , quæ quo sensu intelligenda , diximus Præfatione in Psalmos , cap. 1. num. 9, 10.

*28 Convertentibus ad se : se ad eum : Gr.*

*29 Nec enim omnia.* Significat tantas esse Dei misericordias , ut homo , mortalis ævi , tam brevis vitæ spatio experiri , nedum eloqui possit. *In vanitate* : vanissimè : summa est vanitas , potuisse homini placere nequitiam.

*30 Quid lucidius sole?* Sol ipse deficit , deliquum patitur , et hic defectus notus omnibus : quid mirum , si deprehenditur deliquum , sive vitium in homine , carnem et sanguinem , hoc est , carnalia et turpia cogitante ? quæ pertinent ad retundenda ea quæ suprà obiecta erant : xvi. 16. nempe péccata nostra latere Deum. Gr. sic habet : quid lucidius sole ? et tamen hoc (lucidissimum) eclipsin patitur , et malus homo cogitat carnem et sanguinem. Obscurissimè

26. Non demoreris in errore impiorum : ante mortem consistere. A mortuo quasi nihil perit confessio.

27. Confiteberis vivens , vivus et sanus confiteberis , et laudabis Deum , et gloriareris in miserationibus illius.

28. Quàm magna misericordia Domini , et propitiatio illius convertentibus ad se !

29. Nec enim omnia possunt esse in hominibus : quoniam non est immortalis filius hominis ; et in vanitate malitia placuerunt.

30. Quid lucidius sole ? et hic deficit. Aut quid nequius quàm quod ex cogitavit caro et sanguis ? et hoc arguetur.

Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit : et omnes homines terra et cinis.

quidem, sed pauca supplendo, idem cum Vulgatâ extundetur sensus.

31. *Virtutem altitudinis* : ne dicas cum impio, xvi. 16. aliquid Deo esse incompertum.

## CAPUT XVIII.

*Deus omnium æquè creator, 1. operum ejus perfectio incomprehensibilis, 2. ad 7. miserator hominis, ad 15. beneficia non exprobenda, ad 19. consideratè loquendum, 19. examinare seipsum, 20. orare et justificari ne cesses, 22. ut orationem animus preparandus, 23. adversa in prosperitate cogitanda, 24, 25. velocias rerum conversiones, 26. hinc nunquam sine metu, 27. post concupiscentias non eas, 30, 31. atque hīc incipit de continentia.*

### SIXTINA VERSIO.

Qui vivit in æternum,  
creavit omnia simul : Do-  
minus solus justificabitur.

Nemini potestatem fecit  
enarrandi opera ipsius.

Et quis investigabit ma-  
gnalia ejus?

Virtutem magnitudinis  
ejus quis enumerabit? et  
quis adjicet enarrare mise-  
ricordias ejus.

### VERSIO VULGATA.

1. Qui vivit in æternum,  
creavit omnia simul. Deus  
solus justificabitur, et ma-  
net invictus rex in æternum.

2. Quis sufficit enarrare  
opera illius?

3. Quis enim investigabit  
magnalia ejus.

4. Virtutem autem ma-  
gnitudinis ejus quis enuntia-  
bit? aut quis adjicet enar-  
rire misericordiam ejus?

<sup>1</sup> *Creavit omnia simul* : Gr. communiter, pariter, æquè omnia, ac sine ipso factum est nihil. *Deus solus justificabitur* : solus irreprehensus in operibus suis, cuius comparatione omnia immunda sunt, ut demonstrat sanetus Job. cap. ix. etc.

Non est minuere , neque adjicere : et non est investigare mirabilia Domini.

Cum consummaverit homo , tunc incipit : et cum quieverit , tunc dubitabit.

Quid est homo , et quid usus ejus ? quid est bonum ejus , et quid malum ejus ?

Numerus dierum hominis , ut multum , centum anni : sicut gutta aquae maris , et calculus arenæ , sic exigui anni in die ævi.

Propter hoc patiens fuit in illis : et effudit super eos misericordiam suam.

Vidit et cognovit subversionem eorum , quoniam mala est :

*6 Cūm consummaverit homo :* cūm devenisse se putaverit ad perfectam divini operis intelligentiam , tunc incipiet . *Et cūm quieverit :* cūm velut re compertâ , à querendo destiterit : tunc aporiabitur : dubitabit : hæsitabit , in pristinam ignorantiam devolvi se sentiet .

*7 Quæ gratia ?* utilitas : Gr. *nequam* : malum , Gr. nemo scit quid sibi bonum malumque : ideo ipse Deus docet , ḥ. 11. et seqq.

*8 Exiguī anni in die ævi :* atque ætatis suæ.

*9 Propter hoc :* ne cum impiis dicas , eò quòd homo nihil sit , non esse curæ Deo : suprà , xvi. 17. imò ea causa miserandi est .

*10 Videl :* ne dicas perversum esse hominem , Deique curâ indignum , quòd ejus *nequam* , id est , malus atque infelix sit exitus :

5. Non est minuere , neque adjicere : nec est inventare magualia Dei.

6. Cum consummaverit homo , tunc incipiet : et cum quieverit , aporiabitur.

7. Quid est homo , et quæ est gratia illius ? et quid est bonum , aut quid nequam illius ?

8. Numerus dierum hominum ut multum , centum anni : quasi gutta aquæ maris deputati sunt : et sicut calculus arenæ , sic exigui anni in die ævi.

9. Propter hoc patiens est Deus in illis : et effundit super eos misericordiam suam.

10. Videl præsumptionem cordis eorum , quoniam mala est : et cognovit subver-

sionem illorum , quoniam nequam est.

Ideo multiplicavit propitiationem suam.

Miseratio hominis circa proximum suum : misericordia autem Domini super omnem carnem.

Corripiens , et erudiens , et docens , et convertens , quasi pastor gregem suum.

Miseretur excipientium doctrinam , et eorum qui festinant ad judicia ipsius.

Fili , in bonis ne des querelam , et in omni dato tristitiam verborum.

Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic verbum melius quam datum.

Nonne ecce verbum su-

cum contraria causa sit , cur illum erudiat , ne malo fine pereat , ¶ .  
11. et seqq. Subversionem illorum : exitum , ut supradictum , x. 16.

<sup>13</sup> Qui misericordiam : vide Gr. in eoque veri pastoris officia.

<sup>14</sup> Miseretur : vide Gr. Festinat : promptè ambulat , in judiciis , in mandatis ejus : ut passim Psalm. cxviii. Quo fine concludit responsum ad objecta , quæ commemorata sunt ad cap. xv. 11 , 12 , xvi. 16.

<sup>15</sup> In bonis : largiendis. Vide 18.

<sup>16</sup> Verbum melius quam datum : cum verba apposita dicta , estimationis ac benevolentiae argumenta sint , quibus vel maximè homines delectantur.

11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis , et ostendit eis viam aequitatis.

12. Miseratio hominis circa proximum suum : misericordia autem Dei super omnem carnem.

13. Qui misericordiam habet , docet et erudit , quasi pastor gregem suum.

14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis , et qui festinat in judiciis ejus.

15. Fili , in bonis non des querelam , et in omni dato non des tristitiam verbi mali.

16. Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum.

17. Nonne ecce verbum

per datum bonum ? et utraque apud hominem gratiosum.

Stultus acriter impropperabit : et datus invidi tabescere facit oculos.

Antequam loquaris, disce , et ante languorem adhibe medicinam. Ante judicium interroga te ipsum : et in horâ visitationis , invenies propitiationem.

Ante languorem humilia te ; et in tempore peccatorum , ostende conversionem.

Non impediaris reddere votum tempestivè : et non

super datum bonum ? sed utraque cum homine justificato.

18. Stultus acriter impropperabit : et datus indisciplinati tabescere facit oculos.

19. Ante judicium para justitiam tibi; et antequam loquaris , disce .

20. Ante languorem adhibe medicinam : et ante judicium interroga te ipsum ; et in conspectu Dei invenies propitiationem.

21. Ante languorem humilia te ; et in tempore infirmitatis , ostende conversationem tuam.

22. Non impediaris orare semper , et ne verear is us-

<sup>17</sup> Sed utraque cum homine justificato : utraque et verbum lene et donum præsto sunt homini justo ac bono : Gr. gratoso , miti :

<sup>18</sup> Acriter improperabit : dando ipsa beneficia exprobrabit ; quo fit id quod sequitur , ut inquis sit *datus* , *datio* , *datum* sive *donum* , *§ōtēs* , *indisciplinati* : Gr. invidi ; qui ita dat , tanquam accipienti donum invideat.

<sup>20</sup> In conspectu Dei : in horâ visitationis ( sive judicii ac pœnæ infligendæ. ) Gr.

<sup>21</sup> Infirmitatis : affecta valetudine : Gr. in tempore peccatorum : ( cùm peccata invalescere senties , sive , in tempore quo peccata punientur ) ostende conversionem , pro quo in Vulgat. scribæ reposuisse videntur *conversationem* : ut 24.

<sup>22</sup> Orare semper : Gr. reddere votum suo tempore. Ne verearis :

verearis usque ad mortem  
justificari : que ad mortem justificari :  
quoniam merces Dei manet  
in aeternum.

**Ante orationem præpara**  
te ipsum, et non sis quasi  
homo qui tentat Dominum.

Memento iræ in die con-  
summationis ; et tempus  
vindictæ in conversione fa-  
ciei.

Memento temporis famis  
in tempore saturitatis ; pau-  
pertatis et necessitatis in  
die divitiarum.

A mane usque ad ves-  
peram immutabitur tempus :  
et omnia sunt citata in oculis  
Domini.

Homo sapiens in omnibus  
metuet : et in diebus pecca-  
torum attendet à delicto.

ne tardes, ne cuncteris : Gr. *usque ad mortem justificari*. *Qui jus-  
tus est, justificetur adhuc*. Apoc. xxii. 11. *Quoniam merces Dei* :  
Paulus : *Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim sua  
metemus, non deficientes*. Gal. vi. 9.

<sup>23</sup> *Ante orationem* : sive ante votum.

<sup>24</sup> *Memento iræ in die consummationis*, mortis, et tempus : sup-  
ple : memento, pro, memento temporis : ut memorare novissima :  
suprà, vii. 40. Gr. memento tempus retributionis, ultionis, *in con-  
versatione* : pro conversione faciei : *ιτ ἀποφέντη προελάσσω*; cùm Deus  
vultum averterit, ac poenas infligere cœperit.

<sup>26</sup> *Immutabitur tempus* : occasio, rerum status. *Omnia sunt citata* :  
cita, velocia *in oculis Dei* : quòd tempore non egeat ad expedienda  
consilia, et uno ictu rem peragat.

<sup>27</sup> *In diebus delictorum* : vide <sup>21</sup>. *Ab inertid* : à peccato, Gr.

23. Ante orationem præ-  
para animam tuam ; et noli  
esse quasi homo qui tentat  
Deum.

24. Memento iræ in die  
consummationis, et tempus  
retributionis in conversatio-  
ne faciei.

25. Memento paupertati-  
s in tempore abundantiae,  
et necessitatum paupertatis  
in die divitiarum.

26. A mane usque ad ves-  
peram immutabitur tem-  
pus : et hæc omnia citata in  
oculis Dei.

27. Homo sapiens in om-  
nibus metuet : et in diebus  
delictorum attendet ab iner-  
tiâ.

Omnis intelligens novit sapientiam : et invenienti eam dabit confessionem.

Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt, et emiserunt quasi imbrem proverbia exquisita.

*Continentia Animæ.*

Post concupiscentias tuas non eas, et à desideriis tuis avertere.

Si præstes animæ tuæ beneplacitum concupiscentiæ, faciet te gaudium inimicorum tuorum.

Ne oblecteris in multâ epulatione, neque alligeris commissiōni ejus.

Non sis pauper de symbolis comessans ex fœnore : et nihil tibi est in sacculo.

28. Omnis astutus agnoscit sapientiam : et invenienti eam dabit confessionem.

29. Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt : et intellexerunt veritatem et justitiam, et impleverunt proverbia et judicia.

30. Post concupiscentias tuas non eas, et à voluntate tuâ avertere.

31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

32. Ne oblecteris in turbis, nec in modicis : assidua enim est commissio illorum.

33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo : eris enim invidus vitæ tuæ.

<sup>28</sup> *Omnis astutus.* Omnis homo prudens facile recognoscit eum, qui fuerit sapientiæ compos, talemque eum esse facile confitetur.

<sup>29</sup> *Impleverunt proverbia :* Gr. emiserunt quasi imbrem proverbia exquisita : sententias exquisitas.

<sup>30</sup> Hic in Gr. titulus : *Continentia animæ.* *Post concupiscentias non eas :* rectè August. aliud, non concupiscere, quod non est in potestate; aliud, ire post concupiscentias, iisque obsequi, quod peccato imputatur.

<sup>32</sup> *Ne oblecteris in turbis :* vide Gr. commissioni, symbolæ, compensationi ex symbolis, de quâ, ꝑ. seq.

<sup>33</sup> *Ne fueris.* Vide Gr.

## CAPUT XIX.

*Sequitur de continentia, ad 7. qui spernit modica, 1. de imprecando candidè, moderatè tamen, à 7. ad finem: multa interserta de falsa sapientia, 20 et seqq. deque hypocrisi, 23 et seqq. ac de indicis boni malevo animi ex specie, 27. increpatio ex ira; tacens, idem prudens, 28. sapientia, falsa solertia: hypocrite: ad finem.*

### SIXTINA VERSIO.

**OPERARIUS** ebriosus non locupletabitur; qui spernit modica, paulatim decidet.

Vinum et mulieres apostatare facient sapientes:

Et qui jungit se meretricibus, audacior erit. Tinea et vermes hæreditabunt illum; et anima audax tolletur de numero.

Qui credit citò, levis est corde; et qui peccat, in animam suam delinquet.

### VERSIO VULGATA.

**1. OPERARIUS** ebriosus non locupletabitur: et qui spernit modica, paulatim decidet.

2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos:

3. Et qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo et vermes hæreditabunt illum, et extollebitur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus.

4. Qui credit citò, levis corde est, et minorabitur; et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur.

<sup>1</sup> *Qui spernit modica.* Rectè hoc interserit, quòd soleant pedentim labi in intemperantiæ gurgitem.

<sup>2</sup> *Apostatare:* aberrare: à rectâ ratione discedere. *Et arguent sensatos:* imbecillis animi.

<sup>3</sup> *Fornicariis,* sive meretricibus. *Erit nequam:* Gr. audacior erit, contumacior: comparativum pro positivo, quem habent quidam codices; præfacta superbia, et confidentia in flagitia et pericula præceps. *Tollebitur de numero viventium anima ejus.* Gr. anima audax, id est, rebellis, contumax.

<sup>4</sup> *Qui delinquit:* qui peccat (cum meretricibus) in animam

**Qui gaudet corde , denotabitur ; et qui odit loquacitatem , minuitur malitiâ.**

5. Qui gaudet iniquitate , denotabitur ; et qui odit correptionem , minuetur vitâ ; et qui odit loquacitatem , extinguit malitiam.

6. Qui peccat in animam suam , pœnitibit ; et qui iucundatur in malitiâ , denotabitur.

7. Ne iteres verbum nequam et durum ; et non minoraberis.

8. Amico et inimico noli narrare sensum tuum : et si est tibi delictum , noli denudare.

9. Audiet enim te , et custodiet te ; et quasi defendens peccatum odiet te , et sic aderit tibi semper.

Audisti verbum ? commo-

10. Audisti verbum ad-

*suam , insuper habebitur : contemnetur : Gr. planior : qui peccat (incontinentia , quo de vitio agitur) in animam suam errabit , in seipsum delinquet ; sic Paulus : Omne peccatum , quocumque fecerit homo , extra corpus est : qui autem fornicatur , in corpus suum peccat . I. Cor. vi. 18.*

5 *Denotabitur : condemnabitur : Gr.*

6 *Qui peccat : Gr. deest : repetita versio ex 4 et 5.*

7 *Ne iteres : Gr. nunquam iteres verbum : et nihil tibi minuetur ; adversus eos , qui inculcando et obtundendo , quidvis imperare se posse confidunt.*

8 *Amico et inimico : indifferenter . Et si est tibi delictum : Gr. et si non est : cave à retegendi cuique obvio arcanis etiam innocuis.*

9 *Custodiet te : observabit : et quasi defendens peccatum : specie excusandi . Aderit tibi semper : assiduus tecum insidiandi animo : Gr. et in tempore odio te habebit : per se licet innoxia , pravo animo volutata , causas odii præbent.*

riatur tibi : fide, quoniam te non dirumpet.

A facie verbi parturit fatuus; sicut à facie infantis, ea quæ parit.

Sagitta infixa in femore carnis, sic verbum in corde stulti.

Corripe amicum, ne fortè non fecerit; aut si quid fecerit, ne iterum addat.

Corripe amicum, ne fortè non dixerit; et si dixerit, ut non iteret.

Corripe amicum : sæpe enim fit calumnia :

Et non omni verbo credas. Est qui labitur, sed non ex animo :

versus proximum tuum ? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.

11. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.

12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.

13. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, et dicat : Non feci ; aut si fecerit, ne iterum addat facere.

14. Corripe proximum, ne fortè non dixerit ; et si dixerit, ne fortè iteret.

15. Corripe amicum : sæpe enim fit commissio.

16. Et non omni verbo credas. Est qui labitur lingua, sed non ex animo.

**11 A facie verbi... tanquam gemitus :** verbum stulto erumpit, sicut parienti gemitus : Græc. à facie verbi (à verbo) parturit fatuus, tanquam à facie infantis (ab infante) paritura : stulto erumpit verbum, ut infans puerperæ.

**12 Sagitta :** infirmus animus verbo ut sagitta vulneratur.

**13 Ne fortè non intellexerit :** id quod factum opus : Gr. ne fortè non fecerit (id quod faciendum est) et si fecerit (malum) ne addat.

**14 Corripe proximum, ne fortè non dixerit,** id quod dicendum est : et si dixerit (malum) ne iteret.

**15 Sæpe fit commissio,** erratum : Gr. corripe amicum : (moderatè tamen) sæpe enim fit calumnia : unde subdit :

**16 Et non omni verbo credas.** Jam incipit moderari corripiendi studium, duobus præceptis : alterum, ne suspicaces simus, et plus demus calumniis aut rumoribus, quam oporteat : alterum, ut intelligamus ea quæ culpam extenuent : quale est istud, labi, sed facilitate ac levitate magis, quam studio, sive ex animo.

Et quis non deliquit in lingua sua? Corripe proximum tuum, priusquam commineris:

Et da locum legi Altissimi. Omnis sapientia, timor Domini, et in omni sapientia, effectio legis.

Et non est sapientia, nequitiae disciplina: et non est, ubi consilium peccatorum, prudentia.

Est nequitia, et ipsa execratio: et est insipiens, qui minuitur sapientia.

Melior est, qui minuitur sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem.

17. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripe proximum, antequam commineris.

18. Et da locum timori Altissimi: quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis.

19. Et non est sapientia, nequitiae disciplina: et non est cogitatus peccatorum, prudentia.

20. Est nequitia, et in ipsa execratio: et est insipiens, qui minuitur sapientia.

21. Melior est homo, qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.

*17 Antequam commineris: ne ira magis, quam admonendi studio, corripere te putet.*

*18 Et da locum timori: Gr. legi, Altissimi: quam juberis amicum diligere ut te ipsum. Dispositio legis: executio: Græc. non enim veribus, sed factis sapientem esse oportet.*

*19 Et non est sapientia. Docet uti veram, ita falsam esse sapientiam quæ doceat perversè agere, et consilium malorum adhibeat; quod etiam ad increpationem facit, ad quam necessaria est veri ac falsi discretio. Cogitatus: cogitatio; consilium: Gr.*

*20 Est nequitia: aperta et exosa. Est insipiens; non modo qui aperte desipit, verum etiam qui minuitur sapientia.*

*21 Et deficiens sensu: duplex versio: Gr. deest, Verissima sententia, melior est minus sapiens, sive intelligens, et interim timens Deum, quam qui doctior, transgreditur legem.*

**Est solertia certa, et ipsa iniqua :**

**Et est pervertens gratiam, ad ostendendum judicium.**

**Est nequiter agens, qui se humiliat nigredine, et in suis interioribus est plenus dolo : inclinans faciem, et semisurdus : ubi non fuerit agnitus, anticipabit te.**

**Et si ab imbecillitate virium veretur peccare, si invenerit tempus, malefaciet.**

**Ex visu cognoscetur vir ; et ab occurso faciei cognoscetur sensatus.**

**22** *Est solertia certa* : diligens, Gr. *et ipsa iniqua* : sunt pravè diligentes et sapientes : contra quod docet Paulus : *Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo*; sive ad patrandum malum. Rom. xvi. 19. Vide suprà, 19. Addit Gr. *et est pervertens gratiam* ; ( ac Dei benignitate abutens) ad ostendendum judicium: quo peccato maximè judicium, sive ultio Dei provocatur.

**23** *Est qui nequiter humiliat se* : addit Gr. *nigredine, pullâ et sordidâ veste* : *hypocritæ tristes* : οὐδεποτε. Matth. vi. 16.

**24. 25. Et qui se nimirum..... et si ab imbecillitate.** Gr. sic habet : (ille hypocrita pullatus de quo ψ. 23.) incurvans vultum : (obstipo capite, ne quid cernere videatur) et semisurdus : ἵτηπονωφῆται; alterâ aure surdus (surdastrum se singens, ne putes cum obserbare dicta tua, ad quæ tamen est acutissimis atque attentissimis auribus) ubi non fuerit agnitus, (si latere se sensit) præveniet te : (calumniis, quibus aures principum et civium occupabit.) *Et si pœ imbecillitate virium veretur peccare* (in te, seu nocere tibi) *si invenerit tempus, malè faciet.* Quibus graphicè pingitur pessimum hypocritarum ac susurronum genus.

**22. Est solertia certa, et ipsa iniqua.**

**23. Et est qui emittit verbum certum, enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo :**

**24. Et est qui se nimirum submittit à multâ humiliitate : et est qui inclinat faciem suam, et singit se non videre quod ignoratum est :**

**25. Et si ab imbecillitate virium veretur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.**

**26. Ex visu cognoscitur vir ; et ab occurso faciei cognoscitur sensatus.**

Amictus viri, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiat de illo.

Est correptio, quae non est decora: et est tacens, et ipse prudens.

27. Amictus corporis et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.

28. Est correptio mendax in irâ contumeliosi: et est judicium, quod non probatur esse bonum: et est tacens, et ipse est prudens.

<sup>27</sup> *Amictus*. Vide tria quibus homines maximè innotescunt: amictus insolens, incompositus, affectatâ munditie sive squalore: risus immodestus, petulans, mollis, inficetus: incessus superbus, desultorius.

<sup>28</sup> *Est correptio mendax*: indecora: Gr.

## CAPUT XX.

*Pergit de increpatione, ejusque fructu, 1, 3. judicia per vim, 2. tacens: loquax, 5, 6, 7. beneficia ut condienda, 10, 13. ad 20. homo insulsus, 21. sententia in tempore, 22. falsa verecundia, 24, 25. mendacium, 26, 27, 28. munerum vis, 31.*

### SIXTINA VERSIO.

Quam bonum est arguere, quam irasci! et qui vicissim confitetur, prohibebitur à diminutione.

Concupiscentia spadonis, devirginare juvenculam:

Sic, qui facit per vim judicia.

### VERSIO VULGATA.

1. Quam bonum est arguere, quam irasci, et confidentem in oratione non prohibere!

2. Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam: 3. sic qui facit per vim judicium iniquum.

<sup>1</sup> *Quam bonum*: quantò melius arguere, etc. Gr. *et confidentem*: Gr. *qui redargutus confitetur* (peccatum) prohibebitur à damno.

<sup>2-3</sup> *Concupiscentia..... sic qui facit per vim judicium*; judicia, Gr. *ut qui impotenti ardore aggreditur virginem*, quantum in ipso

4. Quām bonum est cor  
reptum manifestare pāni-  
tentiam ! sic enim effugies  
voluntarium peccatum.

**E**st tacens, qui invenitur  
sapiens : et est odibilis ex  
multā loquacitate.

**E**st tacens, non enim ha-  
bet responsum : et est ta-  
cens, sciens tempus.

**H**omo sapiens tacebit us-  
que ad tempus : lascivus  
autem et imprudens trans-  
gredietur tempus.

**Q**ui abundat sermone, in  
abominatione erit : et qui  
potestatem sibi sumit, odie-  
tur.

**E**st processio in malis vi-  
ro : et est inventio in detri-  
mentum.

**E**st datum, quod non erit  
utile tibi : et est datum, cu-  
jus retributio duplex.

**E**st minoratio propter  
gloriam : et est qui ab hu-  
militate levavit caput.

**E**st qui emat multa mo-

5. **E**st tacens, qui inveni-  
tur sapiens : et est odibilis,  
qui procax est ad loquen-  
dum.

6. **E**st tacens non habens  
sensum loquelæ : et est ta-  
cens, sciens tempus aptum.

7. **H**omo sapiens tacebit  
usque ad tempus : lascivus  
autem et imprudens non  
servabunt tempus.

8. **Q**ui multis utitur ver-  
bis, lædet animam suam :  
et qui potestatem sibi sumit  
injustè, odietur.

9. **E**st processio in malis  
viro indisciplinato : et est  
inventio in detrimentum.

10. **E**st datum, quod non  
est utile : et est datum, cu-  
jus retributio duplex.

11. **E**st propter gloriam  
minoratio : et est qui ab hu-  
militate levabit caput.

12. **E**st qui multa redimat

est, violat; ita qui per iniqua judicia legi vim infert, ejus castita-  
tem, quantum in ipso est, commaculat.

<sup>8</sup> **Q**ui multis : loquax : lædet animam suam : in abominatione  
erit : Gr.

<sup>9</sup> **E**st processio : sive progressus, ac felix successus, qui malo  
vertat.

<sup>12</sup> **E**st qui multa : sunt qui pretii vilitate capti, merces emant  
pessimas, quæ maximo postea detimento sint, domos, prædia, etc.

dico pretio, et restituens ea in septuplum.

Sapiens iu verbis, seipsum amabilem faciet : gratiae autem fatuorum effundentur.

Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius pro uno multi.

Exigua dabit, et multa improperabit : et aperiet os suum, tanquam præco.

Hodic fœnerabitur : et cras repetet : est odibilis homo hujusmodi.

Fatuus dicet, Non est mihi amicus, et non est gratia bonis meis :

Qui edunt panem meum, sunt mali linguâ. Quoties et quanti irridebunt eum?

modico pretio, et restituens ea in septuplum.

13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit; gratiae autem fatuorum effundentur.

14. Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt.

15. Exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius, inflammatio est.

16. Hodie fœneratur quis, et cras expetit : odibilis est homo hujusmodi.

17. Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius.

18. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, et quanti irridebunt eum?

19. Neque enim quod ha-

<sup>14</sup> *Septemplices sunt* : atque hujus generis qui objecta multiplicant : unde sequitur :

<sup>15</sup> *Exigua dabit, et multa improperabit* : exaggerabit beneficia. *Et apertio oris illius, inflammatio est* : tantas iras commovet, exprobrando beneficia : Gr. planior.

<sup>16</sup> *Hodie fœneratur quis, et cras expetit* : repetit. *Odibilis* : sic post beneficia, gratiae exactor nimius:

<sup>17</sup> *Gratia (memor animus) bonis (beneficiis) illius* : Gr. fatuus dicet : Non est mihi amicus, etc. sive fatui est male sentire de hominibus, atque hinc excusationes querere avaritiae ; sive id reverâ contingit fatuo, quod magis sequenti congruit.

<sup>18</sup> *Falsæ linguæ* : Gr. pravi linguâ : maledici.

<sup>19</sup> *Neque enim* ; habenda enim, et non habenda, danda æquæ

bendum erat , directo sensu  
distribuit : similiter et quod  
non erat habendum.

**Lapsus à pavimento ma-**  
**gis , quām à lingua :** sic ca-  
sus malorum festiuanter ve-  
niet.

**Homo sine gratiā , fabula**  
**intempestiva : in ore indis-**  
**ciplinatur assidua erit.**

**Ex ore fatui reprobabitur**  
**parabola : non enim dicet**  
**illam in tempore ejus.**

**Est qui vetatur peccare**  
**præ inopiā : et in requie suā**  
**non stimulabitur.**

**Est qui perdit animam**  
**suam præ confusione : et ab**

ac retinenda non rectā opinione distribuit : cui aliquid simile habet  
Complut.

**20 Lapsus falsae linguae , quasi qui in pavimento : tam lubricus ,**  
**tam præceps gravisque : atque hinc celerrimus malorum hominum**  
**casus.**

**21 Homo acharis : sine gratiā , insulsus , inficetus : quasi fabula**  
**vana : Gr. intempestiva , ( indecora , importuna ) tam est importu-**  
**nus , tam invitus : infra xxl . 19 . Narratio fatui , quasi sarcina in viā :**  
**quæ tamen fabula in ore indisciplinaturum , indoctorum , etc.**

**22 Ex ore fatui reprobabitur : improbabitur : parabola : sive recta**  
**ac pulchra sententia.**

**23 In requie : in cessatione : suā : in cessando à peccato : stimu-**  
**labitur : compungetur : non enim rectā certāque ratione , sed ex**  
**imbecillitate à peccatis abstinet : Gr. non compungetur : obscu-**  
**rius , atque omnino præferenda Vulgate lectio. Potest tamen Gr.**  
**intelligi inopem non id committere quo compungatur : quòd id**  
**inopia præstet , ut à peccato requiescere atque abstinere ne-**  
**cessere sit.**

imprudenti personā perdet eam.

**Est qui præ confusione promittit amico: et lucratus est eum inimicum gratis.**

Opprobrium nequam in homine mendacium : in ore indisciplinorum assiduè erit.

Potior fur, quām assiduus in mendacio : perditionem autem ambo hæreditabunt.

Mos hominis mendacis , inhonoratio ; et confusus cum ipso sine intermissione.

### *Sermones Parabolarum.*

Sapiens in verbis producet seipsum : et homo prudens placebit magnatis.

Qui operatur terram , inaltabit acervum suum ; et, qui placet magnatis, expiabit iniquitatem.

imprudenti personā perdet eam: personæ autem acceptio perdet se.

**25. Est qui præ confusione promittit amico : et lucratus est eum inimicum gratis.**

**26. Opprobrium nequam in homine mendacium : et in ore indisciplinorum assiduè erit.**

**27. Potior fur quām assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt.**

**28. Mores hominum mendacium sine honore ; et confusio illorum cum ipsis sine intermissione.**

**29. Sapiens in verbis producet seipsum : et homo prudens placebit magnatis.**

**30. Qui operatur terram suam,inaltabit acervum frugum : et qui operatur justitiam, ipse exaltabitur : qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem.**

**24 Ab imprudenti personā : gratificaturus personæ imprudenti, et non petenda petenti. Personæ acceptio. Alia lectio, quæ in quibusdam codicibus invenitur , meliore est , et magis perspicua.**

**29 Sapiens ; ante hunc versum in Gr. titulus : Sermones Parabolarum; quasi novo à principio inchoet sententias.**

**30 Qui placet magnatis : bonis artibus, ut suprà, 29. effugiet iniquitatem : expiabit, Gr. sive à se prohibebit: iniqui enim dominationem spernunt, majestatem blasphemant. Judæ y. 8.**

Xenia et dona excæcant oculos sapientium; et quasi frænum in ore, avertunt increpationes.

Sapientia absconsa, et thesaurus non comparens, quæ utilitas in utrisque?

Melior est homo, qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

31. Xenia et dona excæcant oculos judicum: et quasi mutus in ore avertis correptiones eorum.

32. Sapientia absconsa, et thesaurus invitus, quæ utilitas in utrisque?

33. Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

31. *Et quasi mutus.* Vide Gr.

33 *Melior est qui celat insipientiam:* pars enim sapientiæ est, cœlare quidquid inest insipientiæ: at tegere sapientiam, hoc est, veritatem premere, privatis ac reipublicæ, loco et tempore, recta consilia denegare, pertinet ad turpissimum adulacionis, invidiæ, corruptelæ vitium; quod genus insipientiæ est pessimum.

---

## CAPUT XXI.

*De peccato statim expiendo ad 5. superbi: humiliu*m* et pauperu*m* precatio, 6. correptio, 7. audax lingua, 8. mutuò accipientes, 9. malorum planum iter, infelix exitus, 11. sapientes: fatui, 17 ad 30. sibi adjicere sermones bonos, 18. risus, 23. rei alienæ curiosus, 26, 27. calumniator, 30. susurro, 31.*

### SIXTINA VERSIO.

FILI, peccasti? ne adjicias iterum, et de pristinis tuis deprecare.

Quasi à facie colubri, fuge à peccato: nam si accesseris, mordebit te.

<sup>2</sup>*Suscipient te: mordebit te.* Gr. Μέτραι, suscipiet: pro δίδεται, mordebit.

### VERSIO VULGATA.

1. FILI, peccasti? non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

2. Quasi à facie colubri, fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te.

Dentes leonis, dentes illius, interficientes animas hominum.

Quasi rhomphaea bis acuta, omnis iniquitas : plagae ejus non est sanatio.

Vehemens objurgatio et contumelia annullabunt substantiam : sic domus superbi annullabitur.

Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus : et judicium ejus festinatò advenit.

Qui odit correptionem, in vestigio peccatoris : et qui timet Dominum, convertetur in corde.

Notus à longè potens in linguâ : sensatus autem novit cùm ille labitur.

Qui ædificat domum in pecuniis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hiemem.

Stuppa collecta, synagoga peccantium : et consumma-

<sup>6</sup> Ad aures ejus : Dei. Judicium : ultio illatae injuriæ.

<sup>7</sup> Vestigium est : in vestigio est : Gr. sequitur vestigia peccatoris : Convertetur ad cor suum : ex animo, sive in corde : Gr.

<sup>8</sup> Notus à longè : vultu ipso se indicat. Labi se : labi eum : ab ipso : redundat. Vide Gr.

<sup>9</sup> In hieme : sive in hiemem : Gr. alienissimo ad ædificandum tempore.

3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.

4. Quasi rhomphaea bis acuta, omnis iniquitas; plagæ illius non est sanitas.

5. Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam : et domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbiæ : sic substantia superbiæ eradicabitur.

6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet : et judicium festinatò adveniet illi.

7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris : et qui timet Deum, converteatur ad cor suum.

8. Notus à longè potens linguâ audaci : et sensatus scit labi se ab ipso.

9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.

10. Stuppa collecta, synagoga peccantium ; et con-

tio illorum , flamma ignis.

Via peccantium complanata lapidibus ; et in fine illius , fovea inferni .

Qui custodit legem , continet sensum suum :

Et consummatio timoris Domini , sapientia .

Non erudietur , qui non est astutus .

Est astutia multiplicans amaritudinem .

Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit ; et consilium illius , sicut fons vitae .

Interiora fatui , quasi vas confractum ; et omnem scientiam non tenebit .

Verbum sapiens si audierit scius , laudabit illud , et ad se adjicet : audivit luxuriosus , et displicuit illi ; et projecit illud post dorsum suum .

Narratio fatui , quasi sarcina in viâ : in labio autem sensati invenietur gratia .

Os prudentis queretur in

summatio illorum , flamma ignis .

11. Via peccantium complanata lapidibus ; et in fine illorum inferi , et tenebræ , et pœnæ .

12. Qui custodit justitiam , continebit sensum ejus .

13. Consummatio timoris Dei , sapientia et sensus .

14. Non erudietur , qui non est sapiens in bono .

15. Est autem sapientia , quæ abundat in malo : et non est sensus ubi est amaritudo .

16. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit ; et consilium illius sicut fons vitae permanet .

17. Cor fatui quasi vas confractum ; et omnem sapientiam non tenebit .

18. Verbum sapiens quodcumque audierit , scius laudabit , et ad se adjicet : audivit luxuriosus , et displicebit illi ; et projicet illud post dorsum suum .

19. Narratio fatui , quasi sarcina in viâ : nam in labiis sensati invenietur gratia .

20. Os prudentis queritur

<sup>12</sup> *Sensum ejus : suum , Gr. suū compos erit .*

<sup>15</sup> *Non est sensus , ubi est amaritudo : insanum est ea concupis- cere , quorum est tristis exitus . Vide Gr .*

ecclesiâ : et verba illius cogitabit in corde.

Tanquam domus exterminata , sic fatuo sapientia : et scientia insensati , non vestigabilia verba.

Compedes in pedibus stultis doctrina , et quasi vincula manuum super manum dexteram.

Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacitè subridebit.

Sicut ornementum aureum prudenti doctrina , et quasi brachiale in brachio dextro.

Pes fatui velox in domum : homo autem peritus confundetur à personâ.

Stultus à januâ respicit in

<sup>20</sup> In ecclesiâ : quæ vox et Ecclesiam sonat , et cœtum omnem legitimum.

<sup>21</sup> Inenarrabilia verba : tot ambages , tot ineptias effutit , neque dictis modus.

<sup>22</sup> Compedes in pedibus : contrâ ac de sapiente dicitur seq. versu.

<sup>24</sup> Brachiale : ornamenti genus.

<sup>25</sup> Pes fatui : vir sapiens domi se continet : at fatuus inquieto animo discurrit per domos alienas , quemadmodum ait Paulus : *Ex his sunt qui penetrant domos.* II. Tim. iii. 6. *Universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Tit. i. 11. Recte apud Ambrosium ad virg. Pes fatui facilis in domum proximi : qui autem sapiens , verecundatur.

<sup>26</sup> A fenestrâ : à januâ , Gr. stultus alienarum rerum curiosus inspector.

in ecclesiâ : et verba illius cogitabunt in cordibus suis.

21. Tanquam domus exterminata , sic fatuo sapientia : et scientia insensati inenarrabilia verba.

22. Compedes in pedibus stulto doctrina , et quasi vincula manuum super manum dextram.

23. Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacitè ridebit.

24. Ornementum aureum prudenti doctrina , et quasi brachiale in brachio dextro.

25. Pes fatui facilis in domum proximi : et homo peritus confundetur à personâ potentis.

26. Stultus à fenestrâ re-

domum : vir autem eruditus foris stabit.

Stultitia hominis auscultare per ostium : prudens autem gravabitur contumeliam.

Labia alienorum in his gravabuntur : verba autem prudentium staterā ponderebuntur.

In ore fatuorum, cor illorum : cor autem sapientum, os eorum.

Dum maledicit impius diabolum , maledicit ipse animam suam.

Susurro coinquinat animam suam, et in cohabitatione odietur.

spiciet in domum : vir autem eruditus foris stabit.

27. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumeliam.

28. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium staterā ponderabuntur.

29. In ore fatuorum cor illorum : et in corde sapientum os illorum.

30. Dum maledicit impius diabolum , maledicit ipse animam suam.

31. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur : et qui cum eo manserit, odiosus erit. Tacitus et sensatus honorabitur.

27 *Gravabitur contumeliam*, id facere , grave et contumeliosum duceret.

28 *Labia imprudentium* : alienorum ( à sapientiā ) in his ( nempe in labiis ac sermonibus ) gravabuntur : Gr.

29 *In ore fatuorum* : fatuus dicendo incalescit, fandaque et infanda promit ; sapiens os continet, et in potestate habet.

30 *Diabolum* : sive satanam : Gr. ( aut calumniatorem , adversarium ) *maledicit animam suam* : quippe qui et diabolo auscultet, et ipse proximo sit satan , diabolus, adversarius.

31 *Susurro* : occultè serens jurgia : *coinquinabit* , etc. *in omnibus* : Gr. quocumque peregrinatus fuerit, *odietur*; et qui cum eo manserit : alia versio.

## CAPUT XXII.

*Piger, 1, 2. liberi malè instituti, 5, 4, 5. correptio, 6. docere fa-  
tuum, 7, 8, 9. quis lugendus, 10 et seqq. stulti vitandi, 14 et  
seqq. viri graves : leves, 19 et seqq. convitia, 25, 30. que am-  
icos alienent, 26 et seqq. fidus amicus, 28, 29, 31, 32. lingua  
33.*

## SIXTINA VERSIO.

LAPIDI conspurcato com-  
paratus est piger ; et omnis  
exsibilabit in ignominiam  
illius.

Stercori boum de ster-  
quiliniis comparatus est pi-  
ger : omnis qui tollit illud,  
excutiet manum.

Confusio patris de filio in-  
disciplinato : filia autem in  
minorationem fit.

Filia prudens hæreditabit  
virum suum : et quæ con-  
fundit, in tristitiam geni-  
toris.

Patrem et virum confun-

## VERSIO VULGATA.

1. IN lapide luteo lapida-  
tus est piger ; et omnes lo-  
quentur super aspernatio-  
nen illius.

2. De stercore boum la-  
pidatus est piger : et omnis  
qui tetigerit eum , excutiet  
manus.

3. Confusio patris est de  
filio indisciplinato : filia au-  
tem in deminoratione fiet.

4. Filia prudens hæredi-  
tas viro suo : nam quæ con-  
fundit, in contumeliam fit  
genitoris.

5. Patrem et virum con-

<sup>1</sup> In lapide luteo : omnium scommatis : velut injectis lapidibus  
lutosis conspurcabitur : Gr. lapidi luteo comparatus est : quod seq.  
congruit.

<sup>2</sup> De stercore. Vide Gr.

<sup>3</sup> Filia fatui in deminoratione : detrimentum illi est : propter in-  
stitutionem pravam.

<sup>4</sup> Quæ confundit : quæ agit turpia.

dit

dit audax : et ab utrisque  
inhonorabitur.

Musica in luctu, impor-  
tuna narratio : flagella, et  
doctrina in omni tempore  
sapientiae.

Qui docet fatuum, con-  
glutinat testam :

Excitat dormientem de  
gravi somno.

Enarrat dormitanti, qui  
enarrat stulto, et in fine di-  
cet : Quid est ? .

Super mortuum plora ;  
defecit enim lux : et super  
fatuum plora; defecit enim  
sensus.

Jucundiūs plora super  
mortuum, quoniam requie-  
vit.

Fatui autem super mor-

*5 Audax*, impudens mulier.

*6 Musica* : etiam musica, res suavissima, non semper delectat : at correptio et doctrina omni tempori congruit. *Sapientia* : sunt, sapienter adbibentur : vel (sunt) sapientiae, Gr. sapientiae con-  
gruunt.

*11. 12. Modicum plora.... nequissimi enim* : Græc. suaviūs (pla-  
cabilioribus lacrymis) plora super mortuum, quia requievit, (ces-  
savit, facto vitæ fine) fatui autem super mortem vita nequissima,

fundit audax : et ab im-  
piis non minorabitur : ab  
utrisque autem inhonora-  
bitur.

6. Musica in luctu, im-  
portuna narratio : flagella  
et doctrina in omni tem-  
pore sapientia.

7. Qui docet fatum,  
quasi qui conglutinat tes-  
tam.

8. Qui narrat verbum non  
audienti, quasi qui excitat  
dormientem de gravi som-  
no.

9. Cum dormiente loqui-  
tur, qui enarrat stulto sa-  
pientiam, et in fine nar-  
rationis dicit : Quis est  
hic ?

10. Supra mortuum plo-  
ra ; defecit enim lux ejus :  
et supra fatuum plora; de-  
fecit enim sensus.

11. Modicum plora supra  
mortuum, quoniam requie-  
vit.

12. Nequissimi enim ne-

tem vita nequissima.

Luctus mortui septem dies : fatui autem et impii , omnes dies vitæ illius.

Cum stulto ne multiplices sermonem : et ad insensatum non eas.

Serva te ab illo , ut non molestiam habeas , et non coinquineris in concusione illius.

Deflecte ab illo , et invenies requiem : et non acediaberis in stultitiâ illius.

Super plumbum quid gravabitur ? et quod illi aliud nomen , quàm fatuus?

Arenam et salem et massam ferri facilius est ferre , quàm hominem imprudentem.

Loramētum ligneum colligatum in ædificium non

miserrima : èò magis lugendus , quò tota vita ejus mors est , imò morte pejor.

<sup>16</sup> Non acediaberis : quod est tristio , tristique et deside incuria teneri.

<sup>17</sup> Super plumbum . Quid plumbo graviùs , nisi tardi illi obtusique homines , qui ad quamcumque rem nec se commovent : quibus nomen fatuis , stolidis.

<sup>18</sup> Arenam et salem : res scilicet gravissimas.

<sup>19</sup> Loramentum ligneum colligatum : ligna circumposita , aptèque conserta : in fundamento : in fulcimentum : ædificiū : vel ut habet Gr. cinctura linea , colligata in ædificium : non dis-

quissima vita super mortem fatui.

<sup>13</sup>. Luctus mortuiseptem dies : fatui autem et impii omnes dies vitæ illorum.

<sup>14</sup>. Cumstulto ne multum loquaris : et cum insensato ne abieris.

<sup>15</sup>. Serva te ab illo , ut non molestiam habeas ; et non coinquinaberis peccato illias.

<sup>16</sup>. Deflecte ab illo , et invenies requiem ; et non acediaberis in stultitiâ illius.

<sup>17</sup>. Super plumbum quid gravabitur ? et quod illi aliud nomen , quàm fatuus?

<sup>18</sup>. Arenam et salem et massam ferri facilius est ferre , quàm hominem imprudentem , et fatuum , et impium.

<sup>19</sup>. Loramentum ligneum colligatum in fundamento

**dissolvetur in concusione :**  
sic cor confirmatur in cogitatione consilii :

In tempore non metuet cor firmatum in cogitatione intellectus. Sicut ornat us arenosus parietis lippidi ,

Pali in excelso positi, contra faciem venti non permanebunt;

Sic cor timidum in cogitatione stulti, contra omnem timorem non resistet.

*solvetur : sic et cor confirmatum : sic et viri graves, exquisitis excogitatisque consiliis firmi : contrà, leves et improvidi, de quibus in seqq.*

*21 Sicut pali : vel sepimenta, et cémenta sine impensa; lev i ope re : posita : non permanebunt.*

*22 Sic et cor timidum : trepidum, improvidum, nec firmis consiliis constabilitum, etc. Gr. verbis differt; res eadem : nempe, ut non stant contra ventum, neque linitura arenosa, quantumvis levigata, ad ornatum parietis, neque sustentacula sive sepimenta in excelso loco posita, et exposita procellis: ita homines leves, neque excogitatis constabilitos consiliis, timore dejici, adversis ingruentibus. Summa à ꝑ. 19. graves viros esse similes bene constitutis compactisque iedificiis; leves verò, levibus ac levi operâ, ad ornatum potius quam ad stabilimentum compositis, qualia memorat Ezech. xxi. 10. et seqq. et xxii. 28.*

*23 Sicut cor trepidum : alia præcedentium interpretatio ac lectio, ea que perturbata, nec integra.*

i edifici non dissolvetur : sic et cor confirmatum in cogitatione consilii.

20. Cogitatus sensati in omni tempore metu non depravabitur.

21. Sicut pali in excelsis, et cémenta sine impensa posita, contra faciem venti non permanebunt :

22. Sic et cor timidum in cogitatione stulti, contra im petum timoris non resistet.

23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet; sic et qui in præceptis Dei permanet semper.

Pungens oculum , deducet lacrymas ; et qui pungit cor , profert sensum.

Mittens lapidem in volatilia abigit illa ; et qui convitiatur amico , dissolvet amicitiam.

Ad amicum etsi produxeris gladium , non desperes : est enim regressus.

Ad amicum si aperueris os , non timeas : est enim concordatio : excepto improperio , et superbiâ , et mysterii revelatione , et plagâ dolosâ : in his effugiet omnis amicus.

Fidem posside in paupertate cum proximo ; ut in bonis illius simul implearis.

In tempore tribulationis permane illi ; ut in hæreditate illius cohæres sis.

24. Pungens oculum , deducit lacrymas ; et qui pungit cor , profert sensum.

25. Mittens lapidem in volatilia , dejicit illa : sic et qui convitiatur amico , dissolvit amicitiam.

26. Ad amicum etsi produxeris gladium , non desperes : est enim regressus. Ad amicum

27. Si aperueris os triste , non timeas : est enim concordatio : excepto convitio , et improperio , et superbiâ , et mysterii revelatione , et plagâ dolosâ : in his omnibus effugiet amicus.

28. Fidem posside cum amico in paupertate illius ; ut et in bonis illius læteris.

29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis ; ut et in hæreditate illius cohæres sis.

<sup>24</sup> *Qui pungit* : pungendo oculum , lacrymas ; pungendo cor , stimulando , excitando monitis , castigationibus , non fletum , sed sensum , intellectum , sapientiam elicimus. *Qui pungit cor* ; qui meditando excitat et stimulat.

<sup>25</sup> *Dejicit* : Gr. abigit.

<sup>26. 27.</sup> *Ad amicum* : adversus amicum : *si produxeris* , eduxeris *gladium*. *Si aperueris os* : si inconsideratè triste verbum emiseris : spes est reconciliandæ gratiæ. *Excepto improperio* : at hæc immediabilia : convitium studiosè illatum , sive improperium , ac beneficij exprobatio , de quâ xx. 14, 15. xli. 28. superbia , sive despiciētia , arcani revelatio , et cæci per proditionem ictus. *In his omnibus effugiet amicus* : neque erit redditus.

**Ante ignem camini vapor et fumus : sic ante sanguines convitia.**

**Amicum protegere non confundar ; et à facie illius non me abscondam : etiam si mala mihi evenerint per illum :**

**Omnis qui audit, cavebit sibi ab eo.**

**Quis dabit mihi in ore meo custodiam , et super labia mea signaculum astutum; ut non cadam ab illâ , et lingua mea perdat me ?**

**30. Ante ignem camini vapor , et fumus ignis inaltatur : sic et ante sanguinem maledicta , et contumeliae , et mineæ.**

**31. Amicum salutare non confundar ; à facie illius non me abscondam ; et si mala mihi evenerint per illum , sustinebo.**

**32. Omnis qui audiet , cavebit se ab eo.**

**33. Quis dabit ori meo custodiam , et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis , et lingua mea perdat me?**

**30. *Ante ignem..... sic ante sanguinem (cædem) maledicta.***

**31. *Per illum : propter illum : atque etiam ab illo.***

**32. *Omnis qui audiet , à me agnoscí amicum , adversā licet fortunā , cavebit se ab eo lædendo , cùm videat præsto esse qui juvet.***

**33. *Quis dabit ori meo custodiam? quam David postulabat , Psalm. cxl. 3. ut non cadam ab ipsis : per ipsa scilicet labia.***

## CAPUT XXIII.

*Precatio ne sibi quisque relinquatur , 1. et seqq. De ore regendo aduersus juramenta et maledicta , 7. ad 21. de intemperientia , ad finem : Deus occulorum inspector , 25 et seqq. fornicarius , 24. adulter , 25. adultera , 32. et seqq.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIO VULGATA.

**Domine pater , et dominator vitæ meæ , ne derc-**

**1. Domine pater , et dominator vitæ meæ , ne de-**

linquas me in consilio eorum; non sinas me cadere in illis.

Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiae? ut ignorationibus meis non parcant; et non prætermittant delicta illorum:

Ut non accrescant ignorantiae meæ, et peccata mea abundant, et decidam in conspectu adversariorum; et gaudebit super me inimicus meus.

Domine pater, et Deus vita meæ,

Elationem oculorum ne dederis mihi; et concupiscentiam averte à me.

relinquas me in consilio eorum; nec sinas me cadere in illis.

2. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiae? ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta eorum,

3. Et ne adincrescant ignorantiae meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundant, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat super me inimicus meus.

4. Domine pater, et Deus vita meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.

5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi; et omne desiderium averte à me.

<sup>1</sup> *Eorum*: linguae et labiorum, de quibus præcedentis capitulis <sup>ix.</sup> ultimo: ac si diceret: ne me loquacitati permittas. *In illis*: labiis, verbis, ut eodem versu.

<sup>2</sup> *In cogitatu meo flagella*: ac punctiones illas, de quibus xxii. 24. *Eorum*: meis, Gr. *non parcant mihi*, cogitatio mea; cor meum: ne mihi ipse indulgeam: *et non appareant delicta eorum*: cogitationum et cordis; sit animus ipse sibi monitor. Summa: adsint conscientiae stimuli, ne per ignorantiam peccem: mibique nimis indulgeam, nec peccata cognoscam, quibus tandem peream.

<sup>3</sup> *Incidam*: decidam: Gr.

<sup>4</sup> *Ne derelinquas*: Gr. deest: et ab anterioribus repetitum videtur.

Ventrī appetitio et concubitus ne apprehendant me : et animæ irreverenti ne tradas me.

6. Ausfer à me ventrī concupiscentias , et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me : et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me.

*Doctrina oris.*

Doctrinam oris audite , filii ; et qui custodierit , non capietur in labiis suis.

7. Doctrinam oris audite , filii : et qui custodierit illam , non periet labiis , nec scandalizabitur in operibus nequissimis.

Apprehendetur peccator : et maledicus et superbus scandalizabuntur in illis.

8. In vanitate suâ apprehenditur peccator : et superbus et maledictus scandalizabitur in illis.

Jurationi non assuefacias os tuum :

9. Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illâ.

Et nominationi Sancti non assuescas.

10. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo , et nominibus sanctorum non admiscearis : quoniam non eris immunis ab eis.

Sicut enim servus interrogatus assiduè , à livore non

11. Sicut enim servus interrogatus assiduè , à livore

6 *Animæ irreverenti : inverecundæ : et infrunitæ : stolidæ , indocili , infrugiferæ , ne tradas me.*

7 *Doctrinam oris : regendi : quâ de re agit fusè postea : præfigitur autem titulus in Gr. Doctrina oris. Non periet labiis : non capietur : Gr.*

8 *Scandalizabitur : offendet : in illis : in labiis , in dictis.*

10 *Nominatio : jurandi causâ ; non enim assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. xx. 7.*

11 *Sicut enim servus : ambiguae vitæ , nec liquidæ innocentiaæ. Interrogatus assiduè , in examen adductus , ac semper purgationis indigens ; à livore : sive à verberibus non minuetur : non ei minuen-*

minuetur : sic et jurans et nominans semper à peccato non purgabitur.

Vir multum jurans implebitur iniuitate; et non discedet à domo ejus plaga.

Si deliquerit , delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit deliquit dupliciter.

Etsi in vacuum juraverit, non justificabitur : replebitur enim obductionibus dominus ejus.

Est loqua inducta morte: non inveniatur in hæreditate Jacob.

non minuitur : sic omnis jurans et nominans , in toto à peccato non purgabitur.

12. Vir multum jurans implebitur iniuitate ; et non discedet à domo illius plaga.

13. Et si frustraverit , delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit , delinquit dupliciter.

14. Et si in vacuum jura verit, non justificabitur : replebitur enim retributio ne domus illius.

15. Est et alia loqua contraria morti : non inveniatur in hæreditate Jacob.

tur verbera , neque plagarum erit immunis. *Sic omnis jurans et nominans* ( Dei nomen assumens) *in toto* ( in totum) à peccato non purgabitur ; cùm nullà fide dignus , juramento et cautione semper indigeat.

<sup>13</sup> *Si frustraverit* : fefellerit fidem jurejurando firmatam. *Et si dissimulaverit* : si non tantum desit promisso bonâ fide dato, verùm etiam malâ fide promiserit, ac ficto animo juraverit, tantò nequior.

<sup>14</sup> *Et si in vacu m*, sive in vanum, nullà necessitate , nec fallendi animo, sed animi levitate *juraverit*, non erit innocens: non solùm enim falsa, verùm etiam vana juramenta mala sunt. Vide autem , ¶. 13, 14. triplex jurisjurandi genus : juratam fidem fallere; ficto animo jurare ; jurare in vanum : atque hæc omnia reprobata.

<sup>15</sup> *Est et alia loqua* : aliud in loquendo vitium juramento vix inferius, nempe convitiandi studium, ¶. 17. quæ duo connectit ; ac videtur alludere ad illud Levitici xix. quo loco postquam ita edictum est : *non perjurabis*,.... *nec pollues nomen Dei tui*, 12. statim de maledicto et calumniâ subditur: *non facies calumniam*, 13. *non maledices surdo*, 14. *non eris criminatōr et susurro in populo*, 16. *Contraria morti*: contrā et ex adverso posita morti, eique

A piis enim omnia hæc auferentur; et in peccatis non se voluntabunt.

Indiscipline temerariæ non assuefacias os tuum: est enim in cā verbum peccati.

Memento patris et matris tuæ: in medio enim magnatorum consistis:

Ne quando oblivioni tradaris in conspectu illorum, et consuetudine tuâ infatueris: et voles non esse natus, et diem nativitatis tuæ maledices.

16. Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur; et in delictis non voluntabuntur.

17. Indisciplinatæ loquelaæ non assuescat os tuum: est enim in illâ verbum peccati.

18. Memento patris et matris tuæ: in medio enim magnatorum consistis:

19. Ne fortè obliviscatur te Deus; in conspectu illorum, et assiduitate tuâ infatuatus, improperium patiaris; et maluisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas.

par: Gr. ἀπιπελεῖσθαι: sive ut alii codices; ἀπιπερίεῖσθαι: ex æquo respondens morti; sive induita morte. Alii blasphemiam intelligunt, sive maledicta in Deum: infanda nec cognita piis, de quibus Levit. xxiv. 11. et seqq.

16 Misericordibus: piis.

17 Indisciplinatæ loquelaæ, temerariæ loquacitati, cui convitia ac maledicta subjuncta sunt; ut y. 20. Verbum peccati: Heb. notus, verbum pro re, pro peccato ipso scilicet.

18 Memento patris et matris tuæ. Ne illis maledicas aut detrahias; alioquin in medio magnatorum consistis: vocaberis in judicium, cui sequens congruit:

19 Ne fortè obliviscatur te Deus: justè deserat, omnique ope destituat, in conspectu illorum: evocatum in judicium: et assiduitate tuâ infatuatus: maledicendi consuetudine pro insano habitus, et ipse vicissim improperium patiaris: turpi notâ inustus à judicibus, et tunc maluisses non esse natus, etc. Aliter eodem fermè sensu: Memento patris ac matris, ne eis turpem notam inferas, cùm vocatus in judicium condemnaberis: quia filiorum opprobria in parentes redundant. Ne obliviscatur te Deus: Gr. simpliciter; ne obliquioni tradaris; penitus deseraris à tuis.

Homo assuescens verbis improperii, in omnibus diebus suis non eruditetur.

Duo genera abundant peccatis, et tertium adducet iram.

Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec deglutiatur :

Homo fornicarius in corpore carnis suæ, non desinet donec accenderit ignem.

Hemini fornicario omnis panis dulcis : non cessabit usque ad finem.

Homo qui transgreditur lectum suum, dicens in animo suo : Quis me videt ?

Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo me videt : quid vereor ? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

<sup>21</sup> *Duo genera hominum, de quibus suprà actum est : primo loco jurans ꝑ. 9. secundo loco maledictis assuetus, 15. abundant peccatis : addendum tertium, quod inducat exitium, nempe libido et intemperantia.*

<sup>22</sup> *Anima calida : libidinum æstu flagrans. Donec aliquid glutiat : Gr. donec deglutiatur ; consumatur suo ipsius igne.*

<sup>23</sup> *Homo nequam : fornicarius : Græc. πόρος, pro quo Vulgatus legit πονητός : in ore, Gr. in corpore, σίματι, pro σάματι : donec incendat ignem : quo ipse tabescat.*

<sup>24</sup> *Homini fornicario omnis panis : quæcumque voluptatis esca dulcis : insatiabili cupiditate percitus, non fatigabitur : Gr. non cestabit usquam.*

20. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non eruditetur.

21. Duo genera abundant in peccatis : et tertium adducit iram et perditionem.

22. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat :

23. Et homo nequam in ore carnis suæ, non desinet donec incendat ignem.

24. Homini fornicario omnis panis dulcis : non fatigabitur transgrediens usque ad finem.

25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt ?

26. Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor ? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

**Et oculi hominis timor ejus.**

**Et non cognovit, quoniam oculi Domini decies millies lucidiores sole, inspicientes omnes vias hominum, et intuentes in absconditas partes.**

**Antequam crearentur, omnia sunt ei agnita ! sic et postquam consummata sunt.**

**Hic in plateis civitatis vindicabitur; et ubi non speravit, apprehendetur.**

**Sic et mulier relinquens**

**27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius : quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum :**

**28. Et non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.**

**29. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia.**

**30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, et quasi pullus equinus fugabitur : et ubi non speravit, apprehendetur.**

**31. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini.**

**32. Sic et mulier omnis**

**27. *Expellit à se timorem Dei.* Is qui talia dicit, metu amittendæ voluptatis, timorem Dei abjicit : Gr. deest: desunt etiam alia obscurissima; sic autem habet : et oculi hominum timor illius : is qui talia jactat quæ habentur §. 26. neque Deum timet, oculos timet hominum; abstineretque à flagitio si testes homines habere se crederet.**

**28. *Non cognovit:* non cogitat, etc. *Multò plus :* decies millies; Gr.**

**30. *Hic :* talis homo, adulter : de quo §. 25.**

virum, et statuens hæreditatem ex alieno.

Primò enim in lege Altissimi incredula fuit, et secundò in virum suum deliquit, et tertio in fornicatione mœchata est; ex alieno viro filios statuit.

Hæc in ecclesiam educetur, et in filios ejus visitatio erit.

Non diffundentur filii ejus in radicem, et rami ejus non dabunt fructum.

Relinquetur in maledictum memoria ejus, et dedecus ejus non delebitur.

Et cognoscent qui relict sunt, quoniam nihil melius timore Domini, et nihil dulcius quam attendere mandatis Dei.

relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio :

33. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundò in virum suum deliquit; tertio in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi.

34. Hæc in ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur.

35. Non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum.

36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur.

37. Et agnoscent qui relict sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei; et nihil dulcius quam respiceret in mandatis Domini.

38. Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.

<sup>33</sup> *Primò enim* : nota tria in fornicariam, ex Deo, ex marito, ex sobole.

<sup>34</sup> *In ecclesiam* : in judicium vocato legitimo cœtu. *In filios ejus respicietur* : inquiretur : erit in eos inspectio : Gr. ἐμακονή : ejus progeniem Deus ultor insequetur, ut docent seqq.

## CAPUT XXIV.

*Laus sapientiae : ejus ante omnia saecula ortus ex Deo : atque in Israele sedes : inexhausta abundantia.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIOS VULGATA.

### *Laudatio sapientiae.*

SAPIENTIA laudabit animam suam, et in medio populi sui gloriabitur.

In ecclesiâ Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur.

Ego ex ore Altissimi prodigi :

<sup>1</sup> *Sapientia laudabit animam suam : seipsam, noto hebraismo ; quâ phrasî Deus ipse Is. 1. 14. Solemnitates vestras odivit anima mea. Præfatio laudationis, quâ docetur sapientiam solam esse dignam, quæ se ipsam laudet ; quam laudem orditum* <sup>2</sup>. 5. *Populi sui : ergo sapientia illa Deus ipse est, neque quisquam nisi Deus hoc sensu Israelitas populum suum appellat.*

<sup>1</sup>. SAPIENTIA laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabiatur,

<sup>2</sup>. Et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur,

<sup>3</sup>. Et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sanctâ admirabitur,

<sup>4</sup>. Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicitur, dicens :

<sup>5</sup>. Ego ex ore Altissimi prodigi primogenita ante omnem creaturam :

<sup>3</sup> *In plenitudine sanctâ : pleno consessu, admirabitur, admirationi erit.*

<sup>5</sup> *Ex ore Altissimi prodigi : ergo sapientia illa, quæ est Deus, ex ore Dei prodiit ; Deus ergo ex Deo. Primogenita ; Gr. deest : duc-*

Et sicut nebula obtexi terram.

Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis.

Gyrum cœli circuivi sola, et in profundo abyssorum deambulavi. In fluctibus maris,

Et in omni terrâ, et in omni populo,

Et gente possedi.

Cum his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate cuius morabor.

Tunc præcepit mihi Crea-

tum ex Prov. viii. 22. et seqq. atque ex hujus loci sententiâ Paulus vocat Christum primogenitum omnis creaturæ : Col. i. 15. hoc est, genitum, anteaquam quidquam crearetur.

*6. Lumen indeficiens* : sol : nam illa lux quæ beatas collustrat mentes, quæque omnem hominem illuminat, ipsa est sapientia, non aliquid quod fecerit. *Indeficiens*, inextinctum : *sicut nebula* : nominandi easu : quòd quaquaversus sapientia diffundatur.

*7. In columnâ nubis* : illâ quâ populâ noctu illustrabatur.

*10. 11. Primum habui* : Gr. possedi, quæ autem est illa vis, quæ et à Deo sit, et omnes gentes imperio teneat, nisi filius Dei à Deo, æquè Deus? *Requiem quæsivi* : sedem, in quâ solium collocarem. *In hæreditate Domini* ; Gr. quæsivi in cuius hæreditate morarer, in quâ gente, in quo populo.

*12. Tunc præcepit*. Cum sapientia ipsa sit Verbum Dei (*fons enim sapientiae, Verbum Dei in excelsis, suprà, 1. 5.*) ergo idem est præ-

6. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram :

7. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis.

8. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi,

9. Et in omni terrâ steti : et in omni populo,

10. Et in omni gente primatum habui :

11. Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi : et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.

12. Tunc præcepit, et

tor omnium : et qui creavit me, quiescere fecit tabernaculum meum,

Et dixit : in Jacob inhabita, et in Israel hæreditare.

Ante sæculum ab initio creavit me : et usque ad sæculum non desuam. In habitatione sanctâ coram ipso ministravi :

Et sic in Sion firmata sum : in civitate dilectâ similiter quiescere me fecit, et in Jerusalem potestas mea.

Et radicavi in populo honorificato, in parte Domini, hæreditatis ejus.

dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

13. Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.

14. Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam ; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

15. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.

16. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

ceptum Patris : ergo præcepit, cùm genuit : ut præclarè Augustinus passim. *Requievit* : Gr. requievit, activè : requiescere fecit tabernaculum meum. Cùm ego sapientia omnium gentium domina, (¶. 10.) quærerem ubi sedem collocarem, (11.) Deus ostendit mihi Israëliticum populum, in quo tabernaculum figerem. (12, 13.) *Qui creavit me* : quid Hebreus habeat, et quid illud creare sit apud antiquos illos interpres, diximus, Prov. viii. 22.

<sup>14</sup> *Ab initio*, sive ante sæculum : Gr. *usque ad futurum* : usque ad sæculum : Gr. ergo æterna, et ipse Deus, cùm neque initium, neque finem habeat. Quod enim est à sæculo in sæculum, Gr. secundūm Scripturas nullo initio est. *Ministravi* : ut decebat sapientiam Deo ipsi congenerem, quâ Deus ut conjunctâ sibi, et apud se existente agit. Joan. 1. 2.

<sup>15</sup> *In civitate sanctificatâ* : dilectâ : Gr.

<sup>16</sup> *In parte Dei mei hæreditas illius* : sapientiae, id est, mei, vide Gr. *Detentio mea*, domicilium.

Quasi cedrus exaltata sum  
in Libano, et quasi cupres-  
sus in montibus Ærmon.

Quasi palma exaltata sum  
in littoribus, et quasi plan-  
tae rosæ in Jericho.

Quasi oliva speciosa in  
campo : et quasi platanus  
exaltata sum.

Sicut cinnamomum, et  
aspalathus aromatum dedi  
odorem : et tanquam myrra  
electa dedi suavitatem  
odoris.

Quasi galbanum et ungula  
et gutta, et quasi Libani  
vapor in tabernaculo :

Ego quasi terebinthus ex-  
pandi ramos meos : et rami  
mei, rami honoris et gratiæ.

Ego quasi vitis fructificavi  
gratiam : et flores mei,

<sup>17</sup> In monte Sion : Gr. in montibus Ærmon, sive Hermon : notis-  
simis.

<sup>18</sup> In Cades. Alii in Gaddi, sive Engaddi, ubi palmeta nobilia,  
et balsamus. In littoribus : Gr.

<sup>19</sup> Juxta aquam in plateis; ac per vicos urbium decurrentem.

<sup>20</sup> Et balsamum. Gr. aspalathus, planta odorifera apud Plinium  
et cæteros. Myrrha electa : optima.

<sup>21</sup> Ungula : (onyx) : pro nardo quam continet. Gutta : Gr. stacte,  
odoramenti genus. Quasi Libanus : thus.

fructus

17. Quasi cedrus exaltata  
sum in Libano, et quasi cy-  
pressus in monte Sion :

18. Quasi palma exaltata  
sum in Cades, et quasi plan-  
tatio rosæ in Jericho ;

19. Quasi oliva speciosa in  
campis : et quasi platanus  
exaltata sum juxta aquam  
in plateis.

20. Sicut cinnamomum,  
et balsamum aromatizans  
odorem dedi : quasi myrrha  
electa dedi suavitatem odo-  
ris.

21. Et quasi storax et gal-  
banus et ungula et gutta, et  
quasi Libanus non incisus  
vaporavi habitationem me-  
am ; et quasi balsamum non  
mistum odor meus.

22. Ego quasi terebin-  
thus extendi ramos meos :  
et rami mei honoris et gra-  
tiæ.

23. Ego quasi vitis fruc-  
tificavi suavitatem odoris :

fructus honoris et honestatis. et flores mei fructus hono-  
ris et honestatis.

24. Ego mater pulchræ  
dilectionis, et timoris, et  
agnitionis, et sanctæ spei.

25. In me gratia omnis  
viæ et veritatis: in me om-  
nis spes vitæ et virtutis.

26. Transite ad me, om-  
nes qui concupiscitis me, et  
à generationibus meis im-  
plemini.

27. Spiritus enim meus  
super mel dulcis, et hæreditas mea  
super mellis favum.

28. Memoria mea in ge-  
nerationes sæculorum.

29. Qui edunt me, adhuc  
esurient; et qui bibunt me,  
adhuc sitient.

30. Qui audit me, non  
confundetur: et qui operantur  
in me, non peccabunt.

31. Qui elucidant me, vi-  
tam æternam habebunt.

32. Hæc omnia liber vitæ,

Qui edunt me, adhuc esu-  
rient; et qui bibunt me,  
adhuc sitient.

Qui audit me, non con-  
fundetur: et qui operantur  
in me, non peccabunt.

Hæc omnia, liber testa-

24 *Ego mater pulchræ dilectionis*: sive ut alii codices: *Ego mater dilectionis illius pulchræ* (quà diligitur Deus): non turpium amo-  
rum: et *agnitionis*: Dei veritatis: vel, optima cognitu.

26 *A generationibus, fructibus.*

27 *Spiritus meus*: memoria mea: Gr.

32 *Hæc omnia continet liber vitæ*: Gr. liber testamenti, sive  
legis.

menti Dei Altissimi :

Legem, quam mandavit Moyses, hæreditatem synagogis Jacob.

et testamentum Altissimi,  
et agnitus veritatis.

33. Legem mandavit Moy-ses in præceptis justiuarum, et hæreditatem domui Ja-cob, et Israel promissiones.

34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, et in throno honoris sedentem in sempi-ternum.

35. Qui implet quasi Phi-son sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum.

Qui implet quasi Eu-phrates sensum, et quasi Jordanis in diebus messis.

36. Qui adimplet quasi Euphratessensum: qui mul-tiplicat quasi Jordanis in tempore messis.

Qui emittit disciplinam, sicut lucem, quasi Gehon in diebus vindemiæ.

37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens qua-si Gehon in die vindemiæ.

Non consummavit primus scire ipsam: et sic ultimus non investigavit eam.

38. Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam.

<sup>33</sup> *Domui Jacob*: congregationibus Jacob: Gr.

<sup>34</sup> *Posuit David*. Hic commemorat Salomonem, ut primum sen-tentiarum auctorem, quem ipse imitetur: Gr. deest.

<sup>35</sup> *Qui implet* (Deus) quasi Phison sapientiam. In Moyse (sive etiam in Salomone) pleno flumine decurrentem. In diebus novo-rum fructuum; quo exundare solet solutis nivibus: ut Jordanis in messe. ¶ seq.

<sup>37</sup> *Assistens*: affluens: Gr. deest.

<sup>38</sup> *Qui perficit primus*: qui primus dedit operam sapientiæ: et infirmior: postremus, Gr. ubi etiam totus versus sic habet: non consummavit primus scire ipsam, et sic ultimus non investigabit eam, sapientiam scilicet, quam neque primi, neque postremi sa-pientes, aliorum licet instituti præceptis, capere potuerunt.

A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium ejus ab abyssō magnā.

Et ego, sicut fossa de flumine, et sicut aquæductus exivi in paradisum.

Dixi, Potabo hortum meum : et inebriabo pratum meum.

Et ecce facta est mihi fossa in fluvium ; et fluvius meus factus est in mare.

Adhuc doctrinam , quasi antelucanum , illuminabo , et ostendam eam usque in longinquum.

39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abyssō magnā.

40. Ego sapientia effudi fluminia.

41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio ; ego quasi fluvii Dioryx , et sicut aquæductus exivi de paradiſo.

42. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum , et inebriabo prati mei fructum.

43. Et ecce factus est mihi trames abundans , et fluvius meus appropinquavit ad mare :

44. Quoniam doctrinam , quasi antelucanum , illuminabo omnibus ; et enarrabo illam usque ad longinquum.

45. Penetrabo omnes in-

<sup>39</sup> A mari enim :..... ab abyssō : tanquam à mari, tanquam ab Oceano : cogitationibus velut à profundo, atque inexhausto mari deductis.

<sup>40</sup> Effudi fluminia : et quæ paradisum , et quæ mentes hominum tantà copiâ irrigarunt.

<sup>41</sup> Ego (sapientia loquitur) quasi trames , quasi fossa. Quasi fluvii Dioryx : alia versio ; dioryx enim fossa.

<sup>43</sup> Trames : Gr. et facta est mihi fossa in fluvium , et fluvius in mare : ( crescente et exundante doctrinâ.)

<sup>44</sup> Doctrinam , quasi antelucanum : tanquam crepusculum matutinum : Gr. ortum : illumino : accendam ; illustrem faciam. Et enarrabo illam : doctrinam : Gr. ostendam , declarabo illa , quæ dixi , præcepta sapientie.

Adhuc doctrinam, quasi prophetiam effundam; et relinquam illam in generationes sæculorum.

Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus eam.

*45 Inspiciam omnes dormientes: penetrabo usque ad mortuorum sedem.*

*46 In progenies: in generationes sæculorum. Usque in ævum sanctum: in sempiternam vitam reservatam sanctis.*

*47 Vilete: quod videtur dicere, non jam ipsa sapientia, quæ hactenus locuta est, sed hujus libri auctor: ut infrà, xxxiii. 18.*

## CAPUT XXV.

*Tria optanda: tria exosa: labora juvenis, 5. senum gloria, 6. et seqq. res novem jucundæ sensibus: decima super omnia timor Domini, 9 et seqq. inter pessima nihil pejus quam mulier nequam, 15. ad finem: mulier continenda domi, 34.*

SIXTINA VERSIO.

In tribus decora facta sum;  
et surrexi decora coram Deo  
et hominibus:

VERSIO VULGATA.

1. In tribus placitum est  
spiritui meo, quæ sunt probata  
coram Deo et hominibus:

<sup>1</sup> *In tribus.* In Gr. sapientia pergit loqui.

Concordia fratrum , et amicitia proximorum , et vir et mulier sibi bene consentientes.

Tres autem species odi vit anima mea , et indignata sum vita illorum :

Pauperem superbum , et divitem mendacem ; senem adulterum diminutum intellectu.

Injuventute tuâ non congregasti : et quomodo in senectute tuâ invenies ?

Quàm speciosum canitiei judicium , et presbyteris cognoscere consilium !

Quàm speciosa veteranis sapientia , et gloriosis intellectus et consilium !

Corona senum multa peritia , et gloria illorum timor Domini.

Novem cogitationes bea-

2. Concordia fratrum , et amor proximorum , et vir et mulier bene sibi consentientes.

3. Tres species odivit anima mea , et aggravor valde anime illorum :

4. Pauperem superbum , divitem mendacem , senem fatuum et insensatum.

5. Quæ in juventute tuâ non congregasti , quomodo in senectute tuâ iuvenies ?

6. Quàm speciosum canitiei judicium , et presbyteris cognoscere consilium !

7. Quàm speciosa veteranis sapientia , et gloriosis intellectus et consilium !

8. Corona senum multa peritia , et gloria illorum timor Dei.

9. Novem insuspicia

*4 Divitem mendacem* : quòd deceat eos liberaliter agere , non instar egenorum , multa mentiri ac fallere comparando victu . *Senem fatuum* : adulterum : Gr.

*6 Quàm speciosum* ; quàm decet canos senesque judicandi officium : quàm congruit senioribus cognoscere consilium , quod dent exquirentibus !

*7 Veteranis , senibus , gloriosis , honoratis , optimatibus .*

*9 Novem insuspicia* : novem cogitationes seu suspicione beatas existimavi in corde meo , Gr. novem enim isti beati : 1. in prole felix , 2. diu vivens , valensque , 3. qui videt subversos inimicos , 4. cui uxor prudens obtigit , 5. cuius verba irreprehensa sunt , 6. qui non servit indignis , 7. qui habet amicum verum , 8. qui jura sua , quæque opus habeat , enarraturus , aurem aitentam ac benevolam

tificavi in corde , et decimam dicam in lingua :

Homo , qui jocundatur in filiis , vivens , et videns subversionem inimicorum .

Beatus qui habitat cum muliere sensata , et qui in lingua non est lapsus , et qui non servivit indigno se :

Beatus qui invenit prudentiam ; et qui narrat in aures audientium .

Quam magnus est , qui invenit sapientiam ! sed non est super timentem Dominum .

Timor Domini super omnia se superposuit :

Qui tenet illum , cui assimilabitur ?

cordis magnificavi , et decimum dicam in lingua hominibus :

10. Homo , qui jucundatur in filiis , vivens , et videns subversionem inimicorum suorum .

11. Beatus qui habitat cum muliere sensata , et qui in lingua sua non est lapsus , et qui non servivit indignis se .

12. Beatus qui invenit amicum verum ; et qui enarrat justitiam auri audienti .

13. Quam magnus , qui invenit sapientiam et scientiam ! sed non est super timentem Dominium .

14. Timor Dei super omnia se superposuit .

15. Beatus homo , cui donatum est habere timorem Dei : qui tenet illum , cui assimilabitur ?

nactus est , 9. qui invenit sapientiam : haec novem exequitur à ¶. 11. ad 14. Decimum autem omnia supergressum , timorem Domini , ¶. 13, 14. 15, 16. Sanè viventem valentemque , ac videntem subversos inimicos , pro duobus numeramus : alioquin octo tantum essent bona , ac nonum excidisset : quod autem pro amico vero , ¶. 12. Gr. habet , prudentiam , vix à sapientia scientiaque secernitur , quam nono loco refert . Quo loco sapientiam intelligas , prout apud homines sumitur : cum vera sapientia sit timor Domini , decimo gradu memoratus . De inimicis vero subversis , meminerimus nos audire hic sensus humanos , per quos , velut per gradus devenimus ad summum illud , verumque et divinum bonum , timorem Domini .

16. Timor Dei initium dilectionis ejus : fidei autem initium agglutinandum est ei.

17. Omnis plaga tristitia cordis est : et omnis malitia , nequitia mulieris.

Omnem plagam , et non plagam cordis :

Et omnem nequitiam , et non nequitiam mulieris :

Omnem obductionem , et non obductionem odientium :

Et omnem vindictam , et non vindictam inimicorum.

Non est caput super caput colubri :

Et non est ira super iram inimici. Commorari leoni et draconi placebit mihi , quām

18. Et omnem plagam , et non plagam videbit cordis:

19. Et omnem nequitiam , et non nequitiam mulieris :

20. Et omnem obductum , et non obductum odientium :

21. Et omnem vindictam , et non vindictam inimicorum.

22. Non est caput nequius super caput colubri :

23. Et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit ,

<sup>16</sup> *Timor Dei*. Hic versus in Sixtinā deest, supplendus ex aliis codicibus. *Fidei autem initium agglutinandum est ei* : Gr. *sides initium agglutinandi se ei*, sive *agglutinationis (conjunctionis) cum eo*.

<sup>17</sup> *Omnis plaga* : alia lectio sequentis , obscura et imminuta : Gr. deest.

<sup>18. 19.</sup> *Omnem plagam* : videbit vir æquo animo, *sed non plagam cordis*, læsi et vulnerati, frustrato amore et violatā fide , infrā , 31. xxvi. 8. xxvii. 22 , 23. ita et *omnen nequitiam*, *sed non mulieris*, tantā est yafrtie : tot artes nocendi novit.

<sup>20</sup> *Omnem obductum* : impetum adversæ fortunæ.

<sup>21</sup> *Omnem vindictam* : etiam à publicâ potestate ; est enim exortabilis: *sed non inimicorum*, qui se nec evitari, nec placari sinunt.

habitare cum muliere ne-  
quam.

Malitia mulieris immutat  
faciem ejus, et obcæcat vul-  
tum ejus quasi saccum. In  
medio proximorum suorum

Concidet vir ejus, et au-  
diens suspiravit amarè.

Brevis omnis malitia ad  
malitiam mulieris: sors pec-  
catoris cadat super illam.

Ascensus arenosus in pe-  
dibus veterani : sic mulier  
linguata viro quieto.

Ne procidas ad speciem  
mulieris, et non concupis-  
cas mulierem.

Ira , et irreverentia , et  
confusio magna ; mulier , si  
subministret viro suo.

quàm habitare cum mulie-  
re nequam.

24. Nequitia mulieris im-  
mutat faciem ejus , et ob-  
cæcat vultum suum tan-  
quam ursus : et quasi sac-  
cum ostendit. In medio  
proximorum ejus

25. Ingemuit vir ejus , et  
audiens suspiravit modicum.

26. Brevis omnis malitia  
super malitiam mulieris :  
sors peccatorum cadat super  
illam.

27. Sicut ascensus arenosus  
in pedibus veterani , sic  
mulier linguata homini  
quieto.

28. Ne respicias in mulie-  
ris speciem , et non concu-  
piscas mulierem in specie.

29. Mulieris ira , et irre-  
verentia , et confusio magna .

30. Mulier , si primatum

<sup>24</sup> *Obcæcat* (obscurat) *vultum* ejus : exasperando atque effe-  
rando : à nativâ formâ in ursi speciem mutat. *Tanquam saccum*  
*ostendit* : rugosum et squallidum facit.

<sup>25</sup> *Modicum* : presso dolore scilicet. At Gr. suspiravit amarè :  
modicum , fortè à sequenti petitum.

<sup>27</sup> *Ascensus arenosus* : tam gravis verbosa mulier viro quieto ,  
quàm grave est seni grassari et obrepere per clivum arenosum , nullo  
pedum fulcimento.

<sup>29</sup> *Mulieris ira , et irreverentia* : inverecundia : et confusio , causa  
pudoris magna : addit Gr. causam ; nempe , si subministret viro  
( quo vivat :) id enim et viro turpe , et mulieri causa superbiendi ,  
ac sœviendi in vitum.

habeat , contraria est viro suo.

**C**or humile , et facies tristis , et plaga cordis , mulier nequam.

**M**anus debiles , et genua dissoluta , quæ non beatificabit virum suum.

**A** muliere initium peccati , et per illam omnes morimur.

**N**e des aquæ exitum , nec mulieri nequam , potestatem.

**S**i non ambulaverit ad manum tuam , a carnis tuis abscinde illam.

**31.** Cor humile , et facies tristis , et plaga cordis , mulier nequam.

**32.** Manus debiles et genua dissoluta , mulier quæ non beatificat virum suum.

**33.** A muliere initium factum est peccati , et per illam omnes morimur.

**34.** Non des aquæ tuæ exitum , nec modicum : nec mulieri nequam veniam prodeundi.

**35.** Si non ambulaverit ad manum tuam , confundet te in conspectu inimicorum.

**36.** A carnis tuis abscinde illam , ne semper te abutatur.

**31** *Plaga cordis* : vide 18.

**33** *A muliere* : ex Gen. iii.

**35** *Ad manum tuam* : ad imperium tuum , instar jugalis freno obsequentis.

---

---

## CAPUT XXVI.

*De muliere bond', 1, 2, 3. zelotypa, 5. et seqq. mulier nequam, 10. et seqq. fornicarice indicia, 12. filia inverecunda, 13. et seqq. mulier bona, 16. et seqq. à justitiâ ad peccatum transitus quam odiosus, 26, 27.*

### SIXTINA VERSIO.

MULIERIS bonæ beatus vir : et numerus annorum illius duplex.

Mulier fortis oblectat vi-  
rum suum : et annos illius implebit in pace.

Pars bona mulier bona , in parte timentium Domi-  
num dabitur.

Divitis autem et paupe-  
ris cor bonum in omni tem-  
pore vultus hilaris.

A tribus timuit cor meum,  
et in quarto facie supplica-  
vi :

Delaturam civitatis , et  
collectionem turbæ ,

Et calumniam menda-

### VERSIO VULGATA.

1. MULIERIS bonæ beatus vir : numerus enim anno-  
rum illius duplex.

2. Mulier fortis oblectat virum suum : et annos vitæ illius in pace implebit.

3. Pars bona mulier bona , in parte timentium Deum dabitur viro pro fac-  
tis bonis.

4. Divitis autem et paupe-  
ris cor bonum , in omni tem-  
pore vultus illorum hilaris.

5. A tribus timuit cor meum , et in quarto facies mea metuit :

6. Delaturam civitatis , et collectionem populi :

7. Calumniam mendacem:

<sup>4</sup> *Divitis autem.* Sive divitis , sive pauperis cor lætum , vultum ex-  
hilarat : quæ sententia referri videtur ad ÿ. 2.

<sup>6</sup> *Delaturam civitatis :* Gr. *σταθμὴν.* Civitati crimen illatum , nec  
privatis tantum , sed universæ communitatî , per calumniam . *Collec-  
tionem populi :* Gr. turbæ , sive inconditæ multitudinis . *Calumniam  
mendacem :* mendacium , Gr.

cem, super mortem omnia  
gravia.

Dolor cordis et luctus,  
mulier

Zelotypa in mulierem zelotypam, et flagellum linguæ omnibus communicans.

Boum jugum quod movetur, mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.

Ira magna, mulier ebriosa: et turpitudinem suam non conteget.

Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum, et in palpebris illius agnosceret.

In filiâ non avertente se, firma custodiam; ne inventâ remissione, utatur se.

super mortem omnia gravia.

8. Dolor cordis et luctus, mulier zelotypa.

9. In muliere zelotypâ flagellum linguæ, omnibus communicans.

10. Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.

11. Mulier ebriosa, ira magna: et contumelia et turpitude illius non tegetur.

12. Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum, et in palpebris illius agnosceret.

13. In filiâ non avertente se, firma custodiam; ne inventâ occasione, utatur se.

<sup>8</sup> *Dolor cordis.* Quartum illud, ima pectoris vulnerans: *Mulier zelotypa:* sive, ut habet Gr. æmula mulieri; urunt enim se mutuò æmale fœmuæ, virumque velut in medio deprehensum requiescere non sinunt.

<sup>9</sup> *In muliere zelotypâ,* sive æmulâ, est *flagellum linguæ, omnibus communicans:* sive commune. Indicat maledicta communicata ac dissipata in vulgo.

<sup>10</sup> *Boum jugum:* conjugium jugum quoddam: *quod movetur,* concutitur, distrahitur, incertisque fertur motibus: *σαλεύσμενος:* ubi viro bono *mulier nequam copulatur.*

<sup>12</sup> *In extollentiâ oculorum:* in inverecundiâ et proterviâ, et *in palpebris:* in mollitié: quales sunt illi oculi, quos vocat Petrus adulterii plenos. II. Pet. 11. 14.

<sup>13</sup> *In filiâ non avertente se:* *ἀδιαρέπτω,* quod etiam inverecundam sonat.

Post irreverentem oculum  
cave; et non mireris, si in  
te deliquerit.

Sicut viator sitiens osape-  
rit, et ab omni aquâ proximâ  
bibet, contra omnem palum  
sedebit, et contra sagittam aperiet pharetram.

Gratia mulieris delectabit  
virum suum, et ossa illius  
impinguabit

Scientia ipsius.

Datum Domini est mulier  
taciturna: et non est commutatio eruditæ animæ.

Gratia super gratiam,  
mulier pudorata:

Et non est pondus omne,  
dignum continentis animæ.

Sol exoriens in altissimis  
Domini, et species mulieris  
bonæ in ornamento domûs  
suæ.

14. Ab omni irreverentiâ  
oculorum ejus cave; et ne  
mireris, si te neglexerit.

15. Sicut viator sitiens ad  
fontem os aperiet, et ab  
omni aquâ proximâ bibet,  
et contra omnem palum se-  
debit, et contra, omnem  
sagittam aperiet pharetram,  
donec deficiat.

16. Gratia mulieris sedu-  
læ delectabit virum suum,  
et ossa illius impinguabit.

17. Disciplina illius datum  
Dei est.

18. Mulier sensata et ta-  
cita, non est immutatio  
eruditæ animæ.

19. Gratia super gratiam,  
mulier sancta et pudorata.

20. Omnis autem ponde-  
ratio non est digna continen-  
tis animæ.

21. Sicut sol oriens mun-  
do in altissimis Dei, sic mu-  
lieris bonæ species in orna-  
mentum domûs ejus.

<sup>14</sup> Irreverentiâ: inverecundo oculo: Gr. *Si te neglexerit: si monita tua despexerit.* Vide Gr.

<sup>15</sup> Sicut viator sitiens ab omni fonte potat, lassusque ad omnem palum considebit, ac defiget tentorium, et sicut qui tela congerit, ad omnem sagittam pharetram aperiet, donec deficiat locus; sic puella inverecunda omni amori patet, quod auctor per modestiam retinet.

<sup>18</sup> Mulier sensata: supple, donum quoque Dei est, ex antecedente. Non est immutatio: commutatio, pretium; eruditæ animæ.

**Lucerna lucens super can-**  
**delabrum sanctum, et spe-**  
**cies faciei in ætate stabili.**

**Columnæ aureæ super ba-**  
**sim argenteam, et pedes**  
**decori in pectoribus stabilis.**

**In duobus contristatum**  
**est cor meum, et in tertio**  
**iracundia mihi advenit.**

**Vir bellator deficiens per**  
**inopiam : et viri sensati si**  
**contemnuntur.**

**Regrediens à justitiâ ad**  
**peccatum, Dominus para-**  
**bit eum ad rhomphæam.**

**Difficilè exuetur negoti-**  
**ans à delicto; et non jus-**  
**tificabitur caupo à peccato.**

**22. Lucerna splendens su-**  
**per caudelabrum sanctum,**  
**et species faciei super æta-**  
**tem stabilem.**

**23. Columnæ aureæ su-**  
**per bases argenteas, et pe-**  
**des firmi super plantas sta-**  
**bilis mulieris.**

**24. Fundamenta æterna**  
**supra petram solidam, et**  
**mandata Dei in corde mu-**  
**lieris sanctæ.**

**25. In duobus contrista-**  
**tum est cor meum, et in ter-**  
**tio iracundia mihi advenit.**

**26. Vir bellator deficiens**  
**per inopiam: et vir sensatus**  
**contemptus :**

**27. Et qui transgreditur à**  
**justitiâ ad peccatum, Deus**  
**paravit eum ad rhom-**  
**phæam.**

**28. Duæ species difficiles**  
**et periculosæ mihi apparue-**  
**runt: difficilè exuitur ne-**  
**gotians à negligentiâ ; et**

**22 Candelabrum sanctum : in templo : species faciei : formæ**  
**pulchritudo : super ætatem stabilem : maturam : en species pu-**  
**diceæ mulieris, sanctum quid, et candelabri sancti facibus compa-**  
**ratum.**

**23 Columnæ aureæ : pulchra pulchris, firma firmis fulta, com-**  
**parat mulieri super plantas firmis vestigiis consistenti, nec vagæ**  
**atque incompositæ; quod magis ad animum referendum, ex vers.**  
**seq. Stabilis mulieris, ἀστεῖος : rectæ, benè librato corpore : quod**  
**autem pro sepius, quod Vulgatus legisse videtur, id est, firmamen-**  
**tis (pedum) seu plantis, Græc. nunc habet επιπλόη, pectoribus, nullo**  
**sensu, omnino repudiandum.**

**28 Negotians : mercator : à negligentia : mercatura opus sollici-**

non justificabitur caupo à peccatis labiorum.

¶  
tum : *caupo à peccatis labiorum* : ars cauponaria scatens mendaciis inflato rerum pretio.

---

## CAPUT XXVII.

*Inopia, avaritia, emptio et venditio, 1, 2, 3. cogitationum cribra-  
rio, 5. cultura animorum, 6. ex sermone quemvis explora, 8.  
quærenda justitia : veritas : juramenta, 15. maledicta : infida  
amicitia : arcuorum proditio, 17 et seqq. dissimulator sibi ipsi  
accersit pœnam, 25 et seqq.*

### SIXTINA VERSIO.

PROPTER indifferens multi deliquerunt : et qui quærerit locupletari , avertet oculum.

In medio compaginis lapidum palus figetur , et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum.

Si non in timore Domini tenuerit se instanter , citò subvertetur domus ejus.

### VERSIO VULGATA.

1. PROPTER inopiam multi deliquerunt : et qui quærerit locupletari , avertit oculum suum.

2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur , sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum.

3. Conteretur cum delinquentे delictum.

4. Si non in timore Domini tenueris te instanter , citò subvertetur domus tua.

<sup>1</sup> Avertit oculum : à lege , sive à malis imminentibus , quorum avaritia radix est. I. Tim. vi. 10.

<sup>2</sup> Angustiabitur peccatum , ουρπίζεται , constringetur , firmabitur.

<sup>3</sup> Conteretur : alia versio. Cum delinquentē ; abest à Gr. neque ullum habet sensum.

In percussurâ cribri remanet simus ; sic quisquiliæ hominis in cogitatione ejus.

Vasa siguli probat fornax , et tentatio hominis in sermocinatione ejus.

Culturam ligni ostendit fructus ipsius ; sic verbum excogitatum , hominis cor.

Ante sermonem non laudes virum ; hæc enim tentatio est hominum.

Si sequareis justitiam , apprehendes : et indues illam , quasi poderem honoris.

Volatilia ad sibi similia divertent ; et veritas ad eos , qui operantur ipsam , revertetur.

Leo venationi insidiatur : sic peccata operantibus iniqua.

<sup>5</sup> *Sicut in percussurâ (concuSSIONE) cribri remanet pulvis : lappilli, arena, sic aporia, dubitatio in cogitatu, in ratiocinatione hominis : velut cibratione quâdam bona malave consilia secernuntur.*

<sup>7</sup> *Sicut rusticatio : vide Gr. in quo tamen nonnihil desideres.*

<sup>9</sup> *Poderem : illustrem vestem.*

<sup>10</sup> *Veritas... qui operantur illam : tractant, meditantur, cum eâque assuescant.*

<sup>11</sup> *Leo venationi..... sic peccata. Ubi consuetudinem peccandi*

5. Sicut in percussurâ cribri remanet pulvis ; sic aporia hominis in cogitatu illius.

6. Vasa siguli probat fornax , et homines justos tentatio tribulationis.

7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius , sic verbum ex cogitatu cordis hominis.

8. Ante sermonem non laudes virum; hæc enim tentatio est hominum.

9. Si sequareis justitiam , apprehendes illam : et indues , quasi poderem honoris , et inhabitabis eum eâ , et proteget te in sempiternum ; et in die agnitionis invenies firmamentum.

10. Volatilia ad sibi similia conveniunt ; et veritas ad eos , qui operantur illam , revertetur.

11. Leo venationi insidiatur semper : sic peccata operantibus iniquitates.

Narratio pii semper sapientia : stultus autem ut luna mutatur.

In medio insensatorum serva tempus : in medio autem cogitantium assiduus esto.

Narratio fatuorum odiosa; et risus eorum in deliciis peccati.

Loquela multum jurantis arriget capillos ; et jurgium eorum obturatio aurum.

Effusio sanguinis rixa superborum : et maledictio illorum auditus gravis.

Qui denudat arcana , fidem perdidit ; et non inveniet amicum ad animum suum.

Dilige amicum, et conjungere fide cum illo.

Si autem denudaveris absconsa illius, non persecuaris post eum.

feceris, repente ac tanquam ex occulto irruunt, et imparatos rapiunt.

<sup>13</sup> In medio... serva verbum temporis : hebraismus, pro, serva tempus, sive opportunitatem, ut habet Gr. parcē et cū tempus resque postulat, versare cum insipientibus : at, in medio cogitantium, intelligentium, assiduus esto.

<sup>15</sup> Irreverentia : Gr. jurgium corum, obturatio aurum : propter juramenta interserta. Vide seqq.

<sup>19</sup> Quod si denudaveris : vide §. 22.

12. Homo sanctus in sapientia manetsicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.

13. In medio insensatorum serva verbum temporis : in medio autem cogitantium assiduus esto.

14. Narratio peccantium odiosa; et risus illorum in deliciis peccati.

15. Loquela multum jurans horripilationem capit statuet ; et irreverentia ipsius obturatio aurum.

16. Effusio sanguinis in rixā superborum : et maledictio illorum auditus gravis.

17. Qui denudat arcana amici , fidem perdit : et non inveniet amicum ad animum suum.

18. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo.

19. Quod si denudaveris absconsa illius , non persecueris post eum.

Sicut

Sicut enim perdidit homo inimicum suum ; sic qui perdidit amicitiam proximi.

Et sicut qui dimisit avem de manu suâ ; sic dimisisti proximum , et non cum capies.

Non illum sequaris , quoniam longè discessit ; et effugit quasi caprea de laqueo.

Quoniam vulnus est colligare : et maledicti est concordatio :

Qui autem denudavit mysteria , desperavit.

Annuens oculo fabricat iniqua ; et nemo ipsum removebit ab ipso.

In conspectu oculorum tuorum inducabit os tuum , et super sermones tuos admirabitur. Novissimè autem

20. Sicut enim homo qui perdit amicum suum ; sic et qui perdit amicitiam proximi sui.

21. Et sicut qui dimittit avem de manu suâ : sic dereliquisti proximum tuum , et non eum capies.

22. Non illum sequaris , quoniam longè abest : effugit enim quasi caprea de laqueo , quoniam vulnerata est anima ejus.

23. Ultra eum non poteris colligare : et maledicti est concordatio :

24. Denudare autem amici mysteria , desperatio est animæ infelicis.

25. Annuens oculo fabricat iniqua ; et nemo eum abjicit :

26. In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum , et super sermones tuos admirabitur : novissi-

<sup>20</sup> *Qui perdit amicum* : qui cœdit. Sensus est proditionem arcani cœdem esse amicitiae , nec magis resurgere cœsam ac mortuam , quam amicum (aut inimicum) neci deditum. Vide autem vers. 22 , 23 , 24.

<sup>23</sup> *Non poteris colligare* : obligare vulnus. Vide Gr. cuius sensus est , ut obligari et sanari vulnus , ita maledictum resarciri posse ; at arcani proditione rem in desperationem adduci.

<sup>25</sup> *Annuens oculo*. Hac phrasi designatur artifex plura nutibus quam verbis conficiens : omnis malæ rei dissimulator, de quo supra , xix. 23. et Prov. vi. 13. x. 10. *Nemo eum abjicit* , nemo declinat ictus tam cautè concinnantis dolos.

pervertet os suum , et in verbis tuis dabit scandalum.

Multa odivi , et non coæquavi ei ; et Dominus odiet illum.

Qui in altum mittit lapidem , super caput suum mittit : et plaga dolosa dividet vulnera.

Qui foveam fodit , incidet in eam ; et qui statuit laqueum , in eo capietur.

Qui facit mala , super ipsum involventur : et non agnoscet unde adveniant sibi.

Illusio , et improperium superborum , et vindicta sicut leo insidiabitur illi.

Laqueo capientur , qui oblectantur casu justorum ; et dolor consumet illos antequam moriantur.

Ira et furor , etiam hæc sunt abominationes , et vir peccator continens erit illorum.

<sup>27</sup> Non coæquavi ei quemquam ; nihil æquè odi atque ipsum.

<sup>28</sup> Plaga dolosa : qui cæco ictu ferit per tenebras , sæpe seipsum vulnerat . Dividet vulnera : diducet ; forte etiam vulneribus dividet carnes.

<sup>31</sup> Illusio et improperium , pœna insidiatrix , sicut leo , insequetur illusores , etc.

<sup>33</sup> Continens erit illorum : obnoxius .

mè autem pervertet os suum , et in verbis tuis dabit scandalum.

27. Multa audivi , et non coæquavi ei ; et Dominus odiet illum.

28. Qui in altum mittit lapidem , super caput ejus cadet : et plaga dolosa , dolosi dividet vulnera.

29. Et qui foveam fodit , incidet in eam : et qui statuit lapidem proximo , offendet in eo : et qui laqueum alii ponit , peribit in illo.

30. Facient inequissimum consilium , super ipsum devolvetur : et non agnoscet unde adveniat illi.

31. Illusio , et improperium superborum , et vindicta sicut leo insidiabitur illi.

32. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum ; dolor autem consumet illos antequam moriantur.

33. Ira et furor , utraque execrabilia sunt , et vir peccator continens erit illorum.

## CAPUT XXVIII.

*Non ulciscendum, 1 ad 10. non contendendum, 10, et seqq. bilinguis, 15. lingua tertia, seu serens jurgia, 16 et seqq. continendæ aures et os, 28. sermones suos quisque purget, 29, 30.*

### SIXTINA VERSIO.

Qui vindicat, à Domino  
inveniet vindictam; et pec-  
cata illius servans servabit.

Remitte injuriam proxi-  
mo tuo: et tunc deprecan-  
ti tibi peccata solventur.

Homo homini reservat  
iram; et à Deo quærit me-  
delam.

In hominem similem sibi  
non habet misericordiam;  
et de peccatis suis depreca-  
tur.

Ipse cùm caro sit, reser-  
vat iram: quis propitiabit  
peccata illius?

Memento novissimorum,  
et desine inimicari:

Tabitudo et mortis: et  
permane in mandatis.

### VERSIO VULGATA.

1. Qui vindicari vult, à  
Domino inveniet vindic-  
tam: et peccata illius ser-  
vans servabit.

2. Relinque proximo tuo  
nocenti te: et tunc depre-  
canti tibi peccata solventur.

3. Homo homini reservat  
iram, et à Deo quærit me-  
delam.

4. In hominem similem  
sibi non habet misericor-  
diam, et de peccatis suis  
deprecatur.

5. Ipse cùm caro sit, re-  
servat iram, et propitiatio-  
nem petit à Deo: quis exo-  
rabit pro delictis illius?

6. Memento novissimo-  
rum, et desine inimicari:

7. Tabitudo enim et mors  
imminent in mandatis ejus.

<sup>2</sup> Relinque: dimitte: remitte: Gr.

<sup>3</sup> Homo homini: servus servo. Vide Matth. xviii. 32.

<sup>7</sup> Tabitudo... in mandatis ejus: supple, in ulciseentes: intentata scilicet mortis poena in transgressores legis, quales illi sunt, qui non benefaciunt inimico, nec pecus quoque ejus reducunt ad eum; ubi Tertullianus: quantò magis jubentur ut ipsum sibi? Exod. xxiiii.  
<sup>4, 5</sup> Paulus etiam docet vetere lege ultiāō ultiāō; Rom. xii.

Memorare mandata ; et  
ne irascaris proximo,

Et testamentum Altissi-  
mi, et despice ignorantiam.

Abstine à lite, et minues  
peccata.

Homo enim iracundus in-  
cendet litem : et vir pecca-  
tor turbabit amicos, et in  
medio pacem habentium  
immittit calumniam.

Secundùm materiam ignis,  
sic exardescet : secundùm  
virtutem hominis, iracundia  
illius erit : et secundùm sub-  
stantiam exalabit iram su-  
am : et secundùm firmitatem  
rixæ exardescet.

Contentio festinata incen-  
dit ignem, et rixa festinans  
effundit sanguinem.

Si sufflaveris scintillam ,  
exardescet : et si expueris  
super illam, extinguetur :

19, 20. Vide etiam illud Davidis ultionem detestantis de Nabalo. I.  
Reg. xxv. 31, 33. et alia passim.

*9 Despice ignorantiam : errorem : proximi te lædentis : videtur  
enim ignorare legem. Sic : Dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.  
Luc. xxiii. 34.*

*11 Inimicitiam, calumniam : Gr.*

*12 Secundùm virtutem : potentiam, vires. Et secundùm substan-  
tiam : quò ditior, et potestate firmior, eò iratior.*

*13 Certamen festinatum.... lis festinans; rixa suscepta levi animo.*

8. Memorare timorem  
Dei, et non irascaris prox-  
mo.

9. Memorare testamen-  
tum Altissimi ; et despice  
ignorantiam proximi.

10. Abstine te à lite, et  
minues peccata.

11. Homo enim iracundus  
incendit litem : et vir pec-  
cator turbabit amicos, et in  
medio pacem habentium  
immittet inimicitiam.

12. Secundùm enim ligna  
silvæ, sic ignis exardescit :  
et secundùm virtutem ho-  
minis , sic iracundia illius  
erit, et secundùm substan-  
tiam suam exalabit iram  
suam.

13. Certamen festinatum  
incendit ignem, et lis festi-  
nans effundit sanguinem, et  
lingua testificans adducit  
mortem.

14. Si sufflaveris in scin-  
tillam, quasi ignis exarde-  
bit : et si expueris super il-

et utraque ex ore tuo profiscuntur.

Susurronem et bilinguem maledicere : multos enim pacem habentes perdiderunt.

Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem :

Et civitates munitas destruxit, et domos magnatorum subvertit.

Lingua tertia mulieres viriles ejecit, et privavit illas laboribus suis.

<sup>14</sup> *Utraque ex ore* : indicat rixas, vel accendi, vel extingui adstantium sermonibus.

<sup>16</sup> *Lingua tertia* : certissima lectio, quam præter Vulgatam græci habeant codices præstantissimi. Proverbialis locutio in Chaldaicâ Paraphrasi frequens, ut ad Ps. c. Heb. cl. vers. 5. et ad Psal. cxxxix. Heb. cxl. vers. 12. linguam tertiam volunt esse eam, quæ inter duos amicos serat jurgia. Unde illi pessima quæque attribuunt, ut bella dissidiaque inter gentes; hic, excidia civitatum, et illustrium familarum : vers. 17, 18, denique conjugum divertia, vers. 19, etc. Rectè autem post linguam duplicem seu fallacem et ancipitem, vers. 15. subdit linguam tertiam, vulgi usu notam. Quod verò notat Flaminius ad Vaticani marginem annotatum esse pro *τρίτη*, tertiam, *τριπλάσιη*, seu *τετραπλάσιη*, perforatam, nemo non videt conjecturas esse hominum non satis cogitantium quid esset lingua *τρίτη*, seu tertia; quanquam intelligi posset lingua perforata, quæ secreta non teneat: quo sensu apud Comicum :

Plenus rimarum sum, hâc atque illâc perfluo.

<sup>19</sup> *Mulieres viratas*, mulieres fortes, quemadmodum Vulgata vertit xxvi. 2.

lam extinguetur : utraque ex ore profiscuntur.

15. Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes.

16. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem.

17. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit.

18. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit.

19. Liugua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis.

Qui attendit illi, non inveniet requiem, nec habitabit cum requie.

Flagelli plaga livorem faciet : plaga autem linguæ comminuet ossa.

Multi ceciderunt in ore gladii : et non ut ii qui ceciderunt per linguam.

Beatus qui tectus est ab eâ, qui in iracundiâ illius non transivit, qui non traxit jugum illius, et in vinculis illius non est ligatus.

Jugum enim illius, jugum ferreum est; et vincula illius, vincula ærea.

Mors illius, mors nequissima, et utilis potius infernus quam illa.

Non obtinebit pios; et inflammâ illius non comburentur.

20. Qui respicit illam, non habebit requiem ; nec habebit amicum, in quo requiescat.

21. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa.

22. Multi ceciderunt in ore gladii : sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.

23. Beatus qui tectus est à linguâ nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus.

24. Jugum enim illius, jugum ferreum est; et vinculum illius, vinculum æreum est.

25. Mors illius, mors nequissima, et utilis potius infernus quam illa.

26. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum : et in flamma suâ non comburet justos.

<sup>22</sup> Non sic quasi qui : sic, redundat : Vide Gr. *Suam* : Gr. deest. Hic enim non agitur de iis qui linguâ suâ perierunt; sed qui absolute malæ linguae vulneribus : 21, 23.

<sup>23</sup> In iracundiâ : qui iratam et sœvientem non est expertus.

<sup>25</sup> Quam illa : mala lingua.

<sup>26</sup> Perseverantia : non tamen valebit semper; nam vir *linguosus* non dirigetur (non firmabitur) in terra: virum *injustum* mala capient, etc. Ps. cxxxix. 12.

**Qui relinquunt Dominum, incident in illam; et exardebit in illis, et non extinguetur. Immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus perdet eos.**

**Ecce sepi possessionem tuam spinis.**

**Et argentum tuum et aurum tuum alliga: et verbis tuis fac jugum et stateram: et ori tuo fac ostium et vectem.**

**Attende, ne fortè labaris in eâ: ne cadas in conspectu insidiantis.**

**27. Qui relinquunt Deum, incident in illam; et exardebit in illis, et non extinguetur: et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos.**

**28. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras.**

**29. Aurum tuum et argentum tuum confla: et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos.**

**30. Et attende ne fortè labaris in linguâ, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi; et sit casus tuus insanabilis in mortem.**

<sup>29</sup> *Aurum tuum.... confla: expurga.*

---

## CAPUT XXIX.

*De mutuo, et fidejussione, toto capite: contra mutuò accipientes, nec solventes, 4 et seqq. contra recusantes dare mutuò, 10 et seqq. eleemosyna, 14 et seqq. mutuò accipiens, erro, 29.*

### SIXTINA VERSIO.

**Qui facit misericordiam, fœnerabitur proximo: et qui prævalet manu suâ, mandata servat.**

### VERSIO VULGATA.

**1. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo: et qui prævalet manu, mandata servat.**

<sup>1</sup> *Qui prævalet manu: qui manu est liberali.*

Fœnerare proximo in tempore necessitatis illius : et rursus redde proximo in tempore.

Confirmaverunt fœnus, et fidelerunt age cum illo; et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

Multi quasi inventionem estimaverunt fœnus, et præstiterunt molestiam iis qui se adjuverunt.

Donec accipiat, osculabitur manum ejus, et in pecuniis proximi humiliabit vocem :

Et in tempore redditio-  
nis protrahet tempus, et  
reddet verba acediae, et  
tempus causabitur :

Si potuerit, vix reddet  
dimidium, et computabit  
illud, quasi inventionem.

Sin autem, fraudavit il-  
lum pecuniis ejus, et posse-  
dit illum inimicum gratis :

<sup>4</sup> *Multi quasi inventionem* : quasi bonum inventum ac modum acquirendæ rei : verti potest tanquam lucrum inexpectatum. *Esti-  
maverunt fœnus* : mutuò acceptam, nec reddendam pecuniam : vide vers. 7.

<sup>6</sup> *Verba tædii* : hoc est, cunctationis. *Et computabit illud* : pecuniam creditam, *quasi inventionem* : quasi rem bene inventam, bene partam : sive existimaverunt procrastinationem illam quasi præclarum inventum.

<sup>8</sup> *Sin autem* : supple, non potuerit reddere.

2. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius : et iterum redde proximo in tempore suo.

3. Confirmaverunt fœnus, et fidelerunt age cum illo : et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

4. Multi quasi inventionem estimaverunt fœnus, et præstiterunt molestiam his, qui se adjuverunt.

5. Donec accipiant, oscu-  
lantur manus dantis, et in  
promissionibus humiliant  
vocem suam :

6. Et in tempore reddi-  
tionis postulabit tempus, et  
loquetur verba tædii et mur-  
murationum, et tempus cau-  
sabitur :

7. Si autem potuerit red-  
dere, adversabitur, solidi  
vix reddet dimidium, et  
computabit illud quasi in-  
ventionem :

8. Sin autem fraudabit  
illum pecuniâ suâ, et possi-  
debit illum inimicum gratis:

Maledicta et convitia reddet illi : et pro honore reddet illi inhonorationem.

Multi propter nequitiam averterunt : fraudari gratis timuerunt.

Verumtamen super humilem longanimis esto : et pro eleemosynâ non protrahas illum.

Propter mandatum assume pauperem : et secundum inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

Perde pecuniam propter fratrem et amicum : et non contrahat rubiginem sub lapide in perditionem.

Pone thesaurum tuum secundum præcepta Altissimi : et proderit tibi magis quam aurum.

*9 Convicia et maledicta reddet illi, loco pecuiiarum.*

*10 Multi non causâ.... multi sunt qui à mutuo dando abhorrent, non causâ nequitiae : non perverso animo : sed eò quod fraudari gratis ( nullâ spe emolumenti : seu potius, nullâ satis idoneâ metuendi causâ ) timuerunt ; quos sequentia reprehendunt. Gr. multi per nequitiam avertunt ( se à mutuo dando potentibus : ) contra quod Dominus : volenti mutuari à te, ne avertaris : Matth. v. 42.*

*11 Animo fortior : ne sis adeo meticulosus, neque duro animo tuo eam excusationem obtendas, quae est versu præcedenti : quippe qui non modò mutuò dare, sed etiam ultro eleemosynam præstare jubaris, vide vers. 13. Ne trahas, ne protrahas, nec in longum ducas.*

*12 Propter inopiam : secundum inopiam.*

9. Et convicia et maledicta reddet illi : et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam.

10. Multi non causâ nequitiae non fœnerati sunt : sed fraudari gratis timuerunt.

11. Verumtamen super humilem animo fortior esto : et pro eleemosynâ non trahas illum.

12. Propter mandatum assume pauperem : et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

13. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum : et non abscondas illam sub lapide in perditionem.

14. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi : et proderit tibi magis quam aurum.

Conclude eleemosynam  
in cellis tuis: et hæc eruet te  
ex omni malo.

Super scutum potentiae,  
et super lanceam roboris,  
adversus inimicum pugna-  
bit pro te.

Vir bonus fidejubet pro  
proximo : et qui perdidit  
verecundiam, derelinquet  
illum.

Gratias fidejussoris ne  
obliviscaris : dedit enim pro  
te animam suam.

Bona fidejussoris evertet  
peccator : et ingratus sensu  
derelinquet liberantem se.

15. Conclude eleemosy-  
nam in corde pauperis : et  
hæc pro te exorabit ab omni  
malo.

16. 17. 18. Super scutum  
potentis, et super lanceam  
adversus inimicum tuum  
pugnabit.

19. Vir bonus fidem facit  
pro proximo suo : et qui  
perdiderit confusionem, de-  
relinquit sibi.

20. Gratiam fidejussoris  
ne obliviouscaris : dedit enim  
pro te animam suam.

21. Repromissorem fugit  
peccator et immundus.

22. Bona repromissoris  
sibi adscribit peccator : et  
ingratus sensu derelinquet  
liberantem se.

23. Vir repromittit de  
proximo suo : et cum per-

<sup>15</sup> *Eleemosynam in corde pauperis* : in sinu, latenter. *Prov. xxi.*  
<sup>14</sup>. Gr. in cellis tuis; suo tempore ergandam, nec aliò distrahen-  
dam; sint cellæ ejusmodi, quæ non uni tibi, sed potius pauperi  
fructiferæ sint.

<sup>19</sup> *Vir bontis fidem facit*, fidejubet: quâ sententiâ molliuntur et  
explicantur quæ passim in Proverbii de non fidejubendo feruntur.  
*Confusionem*, verecundiam : qui inverecundè negat opem suam  
proximo laboranti : *derelinquet illum* ( proximum suum ) *sibi*... suæ  
inopiae : cuius versûs alia interpretatio , sed mutila et obscura  
vers. 23.

<sup>21</sup> *Repromissorem* : fidejussorem.

<sup>22</sup> *Sibi adscribit* : vide Gr.

<sup>23</sup> *Vir repromittit* : vide 19.

diderit reverentiam , derelinquetur ab eo.

Fidejussio multos perdit dirigentes , et commovit illos quasi fluctus maris.

Viros potentes migrare fecit : et vagati sunt in gentibus alienis.

Peccator incidens in fidejussionem , et sectans redemptions , incidet in iudicia.

Recupera proximum secundum virtutem tuam : et attende tibi , ne incidas.

Initium vitae , aqua et panis , et vestimentum , et domus tegens turpitudinem.

Melior est victus pauperis sub tegmine asserum , quam

24. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes , et commovit illos quasi fluctus maris.

25. Viros potentes gyrans migrare fecit : et vagati sunt in gentibus alienis.

26. Peccator transgrediens mandatum Domini , incidet in promissionem nequam : et qui conatur multa agere , incidet in iudicium.

27. Recupera proximum secundum virtutem tuam : et attende tibi , ne incidas.

28. Initium vitae hominis aqua et panis , et vestimentum , et domus protegens turpitudinem.

29. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum ,

<sup>24</sup> *Multos perdidit dirigentes* , bene habentes : multos etiam viros bonos à recto tramite avertit , dum se fraudibus et vitiligationibus expedire satagunt. Vide 26.

<sup>26</sup> *Incidet* ( tanquam in barathrum ) *in promissionem* : fidejussionem . Qui conatur multa agere ut se expeditat : sive ut Gr. habet , sectans redemptions , se à fidejussione expedire satagens : *incidet in iudicium* : in iudicia , in lites inextricabiles ; aliter : qui multis se implicat negotiis : sectans redemptions , ἐψωλαζείας , alienas lites emens : conductorem , redemptorem , iustitorem agens , multaque agenda suscipiens : incidet , etc.

<sup>28</sup> *Initium vitae* : vita paucis eget : quod qui cogitaverit , non ad fœnora adigitur , quibus sibi exitium accersat. Vide vers. 35. *domus.... turpitudinem* , occultans quæ decentius latent.

epulæ splendidæ in alienis.

Super minimum et magnum placeat tibi.

Vita nequam de domo in domum : et ubi hospitabitur, non aperiet os.

Hospitio suscipes, et potabis ad ingrata; et præterea in his amara audies :

Transi hospes, orna mensam ; et si quid in manu tuâ, ciba me.

Exi hospes à facie honoris : advenit mihi hospitio suscipiendus frater: opus est domo.

Gravia hæc homini habenti sensum , increpatio

quām epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio.

30. Minimum pro magno placeat tibi, et impropterum peregrinationis non audies.

31. Vita nequam hospitandi de domo in domum : et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

32. Hospitabitur, et passet, et potabit ingratos ; et ad hæc amara audiet.

33. Transi hospes, et orna mensam; et quæ in manu habes, ciba cæteros.

34. Exi à facie honoris amicorum meorum : necessitudine domûs meæ : hospitio mihi factus est frater.

35. Gravia hæc homini habenti sensum : correptio

<sup>29</sup> *In peregrè* : in alieno loco.

<sup>31</sup> *Vita nequam* : pudenda.

<sup>32</sup> *Hospitabitur*. Nec minus incommoda, aut injucunda susceptio talium hospitum , qui mendicandi consuetudine frontem perfriuerint.

<sup>33</sup> *Transi hospes* : oratio peregrini impudentis, cibos ab hospite tanquam debitum, exigentis : *ciba cæteros* : me. Gr.

<sup>34</sup> *Exi à facie honoris* : oratio excusantis ab hospite suscipiendo ; decide ab honoris loco quem concedo amicis. *Necessitudine domûs meæ* : domo opus habeo ; hospes alius supervenit, fratri instar carus. Vide Gr.

<sup>35</sup> *Gravia hæc* : hæc præcepta sunt *correptio domûs* : instructio ,

domūs, et improperium fœneratoris. domūs, et improperium fœneratoris.

*emendatio : improperium fœneratoris : ejus qui accipiendo fœnori, eò inopiæ redactus est, ut eversà re domoque, vagus ac profugus nullo possit loco consistere.*

---

## CAPUT XXX.

*De liberis ab ineunte ætate curandis, ad 14, de valetudine, ad finem usque capitis : de ejus pretio, 14 ad 22. ad eam servandam adhibenda lætitia, 23. continentia, 24. et in cibis delectus, 27. fugiendæ curæ : tristitia, invidia, ira, 22, 24, 25, 26.*

### SIXTINA VERSIO.

### VERSIO VULGATA.

#### *De liberis.*

Qui diligit filium suum, assiduabit illi flagella, ut lætetur in novissimo suo.

Qui erudit filium suum, lucrabitur in illo, et in medio notorum in illo gloriabitur.

Qui docet filium suum, in zelum mittet inimicum ; et in medio amicorum gloriabitur in illo.

Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim sibi reliquit post se.

In vitâ suâ vidit, et læ-

1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia.

2. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur.

3. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum ; et in medio amicorum gloriabitur in illo.

4. Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se.

6. In vitâ suâ vidit, et læ-

<sup>1</sup> Proximorum ostia : erro, inops, vagus.

tatus est, et in obitu suo non est contristatus.

Contra inimicos reliquit defensorem, et amicis reddentem gratiam.

Refrigerans filium, colligabit vulnera illius; et ad omnem clamorem turbabuntur viscera sua.

Equus indomitus evadit durus: et filius remissus evadit præceps.

Lacta filium, et pavente te faciet: lude cum illo, et contristabit te.

Ne corrideas illi, ne simul doleas: et in novissimo quates dentes.

Non des illi potestatem in juventute:

Tunde latera illius, dum infans est: ne fortè induratus, non credat tibi.

Erudi filium tuum, et

*7 Pro animabus filiorum. Vide Gr. Et super omnem vocem: omnem rumorem malum de filio: turbabuntur viscera ejus: culparum metu, et emendandi studio, quod est curare vulnus.*

*8 Remissus: dissolutus: remissis habenis ac stimulis.*

*10 Obstupescit dentes tui: stupor dentium pro frendore: ex irâ adversus filium.*

tatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.

6. Reliquit enim defensorum dominū contra inimicos, et amicis reddentem gratiam.

7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua; et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus.

8. Equus indomitus evadit durus: et filius remissus evadet præceps.

9. Lacta filium, et pavente te faciet: lude cum eo, et contristabit te.

10. Non corrideas illi, ne doleas: et in novissimo ob-stupescit dentes tui.

11. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius.

12. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus, dum infans est: ne fortè induret, et non credat tibi; et erit tibi dolor animæ.

13. Doce filium tuum, et

operare in illo; ne in turpitudinem tuam offendat.  
Et ne despicias ignorantias illius: curva cervicem ejus in juventute.

*De sanitate.*

Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives flagellatus in corpore suo.

Sanitas et bona habitudo melior est omni auro: et corpus validum, quam census immensus.

Non est census melior sanitatem corporis: et non est oblectamentum super cordis gaudium.

Melior est mors, quam vita amara, aut languor perseverans.

Bona offusa ad os clausum, appositiones epularum appositae super sepulcrum.

operare in illo: ne in turpitudinem illius offendas.

14. Melior est pauper sanius, et fortis viribus, quam dives imbecillis, et flagellatus malitiâ.

15. Salus animæ in sanctitate justitiae melior est omni auro et argento: et corpus validum, quam census immensus.

16. Non est census super censum salutis corporis: et non est oblectamentum super cordis gaudium.

17. Melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans.

18. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro.

<sup>13</sup> *Ne in turpitudinem: ne turpes ejus mores tibi probro vertant.*

<sup>14</sup> *Melior.* Hic titulus in Gr. de valetudine, cuius pretium hic, tuendæ rationes, ac morborum causas exequitur, §. 22. ad finem. *Malitia:* malo corporis habitu.

<sup>17</sup> *Requies (cessatio) æterna: mors; alia phras.*

<sup>18</sup> *Bona: meliora: abscondita in ore clauso: sive moribundi qui jam glutire non valet, palato et gutture jam exsucco. Vide Gr. Appositiones epularum.* Alludit ad antiquum morem, cuius vestigium supererat ad nostram usque ætatem in regum funeribus.

Quid prodest oblatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur :

Sic qui persecutionem patitur à Domino.

Videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans.

Non des in tristitiam animam tuam : et non affligas temetipsum in consilio tuo.

Jocunditas cordis, hæc est vita hominis : et exultatio viri est longævitas.

Dilige animam tuam, et consolare cor tuum : et tristitiam longè expelle à te.

Multos enim occidit tristitia ; et non est utilitas in eâ.

Zelus et iracundia minnuunt dies : et ante tempus senectam adducet cogitatus.

<sup>20</sup> Sic qui effugatur : qui finem habet : Gr. qui persecutionem patitur à Domino, immisso exitiali morbo.

<sup>21</sup> Videns oculis, oggestos cibos, vitæque sustentandæ avidus, defieit viribus.

<sup>23</sup> Sanctitatis : fortè sanitatis, de quâ hîc agitur, quæ tamen longè valent amplius de sanitate mentis de quâ seq. y. Gr. deest.

<sup>24</sup> Contine : continens esto.

<sup>26</sup> Zelus : invidia, livor. Cogitatus : Gr. cura, sollicitudo. Post In

19. Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit :

20. Sic qui effugatur à Domino, portans mercedes iniquitatis :

21. Videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans.

22. Tristitiam non des animæ tuæ; et non affligas temetipsum in consilio tuo.

23. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis : et exultatio viri est longævitas.

24. Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine : congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longè repelle à te.

25. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illâ.

26. Zelus et iracundia minnuunt dies : et ante tempus senectam adducet cogitatus.

*In Gr. Cap. xxxiii. v. 13.*

Splendidum cor et bonum in epulis, ciborum suorum diligentiam adhibebit.

27. Splendidum cor, et bonum in epulis est : epulæ enim illius diligenter fiunt.

hunc versum multa habet Græcus quæ respondent Vulgatæ, cap. xxxiii. 16. et seqq. usque ad finem capitîs, quo loco convenientius reponentur.

27 *Splendidum cor* : liberale, ingenuum · et *bonum* : lætum : bono habitu et sano : et hoc ad valetudinem pertinet, ut cibi non sordide, sed diligenter apteque, nec sine delectu apparentur. Hic versus in Sixtino legitur, vers. 13. cap. xxxiii, alienissimo loco, ut notabimus.

---

## CAPUT XXXI.

*De divitiis curisque conjunctis et avaritiâ, 1. ad 12. de conviviis, usque ad finem : mensa divitis, ibid. intellige ex te ipso quæ sunt proximi, 18. sobrietas præsertim in vino, 22. ad finem. valetudini utilis, ibid. bonus et liberalis conviva, 28, 29, 41, 42.*

### SIXTINA VERSIO.

### VERSIO VULGATA.

*In Græco Caput xxxiv.*

VIGILIA divitarum tabefacit carnes, et cogitatus illarum aufert somnum.

Sollicitudo vigiliæ interpellabit dormitionem : et

1. VIGILIA honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum.

2. Cogitatus præscientiæ avertit sensum : et infirmi-

<sup>1</sup> *Vigilia honestatis* : sive divitarum : Gr. hoc est, vigilia ex sollicitudine divitarum, amplaque et honorabilis vitæ. Porrò hæc habentur in Gr. cap. xxxiv. *Cogitatus* : cura.

<sup>2</sup> *Cogitatus præscientiæ* : cogitatio præscia futurorum malorum quæ imminent divitibus : *avertit sensum* : nihil tuti cogitanti relin-

infirmitatem gravem digeret somnus.

Laboravit dives in congregacione pecuniarum, et in requie repletur deliciis suis.

Laboravit pauper in diminutione victus, et in requie indigens fit.

Qui aurum diligit, non justificabitur: et qui insequitur corruptionem, ipse replebitur.

Multi dati sunt in casum propter aurum: et facta est perditio ipsorum ad faciem ipsorum.

Lignum offensionis est sacrificantibus eis: et omnis imprudens capietur in illo.

quit. At Gr. cura vigiliæ ( seu vigil ) interpellat soporem: et infirmitas gravis: Gr. ægritudinem gravem eluet ( allevabit ) somnus.

3. 4. *In requie suâ*: in cessatione, in fine, ut habes ¶. 4. *In diminutione victus*: in dispergendo, sive dissipando victu, id est, opibus quibus vita sustentatur. Sensus autem utriusque sententiae est: Alius in colligendo laborat, alius in dispergendo: ad extremum, in vitae fine, ille laborum fructum, hic egestatem reperit: quæ et similia si ad vera bona referas, perfectam habebis sententiam.

5 *Consumptionem*: Gr. qui insequitur corruptionem, ipse ( eis ) replebitur: corrumpetur, peribit.

6 *In auri casus*: in exitium propter aurum, Gr. *in specie ipsius*, auri scilicet. Gr. et facta est perditio ipsorum, ante faciem ipsorum, manifesta et ineluctabilis.

7 *Lignum offensionis*: ( sive idolum ) *est aurum sacrificantium*: Gr. ( aurum de quo ¶ antecedente ) lignum offensionis est, ( sive

tas gravis sobriam facit animam.

3. Laboravit dives in congregacione substantiae, et in requie suâ replebitur bonis suis.

4. Laboravit pauper in diminutione victus, et in fine inops fit.

5. Qui aurum diligit, non justificabitur: et qui insequitur consumptionem, replebitur ex eis.

6. Multi dati sunt in auri casus: et facta est in specie ipsius perditio illorum.

7. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: vae illis, qui sectantur illud: et

omnis imprudens deperiet  
in illo.

**Beatus dives, qui inventus est sine maculâ, et qui post aurum non abiit.**

**Quis est, et beatificabimus eum? fecit enim mirabilia in populo suo.**

**Quis probatus est in illo, et perfectus est? et sit in gloriationem. Quis potuit transgredi, et non est transgressus; et facere mala, et non fecit?**

**Stabilientur bona illius: et eleemosynas illius enarrabit ecclesia.**

**Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam fauces, et**

**Ne dicas, Multa quidem sunt, quæ super illam.**

**Memento quoniam malum est oculus nequam.**

**idolum) sacrificantibus ei (auro scilicet:) quod congruit loco Pauli: avaritia est idolorum servitus. Col. iii. 5. Deperiet. Vide Gr.**

**9 Laudabimus : Gr. beatificabimus; beatum prædicabimus.**

**10 Qui probatus est in illo : auro. Vide Græc.**

**12 Supra mensam magnam. Jam aggreditur de conviviis: quod sermo deducitur ad ¶. 19. sequentis capitatis, ac primùm describit divitium avarorum magna et invisa convivia, monetque ne ciborum copiam, sed animum præbentis aspicias.**

**14 Oculus nequam : avarus, invidus, quasi diceret: quid lataris**

**8. Beatus dives, qui inventus est sine maculâ; et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ et thesauris.**

**9. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ suâ.**

**10. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et nou est transgressus : facere mala, et non fecit.**

**11. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino: et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.**

**12. Supra mensam magnam sedisti? nou aperias super illam faucem tuam prior.**

**13. Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt.**

**14. Memento quoniam malus est oculus nequam.**

Nequius oculo quid creatum est? Ideo ab omni facie lacrymatur.

Quòcumque aspexerit, ne extendas manum :

Et ne comprimaris cum eo in catino.

Intellige quæ sunt proximi, ex te ipso : et in omni re cogita.

Comede, ut homo, quæ tibi sunt apposita ; et non devores, ne odio habearis.

Cessa prior, causâ disciplinæ : et noli esse insatiable, ne fortè offendas.

avarorum conviviis ? qui , si quid parant lautiùs, aspicientes dolent, tibique invident; ut exponit sequens.

<sup>15</sup> *Ab omni facie lacrymabitur*, sive lacrymat; ille avarus convivii instructor, plorat cibos quos ipse aspicit in mensâ suâ tibi administratos. *Facies pro re conspectui oblatâ*. *Cum viderit* : Gr. quòcumque aspexerit; quemcumque cibum velut oculis designaverit; ad eum tu

<sup>16</sup> *Ne extendas manum... et invidiâ* : ne invidiâ : ( avari tibi invidentis cibos ) *contaminatus* : ( ejusque lividis oculis reprehensus ) erubescas : Græc. deest : quo sublato cum sequente planior nexus.

<sup>17</sup> *Ne comprimaris* : Gr. ne collidas cum eo ( manum de quâ agitur ) in catino.

<sup>18</sup> *Intellige quæ sunt proximi*. Optima regula morum, quam ad mensam quoque adhibendam docet; si quid concupiscis, intellige et ab alio posse appeti; et largire ultro, sive dimitte cupienti. Addit Gr. et in omni re ( quamvis exigua ) cogita ( ac te prudentem præbe. )

<sup>19</sup> *Utere* : Gr. comedē ut homo; ne belluae more sis vorax.

<sup>20</sup> *Causâ disciplinæ* : temperantiae.

<sup>15</sup> Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie suâ lacrymabitur. *Cum viderit*,

<sup>16</sup> Ne extendas manum tuam prior, et invidiâ contaminatus erubescas.

<sup>17</sup> Ne comprimaris in convivio.

<sup>18</sup> Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.

<sup>19</sup> Utete quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur : ne, cùm manducas multum, odio habearis.

<sup>20</sup> Cessa prior, causâ discipline : et noli nimius esse, ne fortè offendas.

Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam.

Quàm sufficiens est homini erudito exiguum! et in lecto suo non laborat asthmate.

Somnus sanitatis in intestino moderato : surrexit prior; et anima ipsius cum ipso.

Labor vigiliæ, et cholerae, et tortura cum viro insatiabili.

Et si coactus fueris in epulis, surge in medio pomorum, et requiesces.

Audi me, fili, et ne sper-

21. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.

22. Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum! et in dormiendo non laborabis ab illo, et non scuties dolorem.

23. Vigilia, cholera, et tortura viro infrunito.

24. Somnus sanitatis in homine parco : dormiet usque manè, et anima illius cum ipso delectabitur.

25. Et si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, evome : et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem.

26. Audi me, fili, et ne

<sup>21</sup> *Prior illis* : non tantùm temperantiae, sed etiam honoris causâ.

<sup>22</sup> *Non laborabis* : cruditate et crapulâ : Gr. asthmate.

<sup>23</sup> *Vigilia et cholera* : concitata bilis : et *tortura* : alii, torsiones : *viro infrunito* : indocili : intemperanti. In Gr. §. 23, 24. ordo commutatur.

<sup>24</sup> *In homine parco* : sobrio : in ventre moderato : Gr. *Dormiet usque manè* : Gr. surrexit prior (surrexit matutinus, et præ aliis vigil.) *Et anima illius cum ipso* : vivax, suïque compos.

<sup>25</sup> *Et si coactus... in edendo* : in epulis, Gr. *surge è medio* : pomorum, Gr. (ac secundæ mensæ;) *evome* : ex antiquæ medicinæ præceptis, atque inde inolitis moribus. *Refrigerabit te* : requiesces, Gr. desines.

nas me : et in novissimo invenies verba mea.

In omnibus operibus tuis esto velox : et omnis infirmitas non occurret tibi.

Splendidum in panibus benedicent labia : et testimonium bonitatis illius fidele.

Nequissimo in pane obmurmurabit civitas : et testimonium nequitiae illius certum.

**In vino noli** sortem agere: multos enim exterminavit vinum.

Fornax probata ciem ferri in tinturâ : sic vinum corda in contentione superborum.

Æquale vitæ vinum homini ; si bibas illud mensurâ suâ.

Quæ vita ei, qui minuitur vino?

28. 29. *Splendidum in panibus... nequissimo in pane* : panis, hebraismo noto, pro toto victu.

30. *Diligentes in vino* : ad potandum alacres : Gr. in vino ne esto fortis.

31. *Sic vinum*. Probatur in potatione quo ingenio quis sit, vino arcana resolvente.

32. *Æqua vita* : vinum sobriè potum æquabilem ac temperatam vitam facit. *Si bibas moderatè* : mensurâ suâ, Græc. Vide 36, 37.

spernas me : et in novissimo invenies verba mea.

27. In omnibus operibus tuis esto velox , et omnis infirmitas non occurret tibi.

28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum : et testimonium veritatis illius fidele.

29. Nequissimo in pane obmurmurabit civitas : et testimonium nequitiae illius verum est.

30. Diligentes in vino noli provocare:multos enim exterminavit vinum.

31. Ignis probat ferrum durum:sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

32. Æqua vita hominibus vinum in sobrietate : si bibas illud moderatè , eris sobrius.

33. Quæ vita est ei, qui minuitur vino?

34. Quid defraudat vitam? mors.

**Et ipsum creatum est in jocunditatem hominis.**

**Exultatio cordis, et laetitia animæ, vinum potatum in tempore, quod satis sit.**

**Amaritudo animæ vinum potatum multum in irritatione et contentionē.**

Multiplicat ebrietas furorem imprudentis in offenditionem, minorans virtutem, et faciens vulnera.

In compotatione vini nou arguas proximum, et non despicias eum in jocunditate illius.

Verbum improperii ne dicas illi : et non premas illum in repetendo.

**40 Ebrietatis animositas :** Gr. multiplicat : etc. minorans virtutem; minuens vires.

**41 In repetendo :** debito sive promisso.

**35. Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio.**

**36. Exultatio animæ et cordis, vinum moderatè potatum.**

**37. Sanitas est animæ et corpori sobrius potus.**

**38. Vinum pomultum-tatum irritationē, et iram, et ruinas multas facit.**

**39. Amaritudo animæ vi-num multum potatum.**

**40. Ebrietatis animositas, imprudentis offendio, minorans virtutem, et faciens vulnera.**

**41. In convivio vini non arguas proximum : et non despicias eum in jucunditate illius.**

**42. Verba improperii non dicas illi : et non premas illum in repetendo.**

---

## CAPUT XXXII.

*De rectoribus : ad 4. quasi unus ex ipsis , 1. senes loquantur : ju-  
niiores magis audiant, 4. et seqq. domi morandum quam maximè,  
16. viri boni, 18, 19. prudentes , 23, 24. correptio : à quibus  
abstinendum viis , 25. cautè agendum , 27.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIO VULGATA.

*In Græco Caput xxxv.*

*De Rectoribus.*

RECTOREM te posuerunt ?  
noli extolli : esto in illis ,  
quasi unus ex ipsis :

Curam illorum habe , et  
sic confide : et omni curâ  
tuâ explicitâ recumbe :

Ut læteris propter illos ,

1. RECTOREM te posue-  
runt ? noli extolli : esto in  
illis quasi unus ex ipsis.

2. Curam illorum habe ,  
et sic confide ; et omni curâ  
tuâ explicitâ recumbe :

3. Ut læteris propter il-

\* *Rectorem convivii ex symbolis ; quod antecedentibus magis  
congruit. Agit autem de illis conviviis gravibus, moderatisque, quæ,  
veterum sapientum more, optimis sermonibus condiebantur; patet  
ex ¶. 4. et aliis, senioribus docentibus, tacente juniorum turbâ,  
adhibitâ sanè musicâ, verùm ut par erat in tali convivio, gravis  
illa et sacra , de quâ XLIV. 5. quæ cupiditates componeret, non ac-  
cenderet; procul autem illæ crebræ, atque ad multam noctem pro-  
tractæ perpotationes; sed quisque monobatur ut matus domum  
rediret, ibique se graviter oblectaret, 14, 15, 16. nec priusquam  
gratiis Deo actis discederet: ¶. 17. Non igitur immerito instrui-  
tur ille rector qui his rebus præsit: quanto autem magis officio suo  
invigilet populorum rector ?*

\* *Omni curâ tuâ explicitâ recumbe: rebus omnibus comparatis  
accumbe ad mensam cum reliquis. In populo regendo ne quiescas,  
nisi officio functus.*

**et ornamenti gratiā accipias coronam.**

los , et ornamentum gratiæ accipias coronam , et dignationem consequaris corrogationis.

**Loquere major natu (debet enim te)**

**4. Loquere major natu : decet enim te**

**In diligenti scientiā , et non impediās musica.**

**5. Primum verbum , diligenti scientiā , et non impediās musicam,**

**Ubi est acroama , non effundas sermonem : et importunè noli sapientiam ostentare.**

**6. Ubi auditus non est , non effundas sermonem , et importunè noli extolli in sapientiā tuā.**

**Sigillum carbunculi in ornameento aureo , concentus musicorum in compotatione vini.**

**7. Gemmula carbunculi in ornameento auri , et comparatio musicorum in convivio vini.**

**3 Ornamentum gratiæ : vide Gr. dignitatem consequaris corrogationis : deest Gr. Fortè : coronationis , et esset altera versio posterioris membra hujus versūs. Coronas autem in conviviis adhibitas , etiam illud testatur : *Coronemus nos rosis* : Sap. 11. 8. quantò ergo magis rectori quām reliquis ?**

**5 Diligenti scientiā : accuratā : non impediās musicam in convivio resonantem , ut ¶. 7. 8. sed qualem mox diximus , doctis temperatisque sermonibus congruentem : Gr. musica , neutro plurali : instrumenta musica , cantus , sub quibus etiam comprehendas hominum consiliorumque concentum.**

**6 Ubi auditus non est ; ubi turba nullaque attentio dictis : contrā Gr. ubi acroama est : ubi musici cantus , ne obloquare : importunè noli extolli , ne intempestivè sapientem agas ; ne sapientiam ostentes : Gr. ut faciunt illi qui inter cantus ut periti hujus artis , argutè disserentes , obtundunt alios , cùm audiendi , non dicendi sit locus. Allegoricè : ne pulchros et concinnos sermones intertubes.**

**7 Gemmula carbunculi : sigillum , Græc. comparatio , sive concentus , Gr. musicorum.**

In fabricatione aurâ sigillum smaragdi, modulatio musicorum in vino jocundo.

8. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo et moderato vino.

9. Audi tacens; et pro reverentiâ accedet tibi bona gratia.

10. Adolescens loquere in tuâ causâ vix.

11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.

12. In multis esto quasi inscius: et audi tacens simul et quærens.

13. In medio magnatorum non agas æqualem: et alio dicente, ne multa garrias.

<sup>8</sup> *Sicut in fabricatione: iu opere aureo: signum, sigillum, Gr. est smaragdi: numerus musicorum: Gr. melos, modulatio.*

<sup>10</sup> *In tuâ causâ: cùm ad te sermo devenerit: quæ in conviviis quoque illis ad sapientiam institutis, observata, ad totam postea vitam transferantur.*

<sup>11</sup> *Si bis: Gr. refert ad præcedentem: habeat caput: sit à certo capite, initioque deductum: melius ex Gr. κεφαλαιωστι: in summam contrahe sermonem; addit: paucis multa; supple: completere.*

<sup>12</sup> *In multis esto quasi inscius. Invisum et importunum hominum genus, qui omnia scire se volunt, aliasque enecant sermonibus: tu audi tacens simul et quærens: interrogans; quippe qui doceri, quām docere malis: quod sèpè Aug. de se profitetur, præsertim epistolâ nonâ ad Mercatorem: Gr. aliter, sed eodem sensu: esto quasi sciens: et simul tacens (nec ostentes scientiam.)*

<sup>13</sup> *Non præsumas: ne te æquaveris: ne te geras pro æquali, Gr. ubi sunt senes. Vide Gr.*

Ante tonitruum festinat  
coruscatio : et ante verecun-  
dum præbit gratia.

In horâ exurge , et non  
sis ultimus : recurre in do-  
mum , et ne torpeas. Ibi  
lude :

Et fac cogitata : et ne  
pecces verbo superbo.

Et super his benedicto  
eum qui fecit te , et ine-  
briantem te de bonis suis.

Qui timet Dominum , ex-  
cipiet doctrinam : et qui ma-

<sup>14</sup> *Ante grandinem : ante tonitruum* , Gr. *ante verecundiam* : Gr. *ante verecundum*. Significat autem verecundi adolescentis dicta quâdam pudoris gratiâ commendari : quæ gratiâ tam præcedere nata sit, quâm tonitruum præcedit coruscatio. *Pro reverentid*: iteratum ex y. 9. Gr. deest.

<sup>15</sup> *Horâ surgendi* : è mensâ : *non te trices* : nec velut impeditis gressibus vacilles , aut etiam labare temulentus , sive , ne te involvas tricis , vanisque impedimentis ; aliamque ex aliâ remanendi excusationem nectas. Vide Gr. *Præcurre prior* : Gr. *recurre in domum* : (ne vagere) : et ne torpeas ( somno aut desidiâ oppressus , neque ex torpore resideas domi , sed animum recolligendi studio.) *Illic avocare , illic lude* : ibi dulces lusus , dulcia animi avocamenta quæras. En quâm sobrii , quâm sani ex illo convivio redeant ; unde sequitur :

<sup>16</sup> *Et age conceptiones tuas*. Fac quæ vis , age ingenio tuo , dummodo à malis ac superbis dictis factisque abstineas.

<sup>17</sup> *Benedicto Dominum... inebriantem te*. Ne antè discesseris quâm Deo , ut vero convivii apparatori , gratias egeris ; quo fine concluditur sermo de conviviis.

<sup>14</sup> Ante grandinem præ-  
bit coruscatio : et ante ve-  
recundiam præbit gratia ,  
et pro reverentiâ accedet  
tibi bona gratia.

<sup>15</sup> Et horâ surgendi non  
te trices : præcurre autem  
prior in domum tuam , et  
illic avocare , et illic lude ,

<sup>16</sup> Et age conceptiones  
tuas , et non in delictis et  
verbo superbo.

<sup>17</sup> Et super his omnibus  
benedicto Dominum , qui  
fecit te , et inebriantem te  
ab omnibus bonis suis.

<sup>18</sup> Qui timet Dominum ,  
excipiet doctrinam ejus : et

nè vigilant , invenient benedictionem.

**Qui quærit legem , replebitur eâ ; et qui simulat , scandalizabitur in eâ .**

**Qui timent Dominum , invenient judicium : et justificationes quasi lumen accendent.**

**Homo peccator vitat correptionem : et secundùm voluntatem suam inveniet comparationem.**

**Vir consilii non despiciet considerationem : alienus et superbus non pertimescit timorem ,**

**Etiam postquam fecit secum sine consilio.**

**Sine consilio nihil facias : et in faciendo te non pœnitabit.**

**In viâ ruinæ non eas , et non offendes in lapidosis.**

**19 Qui insidiosè agit : Gr. simulator: hypocrita: scandalizabitur in eâ : offendet in legem.**

**20 Comparationem : εὐχρημα : consensionem : fœdâ adulatione.**

**22 Intelligentiam : Gr. cogitationem : considerationem. Alienus , impius , infidelis : non pertimescit timorem : malè securus ex inconsiderantiâ et animi levitate.**

**23 Etiam postquam fecit cum eo , secum , Gr. id est (ex propriâ sententiâ) sine consilio : etiamsi res suas fortunæ permittat. Suis insectationibus : suis ipse consiliis capietur. Deest Gr.**

**25 In viâ ruinæ : præcipitii : Gr. Et non offendas : ne offendas in lapides : Gr. in lapidosis : ( et difficilibus itineribus) nec credas te**

qui vigilaverint ad illum , invenient benedictionem.

**19. Qui quærit legem , replebitur ab eâ : et qui insidiosè agit , scandalizabitur in eâ .**

**20. Qui timent Dominum , invenient judicium justum : et justias quasi lumen accendent.**

**21. Peccator homo vitabit correptionem : et secundùm voluntatem suam inveniet comparationem.**

**22. Vir consilii non disperdet intelligentiam : alienus et superbus non pertimescit timorem :**

**23. Etiam postquam fecit cum eo sine consilio , et suis insectationibus arguetur.**

**24. Fili , sine consilio nihil facias : et post factum non pœnitebis.**

**25. In viâ ruinæ non eas , et non offendes in lapides :**

Non credas te viæ non ex-  
ploratæ.

Et à filiis tuis cave.

In omni opere crede ani-  
mæ tuæ : hoc est enim ob-  
servatio mandatorum.

Qui credit legi , attendit  
mandatis : et qui confidit in  
Domino , non minorabitur.

nec credas te viæ laboriosæ,  
ne ponas animæ tuæ scanda-  
lum.

26. Et à filiis tuis cave ,  
et à domesticis tuis attende.

27. In omni opere tuo  
crede ex fide animæ tuæ :  
hoc est enim conservatio  
mandatorum.

28. Qui credit Deo , at-  
tendit mandatis , et qui con-  
fidit in illo non minorabi-  
tur.

*viæ laboriosæ*, *inexploratæ*, Gr. Hic observa tres evitandas vias : exitiosas sive præcipites, difficiles et periculosas, *inexploratas*.

26. 27. *Crede* non liberis ac propinquis; sed *animæ tuæ*, ipsi tibi : age prout recta ratio suaserit. *Hoc est conservatio mandatorum*, si non aliena ratione ducaris, sed tuæ; sive etiam *fide*, ut habet Vul-  
gata : quanquam Gr. deest.

## C A P U T   X X X I I I .

*Deum timens : legi credens. 1, 2, 3. irrisor, 6. Deus, instar figuli,*  
*ut vult alios erigit, alios deprimit, 7 ad 15. justo tamen judicio,*  
*ibid. contrariorum sapiens ordinator, 15. Auctoris sedulitas in*  
*conquarendis sententiis, 16. Vir sapiens ne se subdat filio : non*  
*uxori : non cuivis homini, 20 et seqq. dimissionem opum reservet*  
*testamento, 20, 24. de servis continendis, ac benevolè tractandis,*  
*25. ad finem : otiositas, 29.*

### S I X T I N A   V E R S I O .

### V E R S I O   V U L G A T A .

*In Gr. Cap. xxxvi.*

TIMENTI Dominum non  
occurret malum, sed in ten-  
tatione et iterum liberabit  
illum.

1. TIMENTI Dominum non  
occurrent mala , sed in ten-  
tatione Deus illum conser-  
vabit , et liberabit à malis.

**Vir sapiens non odiet le-**  
gem : qui autem simulat in  
câ, quasi in procellâ, navis.

**Homo sensatus credet le-**  
gi: et lex ei fidelis,

**Sicut interrogatio justo-**  
rum. Para verbum , et sic  
audieris: colliga doctrinam,  
et responde.

**Rota carri præcordia fa-**  
tui : et quasi axis qui versa-  
tur , cogitatus illius.

**Equus ad admissuram ,**  
amicus subsannator : sub  
omni supersedente hinnit.

**Quare dies diem superat ,**

**2. Sapiens non odit man-**  
data et justicias , et non illi-  
detur quasi in procellâ na-  
vis.

**3. Homo sensatus credit**  
legi Dei: et lex illi fidelis.

**4. Qui interrogationem**  
manifestat , parabit ver-  
bum , et sic deprecatus  
exaudietur : et conservabit  
disciplinam , et tunc respon-  
debit.

**5. Præcordia fatui quasi**  
rota carri , et quasi axis ver-  
satilis cogitatus illius.

**6. Equus emissarius , sic**  
et amicus subsannator : sub  
omni suprasedente hinnit.

**7. Quare dies diem supe-**

<sup>2</sup> *Et non illidetur : Gr. simulator (hypocrita) quasi in procellâ*  
*navis : semper agitatus , nullo certo tramite.*

<sup>3</sup> *Lex illi fidelis : addit Græc. sicut ( ostendit ) interrogatio ( sive*  
*probatio ) justorum.*

<sup>4</sup> *Qui interrogationem : Gr. para verbum , ( meditare quæ dicas )*  
*et audieris.*

<sup>5</sup> *Rota carri : stridens , importuua , versatilis.*

<sup>6</sup> *Equus emissarius , amicus subsannator , irrisor , sub omni su-*  
*prasedente , sub omni insessore hinnit , quo risum significat ; æquè*  
*arridet , æquè illudit omnibus.*

<sup>7</sup> *Quare dies diem superat ? Summa est : Quemadmodum lux om-*  
*nis , dies omnis , annus omnis à sole est ; et tamen dies die , annus*  
*anno illustrior ac pulchrior ; ( Dei enim sapientia discriminavit*  
*dies , et alios quidem in festos consecravit , alios instituit ad nume-*  
*rum tantum , et ad implendum mensium annorumque curriculum )*  
*ita homines ab unâ terrâ orti , disponente Deo , alii aliis clariores .*  
*Hæc summa usque ad ȝ. 15. Jam singula perpendamus.*

et omne lumen diei anni à sole ?

A Domini scientiâ separati sunt :

Et immutavit tempora , et dies festos.

Ex ipsis exaltavit, et sanctificavit , et ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo : et ex terrâ creatus est Adam.

In multitudine scientiæ Dominus separavit eos , et immutavit vias illorum.

Ex ipsis benedixit , et exaltavit ; et ex ipsis sanctificavit , et ad se applicavit : ex ipsis maledixit , et humiliavit , et evertit illos à sta-

rat , et iterum lux lucem , et annus annum à sole ?

8. A Domini scientiâ separati sunt , facto sole , et præceptum custodiente.

9. Et immutavit tempora , et dies festos ipsorum , et in illis dies festos celebraverunt ad horam.

10. Ex ipsis exaltavit et magnificavit Deus , et ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo , et ex terrâ , unde creatus est Adam.

11. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos , et immutavit vias eorum.

12. Ex ipsis benedixit , et exaltavit : et ex ipsis sanctificavit , et ad se applicavit : et ex ipsis maledixit , et humiliavit , et convertit

? Quare dies dien..... annus annum : cùm sint omnes à sole. Anuos quoque aliis alios antepositos Vulgata commemorat : nec absurdè ; est enim annus jubilæus singularis inter aunos dignitatis. Gr. Quare dies diem superat , et (tamen) omne lumen diei anni (seu per annum ) à sole ?

8. A Domini scientiâ : sapientiâ.

9 Dies festos ipsorum : inter ipsos. Ad horam : suo tempore.

10 Magnificavit : sanctificavit : Gr.

11 In multitudine disciplinæ : doctrinæ et sapientiæ.

12 Ex ipsis sanctificavit , et ad se applicavit : suo ministerio consecravit levitas et Aaronis familiam. Ex ipsis maledixit , et humiliavit : ademit sacerdotium familie Heli , et transtulit ab Abiathar ,

tione ipsorum.

Quasi latum figuli in manu ejus :

Omnis viæ ejus secundum beneplacitum ejus. Sic homines in manu illius qui fecit eos, ad reddendum illis secundum judicium suum.

Contra malum bonum est, et contra mortem vita : sic contra piuum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo duo, unum contra unum.

Et ego novissimus evigilavi.

illos à separatione ipsorum.

13. Quasi latum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere.

14. Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus : sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum judicium suum.

15. Contra malum bonum est, et contra mortem vita : sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo et duo, et unum contra unum.

16. Et ego novissimus evigilavi, et quasi qui colligit acinos post vindemiatores.

ad Sadoc. I. *Reg.* II. III. III. *Reg.* II. 27, 35. *Convertit illos à separatione ipsorum* : abstulit honores quibus à cæteris separati erant. Gr. Avertit sive dejectit illos à statione ipsorum, sicut de Sobna dictum: *Expellam te de statione tuâ, et de ministerio tuo deponam te.* Is. XXII. 19. quod cùm fiat pro imperio ac potestate summâ, fit tamen recto justoque judicio, ¶. 13, 14.

15 *Contra malum bonum est*: humana contrariis constant: neque purum bonum, malumque inest rebus: duo et duo, omnia gemina, ac velut bina procedunt: sed unum contra unum: quæque res habet adversarium, ut veluti civili bello conficer se adversa videantur; sed Deus res temperat, et stare orbem jubet. Vide infrà XLII. 24.

16 *Et ego*. Solent sacri sententiarum auctores harum cursum abrumpere insertis adhortationibus ad animos excitandos: maximè ubi grandiora vel utiliora prompturi sunt: sic Salomon, sic Sapientiae auctor, ad quorum exemplum hunc sermonem instituit Ecclesiasticus. *Novissimus* sapientum *evigilati*: posteaquam Israelitæ à colligendis majorum sententiis diutissime cessarunt. *Quasi qui colligit acinos post vindemiatores*. Ita, ego post Salomonem, post Agur,

In

*In Gr. Caput xxx. ¶. 16.*

Quasi qui colligit acinos  
post vindemiatores :

In benedictione Domini  
perveni : et quasi qui vin-  
demiat , replevi torcular.

Respicite quoniam uon  
mili soli laboravi , sed om-  
nibus exquirentibus disci-  
plinam.

Audite me , magnates po-  
puli ; et rectores ecclesiæ ,  
auribus percipite.

Filio et mulieri , fratri et  
amico non des potestatem  
super te in vitâ tuâ : et non  
dederis aliis pecunias tuas ;  
ne fortè pœniteat te , et de-  
preceris pro illis.

Dum adhuc superes , et  
spiratio in te , ne alienes  
te ipsum omni carni.

Melius est enim , ut filii  
tui te rogent , quam te re-

post alios magistros , quorum sententias Ezechîe tempore college-  
runt ; *Prov. xxv. 1. xxx. 1.* vindemiac uberrimæ collegi reliquias ,  
haud minore copiâ atque illi , qui vineam primi messuerunt : ¶. 17.

**20** *Et mulieri : uxori. Possessionem tuam : res tuas , Gr. Et depre-  
ceris pro illis : rebus scilicet tuis in tuâ egestate suppliciter repe-  
tendis.*

**21** *Non immutabit te omnis caro : Gr. Ne commutaveris te omni  
carni , ne te cuiquam homini vendideris , addixeris.*

spicere in manus filiorum  
tuorum

In omnibus operibus tuis  
præcellens esto.

Ne dederis maculam in  
gloriâ tuâ. In die consum-  
mationis dierum vitæ tuae ,  
et in tempore exitûs, dis-  
tribue hæreditatem tuam.

*De servis.*

Pabula , et virga , et one-  
ra asino : panis , et discipli-  
na , et opus servo.

Operare in puerō , et in-  
venies requiem: laxa manus  
illi , et quærer libertatem.

Jugum et lorū curva-  
bunt collum :

Et servo malefico tortu-  
ræ , et tormenta. Mitte il-  
lum in operationem , ne va-  
cet.

Multam enim malitiam  
docuit otiositas.

<sup>23</sup> *Respicere in manus :* tanquam dona expectantem , atque inde  
suspensum.

<sup>24</sup> *In die consummationis :* ex antecedentibus : serva res tuas quan-  
diu vivis , testamento relicturus eas cui oportuerit.

<sup>25</sup> *Cibaria :* in Gr. titulus : de servis. *Cibaria...* asino : ne tamen  
servos habeas pro mutis animantibus, docebit ꝑ. 31.

<sup>26</sup> *Operatur in disciplinâ :* servus opere exercitus, quærer requiem  
tantum ; remissis autem manibus, sive otiosus, quærer libertatem  
sive licentiam. Gr. Operare in puerō sive servo (admove illum ope-  
ri : ) et invenies requiem.

te respicere in manus filio-  
rum tuorum.

23. In omnibus operibus  
tuis præcellens esto.

24. Ne dederis maculam  
in gloriâ tuâ. In die consum-  
mationis dierum vitæ tuae ,  
et in tempore exitûs tui, dis-  
tribue hæreditatem tuam.

25. Cibaria , et virga , et  
onus asino : panis , et discipli-  
na , et opus servo.

26 Operatur in discipli-  
nâ , et quærer requiescere :  
laxa manus illi , et quærer  
libertatem.

27. Jugum et lorū cur-  
vant collum durum , et ser-  
vum inclinant operationes  
assiduae.

28. Servo malevolo tor-  
tura et compedes : mitte  
illum in operationem ne va-  
cet.

29. Multam enim mali-  
tiam docuit otiositas.

In opera constitue illum, prout condecet illum. Quòd si non obaudierit, agrava pedes ejus; et non amplifices super omnem carnem: et sine judicio nihil facias.

Si est tibi servus, sic sicut tu: quoniam in sanguine comparasti eum. Si est tibi servus, tracta eum sicut te ipsum: quoniam tanquam animâ tuâ, egebis eo.

Si afflixeris eum, et tollens aufugiat,

In quâ viâ quæreres illum?

30. In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quòd si non obaudierit, curva illum compedibus; et non amplifices super omnem carnem: verum sine judicio nihil facias grave.

31. Si est tibi servus filialis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum.

32. Si læseris eum injustè, in fugam convertetur:

33. Et si extollens discesserit, quem quaras, et in quâ viâ queras illum necsis.

30 *Curva illum compedibus: Gr.* agrava pedes ejus; ne tamen plus æquo sævis, subdit: *non amplifices* (ne multiplices plagas. Gr. ne sis nimius) *super omnem carnem: ne sis immisericors adversus omnem hominem, etiam servum.*

31 *Sicut anima tua: sicut tu, Gr. Quasi fratrem: sicut te ipsum, Gr. In sanguine animæ: in sanguine, Gr.* Alludit ad originem servitutis: primi enim servi, bello capti; sive etiam quòd empti grandi pecuniâ, quæ familiam tuam sic vegetat, ut sanguis ipsum corpus: sive, ut addit Græcus, tracta eum sicut te ipsum, quoniam tanquam animâ tuâ, egebis illo.

33 *Si extollens discesserit: si tollens, sive rapiens aliquid, aufugerit.*

## CAPUT XXXIV.

*Somnia: divinationes, ad 8. vera prævisio futurorum ex lege ac promissis: ex experimentis et sapientum consilio, 8. et seqq. spes in Deum, 15 et seqq. Auctoris gravia pericula, 12, 13. De oblationibus, 21 et seqq. ex iniquo et substantia pauperum, ibid. oppressores pauperum, 25, 26. uno animo agendum, 28, 29. ne in peccata recidas, 30, 31.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIO VULGATA.

*In Gr. Caput xxxi.*

VANÆ spes, et mendaces  
viro insensato : et somnia  
volare faciunt imprudentes.

Quasi qui apprehendit  
umbram, et persequitur  
ventum : sic qui attendit  
somniis.

Hoc juxta hoc, visio som-  
niorum : ante faciem simili-  
tudo faciei.

Ab immundo quid mun-  
dabitur ? et à falso quid ve-  
rum erit ?

1. VANÆ spes, et menda-  
cium viro insensato : et  
sonnia extollunt impruden-  
tes.

2. Quasi qui apprehendit  
umbram, et persequitur  
ventum : sic et qui attendit  
ad visa mendacia.

3. Hoc secundūm hoc vi-  
sio somniorum : ante faciem  
hominis similitudo hominis.

4. Ab immundo quid  
mundabitur ? et à mendace  
quid verum dicetur ?

<sup>1</sup>. *Extollunt* : Gr. ad verbum : volare faciunt (dant pennas :) eodem  
sensu: animos addunt, facilia fingunt omnia. Alludit ad eos qui se  
pennatos somniant, et in sublime raptos.

<sup>3</sup> *Hoc secundūm hoc*. Sic se habet somnium, nihil aliud est quam  
homini exhibita hominis similitudo mendax, atque *ante faciem*; tan-  
quam in speculo : *similitudo faciei*, Gr.

<sup>4</sup> *A mendace* : à falso, Gr. à somnio, quod nihil nisi mendacium  
est.

**D**ivinationes, et auguria,  
et somnia vana sunt :

**E**t sicut parturientis, cor  
phantasias patitur. Nisi ab  
Altissimo fuerint missa in vi-  
sitatione; ne dederis ad illa  
cor tuum.

**M**ultos errare fecerunt  
somnia, et exciderunt spe-  
rantes in illis.

**S**ine mendacio consum-  
mabitur lex, et sapientia  
ori fideli perfectio.

**V**ir eruditus novit multa:  
et qui multa expertus est,  
enarrabit intellectum.

**Q**ui non est expertus,  
pauca novit: qui autem va-

**6 Sicut parturientis.** Mulieres gestantes uterum, quibus, quamque  
vehementibus phantasiis perturbentur, notum est.

**8 Sine mendacio.** Quasi diceret: recurre potius ad legem ver-  
bumque divinum, ubi incorrupta veritas, ubi per certa promissa,  
vera et utilis cognitio futurorum, quemadmodum Isaiae VIII. 19, 20.  
*Et cum dixerint: Quærite à pythonibus et à divinis... ad legem magis et ad testimonium, sive oraculum, quale à Deo vero mitti solet.*  
*Et sapientia in ore fidelis complanabitur:* plana et aperta fiet. Gr.  
perfectio (erit:) ad perfectum deducetur. Sensus est: si futura in-  
vestiganda sunt, præter legem divinam, observari posse virorum  
sapientium provida consilia et præscias conjecturas, ut docent  
seqq.

**5. Divinatio erroris, et  
auguria mendacia, et som-  
nia malefacentium, vanitas  
est.**

**6. Et sicut parturientis,  
cor tuum phantasias pati-  
tur. Nisi ab Altissimo fuerit  
emissa visitatio, ne dede-  
ris in illis cor tuum.**

**7. Multos enim errare fe-  
cerunt somnia, et excide-  
runt sperantes in illis.**

**8. Sine mendacio consum-  
mabitur verbum legis, et  
sapientia in ore fidelis com-  
planabitur.**

**9. Qui non est tentatus,  
quid scit? Vir in multis  
expertus, cogitabit multa :  
at qui multa didicit, enar-  
abbit intellectum.**

**10. Qui non est expertus,  
pauca recognoscit : qui au-**

gatus est, multiplicabit astutiam.

tem in multis factus est, multiplicat malitiam.

11. Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.

12. Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines.

Multa vidi in circumerratione meâ: et plura verborum meorum, intellectus meus.

Sæpe usque ad mortem periclitatus sum; et salvatus sum horum gratiâ.

Spiritus timentium Dominum vivet:

Spes enim illorum in sal-

13. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causâ; et liberatus sum gratiâ Dei.

14. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur.

15. Spes enim illorum in

<sup>10</sup> *Qui in multis factus est.* Gr. qui multum peregrinatus est: per multas regiones:

Qui mores hominum multorum vidit, et urbes.

unde <sup>8.</sup> 12. *Multa vidi errando:* peregrinando. *Multiplicat malitiam;* sive ut Gr. astutiam.

<sup>11</sup> *Qui tentatus.... qui implanatus:* gemina versio 9 et 10. cuius hic erit sensus: qui deceptus est fit astutior, atque etiam fit nequior, animo per hominum corruptelas à sinceritate ac simplicitate deflexo.

<sup>12</sup> *Plurimas verborum consuetudines:* agendique rationes: hebraicâ phrasi, verba pro rebus. Gr. planior: multa vidi circumerrando ( peregrinando ): et plura verborum meorum intellectus meus; quæ doceo, ea plerumque experimento vera comperi.

<sup>13</sup> *Usque ad mortem:* vide cap. li. 3. et seqq. *Gratiâ Dei:* Gr. servatus sum horum gratiâ: non per somnia et divinationes, de quibus ab initio capit is, sed per legem et timorem Dei, ac præcepta quæ nunc trado, sæpe ipse servatus sum.

<sup>14</sup> *Spiritus timentium Deum quæritur:* vivet, Gr. ἔρχεται προσερχεται, vivet.

vantem illos.

salvantem illos, et oculi Dei  
in diligentes se.

**Qui timet Dominum, non  
trepidabit, et non pavebit :  
quoniam ipse est spes ejus.**

**16. Qui timet Dominum,  
nilil trepidabit, et non pa-  
vebit: quoniam ipse est spes  
ejus.**

Timentis Dominum beata  
est anima :

**17. Timentis Dominum  
beata est anima ejus :**

**Cui intendit? et quis est  
fortitudo ejus?**

**18. Ad quem respicit, et  
quis est fortitudo ejus?**

Oculi Domini super dili-  
gentes eum, protector po-  
tentiae, et firmamentum  
virtutis: tegmen ab ardore,  
et tegmen à meridie :

**19. Oculi Domini super  
timentes eum, protector  
potentiae, firmamentum vir-  
tutis, tegimen ardoris, et  
umbraculum meridiani,**

Custodia ab offensione,  
et adjutorium à casu :  
exaltans animam, et illu-  
minans oculum, dans sani-  
tatem, vitam, et benedi-  
ctionem.

**20. Deprecatio offensio-  
nis, et adjutorium casūs :  
exaltans animam, et illu-  
minans oculos, dans sanita-  
tem, et vitam, et benedi-  
ctionem.**

Immolantis ex iniquo obla-  
tio subsannata : et non sunt  
beneplacitae subsannationes  
injustorum.

**21. Immolantis ex iniquo  
oblatio est maculata : et non  
sunt beneplacitae subsanna-  
tiones injustorum.**

**22. Dominus solus susti-  
nentibus se in viâ veritatis  
et justitiae.**

**20 *Protector potentiae* : sine quo nulla est potentia nostra, seu  
mavis, protector potens, noto hebraismo. Gr. ad verbum : pro-  
tectio opposito scuto. *Firmamentum virtutis* : validum, incon-  
cussum; *umbraculum meridiani*; à meridie, et quāvis tentatione  
gravi.**

**20 *Deprecatio* : custodia ab offensione, Græc.**

**21 *Maculata* : μεμωμένη, à μῶμος, probrum, macula. Gr. μεμωμένη, ridicula, risu digna. *Subsannationes* : derisiones : *injustorum*,  
ex iniquo et rapto immolantium, Deoque illudentium.**

Oblationes impiorum non probat Altissimus : neque in multitudine sacrificiorum propitiatur peccatis.

**Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum; victimat filium in conspectu patris sui.**

Panis egentium, vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinum est.

**Qui aufert victimum, occidit proximum :**

**Et qui fraudat mercedem mercenarii, effundit sanguinem.**

**Unus ædificans, et unus destruens : quid proficiunt aliud, quam labores ?**

**Unus orans, et unus maledicens : cuius vocem exaudiet Dominus ?**

**Qui baptizatur à mortuo, et iterum tangit eum : quid proficit lavatione suâ ?**

**Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum va-**

**25 *Homo sanguinis : cædis reus.***

**26 *Qui aufert in sudore, sudanti et laborantî, panem : seu panem sudore partum.***

**28. 29. *Unus ædificans : unus orans : intellige in cædem familiâ ; ut doceantur communi studio bene agere.***

**30 *Qui baptizatur (lavatur) rediens à mortuo.***

**23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiat peccatis.***

**24. *Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.***

**25. *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.***

**26. *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.***

**27. *Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.***

**28. *Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis, nisi labor ?***

**29. *Unus orans, et unus maledicens : cuius vocem exaudiet Deus ?***

**30. *Qui baptizatur à mortuo, et iterum tangit eum : quid proficit lavatio illius ?***

**31. *Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum va-***

dit, et facit eadem : orationem illius quis exaudiet, et quid profecit humiliando se ? orationem illius quis exaudiet ?

## CAPUT XXXV.

*Pergit de oblationibus et precibus, toto capite: humilium precum vis,  
21 et seqq.*

## SIXTINA VERSIO.

## VERSIO VULGATA.

*In Gr. Caput xxxii.*

Qui conservat legem, multiplicat oblationes.

Sacrificans salutare, qui attendit mandatis.

Qui retribuit gratiam, offert similaginem : et qui facit eleemosynam, offert sacrificium laudis.

Beneplacitum est Domino recedere ab iniuitate;

1. Qui conservat legem, multiplicat oblationem.

2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniuitate.

3. Et propitiationem litare sacrificii super iniusticias; et deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustia.

4. Retribuet gratiam, qui offert similaginem : et qui facit misericordiam, offert sacrificium.

5. Beneplacitum est Dominino recedere ab iniuitate

<sup>1</sup> *Qui conservat* : ipsa legis observatio oblationis multiplicatio est.

<sup>2</sup> *Sacrificium salutare* : Gr. sacrificans salutaris, genit. casu : supple : oblatione, sive pro salute.

<sup>3</sup> *Et propitiationem* : alteram versionem eamque plauorem, vide §. 5.

<sup>4</sup> *Retribuet gratiam* : Gr. contrà : qui retribuit gratiam (benefactori) offert similaginem.

et propitiatio , recedere ab injustitiâ.

Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.

Hæc enim omnia propter mandatum.

Oblatio justi impinguat altare , et odor suavitatis ejus est in conspectu Altissimi.

Sacrificium viri justi acceptum est : et memoria ejus non tradetur oblivioni.

In bono oculo glorifica Dominum ; et nou minuas primitias manuum tuarum.

In omni datu hilarem fac vultum tuum : et in exultatione sanctifica decimas.

Da Altissimo secundùm datum ejus , et in bono oculo inventionem manûs.

Quoniam Dominus retribuens est , et septies tantùm reddet tibi.

te:ct deprecatio pro peccatis , recedere ab injustitiâ.

6. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.

7. Hæc enim omnia propter mandatum Dei sunt.

8. Oblatio justi impinguat altare , et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.

9. Sacrificium justi acceptum est : et memoriam ejus non obliviscetur Dominus.

10. Bono animo gloriam redde Deo : et non minuas primitias manuum tuarum.

11. In omni dato hilarem fac vultum tuum , et in exultatione sanctifica decimas tuas.

12. Da Altissimo secundùm datum ejus , et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum :

13. Quoniam Dominus retribuens est ; et septies tantùm reddet tibi.

<sup>10</sup> *Bono animo* : Gr. in bono oculo , non parco , non invido. Vide 12.

<sup>11</sup> *In omni dato* ; donatione : *hilarem fac* : Rom. xii. 8. II. Cor. ix. 7.

<sup>12</sup> *In bono oculo* : cùm Deus erga te beneficus ; cùm res tuas respexerit. *Adinventionem manuum* : dona cx iis quæ acquisiveris : quæ sub manu tuâ inveneris , phrasi usitatâ , *Levit. xiv. 21. xxv. 26 , 28.* et alibi passim. Læto oculo redde inventa , sive dona.

**Ne minua de munere:**  
non enim suscipiet :

14. Noli offerre munera  
prava : non enim suscipiet  
illa.

**Et non attendas sacrificio**  
injusto : quoniam Dominus  
judex est , et non est apud  
illum gloria personæ.

15. Et noli inspicere sa-  
crificiuminjustum, quoniam  
Dominus judex est : et non  
est apud illum gloria per-  
sonæ.

**Non accipiet personam in**  
pauperem : et deprecatio-  
nem læsi exaudiet.

16. Non accipiet Domi-  
nus personam in pauperem :  
et deprecationem læsi exau-  
diет.

**Non despiciet preces pu-**  
pilli; nec viduam , si effundat  
loquelaм.

17. Non despiciet preces  
pupilli; nec viduam , si ef-  
fundat loquelaм gemitūs.

Nonne lacrymæ viduæ  
ad maxillam descendunt ,  
et exclamatio super dedu-  
centem eas ?

18. Nonne lacrymæ viduæ  
ad maxillam descendunt , et  
exclamatio ejus super dedu-  
centem eas ?

**Qui colit , in beneplacito**  
suscipietur : et deprecatio  
illius usque ad nubes attin-  
get.

19. A maxillâ enim as-  
cendunt usque ad cœlum ;  
et Dominus exauditor nou-  
delectabitur in illis.

**Oratio humiliantis se nu-**  
bes penetravit ; et donec  
propinquet , non revocabi-

20. Qui adorat Deum in  
oblatione , suscipietur ; et  
deprecatio illius usque ad  
nubes propinquabit.

21. Oratio humiliantis se ,  
nubes penetrabit , et donec  
propinquet , non consolabi-

<sup>14</sup> *Munera prava*: diminuta : vide Gr. et ἡ. 10.

<sup>15</sup> *Gloria personæ* : Gr. θέση, opinio , respectus seu acceptio per-  
sonæ.

<sup>20</sup> *Qui adorat in oblatione*. Gr. cultor (Dei) etc.

<sup>21</sup> *Oratio humiliantis se* : Gr. humiliis , afflicti . Donec propinquet ,  
non consolabitur: non revocabitur, μὴ παραχλεῦ: non desistet à cursu ,  
donec coram Deo steterit: oratio , legati instar , primū quidem ,

tur ; et non discedet donec aspiciat Altissimus.

Et judicabit justè , et faciet judicium , et Dominus non tardabit : et nou habebit in illis patientiam , quo usque contribulet dorsum immisericordium.

Et gentibus reddet vindictam , donec tollat multitudinem superborum , et sceptra iniquorum contribulet :

Donec reddat homini secundùm actus ejus , et opera hominum secundùm cogitationes eorum :

Donec judicet judicium plebis suæ : et laetificabit eos misericordiâ suâ.

Speciosa misericordia in

nubes penetrat : 2. non desistit donec perveniat ad Deum : 3. ubi pervenit, non discedet , donec Altissimus respiciat. Vide orationis improbae et ad molestiam usque urgentis ingenium : *Luc. xi. 7, 8. xviii. 5.*

<sup>22</sup> Non elongabit : non tardabit, Gr. non habebit in illis patientiam : sic *Luc. xviii. 7.* Deus autem non faciet vindictam electorum suorum..... et patientiam habebit in illis ? Ut contribulet: conterat : vide Græc.

<sup>23</sup> Plenitudinem superborum : contumeliosorum turbam : sceptra : (potentiam) iniquorum contribulet : confringat , atterat.

<sup>24</sup> Adæ : dativo casu : videtur ex Heb. vertisse ubi loco , homini , scribitur , Adæ ; sensusque est : reddet hominibus et cuique homini secundùm opera sua : imò secundùm præsumptionem , sive ut habet Gr. secundùm cogitationem illius: arcanorum testis , neque tantum operum , sed etiam cogitationum ultor.

tur , et non discedet , donec Altissimus aspiciat.

22. Et Dominus non elongabit , sed judicabit justos , et faciet judicium : et Fortissimus non habebit in illis patientiam , ut contribulet dorsum ipsorum :

23. Et gentibus reddet vindictam ; donec tollat plenitudinem superborum , et sceptra iniquorum contribulet :

24. Donec reddat hominibus secundùm actus suos , et secundùm opera Adæ , et secundùm præsumptionem illius :

25. Donec judicet judicium plebis suæ : et oblectabit justos misericordiâ suâ.

26. Speciosa misericordia

tempore tribulationis ejus ,  
quasi nubes pluviae in tem-  
pore siccitatis. Dei in tempore tribulatio-  
nis, quasi nubes pluviae in  
tempore siccitatis.

---

## CAPUT XXXVI.

*Oratio auctoris pro populo , et sanctâ civitate ab inimicis et princi-  
pibus vexata , ad 20. orat etiam pro gentibus , 4. et seqq. Aaronicæ  
familiæ dignitas , 17. De rebus subtili judicio discernendis , 20. ad  
finem : uxor pulchra et sapiens , ibid.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIO VULGATA.

*In Gr. Caput xxxiii.*

MISERERE nostrî , Domine  
Deus omnium , et respice .

Et immitte timorem tuum  
super omnes gentes .

Extolle manum tuam su-  
per gentes alienas ; et vi-  
deant potentiam tuam .

Sicut coram illis sanctifi-  
catus es in nobis ; ita coram

1. MISERERE nostrî , Deus  
omnium , et respice nos ;  
et ostende nobis lucem mi-  
serationum tuarum .

2. Et immitte timorem  
tuum super gentes , quæ  
non exquisierunt te ; ut co-  
gnoscant quia non est Deus ,  
nisi tu , et enarrent magna-  
lia tua .

3. Alleva manum tuam  
super gentes alienas , ut  
videant potentiam tuam .

4. Sicut enim in conspec-  
tu eorum sanctificatus es in

\* *Miserere.* Postquam egit de oblationibus et precibus , ipse ad orandum se convertit . *Deus omnium :* eò quod pro gentibus quoque precaturus sit ; et congruit locus , cùm de persecutione gentium sit acturus ; quâ occasione de gentium conversione vaticinari videtur : quem spiritum magis magisque effundebat Deus , accidente Christi tempore , in quo benedicendæ erant gentes . Vide x. 3, 4, 5.

nobis magnificeris in illis.

Et agnoscant te , secundum quod et nos agnovimus ; quoniam non est Deus præter te , Domine.

Innova signa , et immuta mirabilia :

Glorifica manum , et brachium dextrum :

Excita furorem , et effunde iram.

Aufer adversarium , et afflige iuinicium.

Festina tempus , et memento juramenti : et enarrantur mirabilia tua.

In irâ ignis devoretur , qui salvatur : et qui pessimant plebem tuam , inveniant perditionem.

Contere capita principum inimicorum , dicentium :

#### *6 Immuta , itera , mirabilia.*

<sup>10</sup> Festina tempus : accelera : quod est gravia et extrema patientium. Memento finis : rem citò deducas ad exitum : Gr. memento juramenti : (pactique ac jurati cum populo tuo fœderis.) Hæc ad quod tempus pertineant, per historias liquet. Sanè solutâ captivitate Babylonicâ per Cyrus, Judæi altâ pace potiti sunt sub Persarum regibus, sub Alexandro magno , sub Macedonibus ; neque unquam causâ religionis invisi, nisi sub Antiocho Epiphane ortâ vexatione èa de quâ in Præfatione diximus ; et tamen hic noanihil annotari è re erat.

<sup>11</sup> Qui salvatur : si quis hostium incolumis ab hominibus abeat, eum tu iræ tue flammâ corripe.

<sup>12</sup> Principum : Syriæ, quorum regno attributi : inimicorum nostrorum se gerentium pro diis, ac supra omne numen sese efferen-

nobis; sic in conspectu nostro magnificaberis in eis ,

5. Ut cognoscant te , sicut et nos cognovimus ; quoniam non est Deus præter te , Domine.

6. Innova signa , et immuta mirabilia.

7. Glorifica manum et brachium dextrum.

8. Excita furorem , et effunde iram.

9. Tolle adversarium , et afflige inimicum.

<sup>10</sup>. Festina tempus , et memento finis , ut enarrant mirabilia tua.

11. In irâ flammæ devoretur qui salvatnr : et qui pessimant plebem tuam , inveniant perditionem.

12. Contere caput principum inimicorum , dicen-

**N**on est præter nos.

Congrega omnes tribus Jacob :

*In Gr. Caput xxxvi. ¶. 16.*

Et hæreditavi eos , sicut ab initio.

Miserere plebi , Domine , vocatæ in nomine tuo ; et Israel , quem primogenito assimilasti.

tium : Nou est alias præter nos.

13. Congrega omnes tribus Jacob , ut cognoscant quia non est Deus nisi tu , et enarrent magnalia tua : et hæreditabis eos , sicut ab initio.

14. Miserere plebi tuæ , super quam invocatum est nomen tuum ; et Israel quem coæquasti primogenito tuo.

tiam ; unde sequitur : atque dicentium : *Non est alias præter nos :* cui Judæi serviant ut diis ac regibus. Vide infrà , l. ac præsertim ¶. 7 , 12 , 14. Congruunt verba superba quæ passim invenias in Machabaicis : et vaticinia Danielis de Antiocho Epiphane , viii. 25. viii. 25. xi. 36. etc. Cæterùm Ægyptii reges Macedonici benevoli adversus Judæos fuere , et à Ptolemaeo quidem Lagi filio capta Jerosolyma , amplificandi imperii causâ , nullo gentis odio , cùm captivis beneficerit , et ad militiae honores evectis regnum tuendum tradiderit. Ptolemæus Philadelphus ejus filius , quantum piæ genti faverit , notum , cuius quippe temporibus acciti LXX. seniores ; judaica religio summo honori fuerit. Ac Ptolomæus quidem Evergetes hujus nominis primus Philadelphi filius , multa licet comminatus , quòd Onias II. consuetum tributum denegasset , à Josepho tamen Tobiæ filio Jerosolymitâ , usque adeo delinitus , ut sancta gens nusquam clarius habereatur ; neque secuti reges ab eâ sententiâ recesserunt ; nam quod de Ptolemaeo Philopatore in tertio Machabaico refertur , minas potius et conatum quām persecutionem fuisse , et in Præfatione notavimus , et ad cap. L. copiosior erit dicendi locus.

13 *Congrega omnes tribus :* persecutione dispersas. Illic in Gr. insertus est ¶. 27. cap. xxx. de conviviis , alienissimo loco , ut res ipsa demonstrat : ex quo liquet in Græcis potius quām in Latinis ordinem perturbatum.

14 *Miserere.* Continuatio hujus precationis invenitur in Gr. cap. xxxvi. 16. usque ad 20. Ex quo etiam confirmatur in Gr. perturbatum fuisse ordinem , cùm non constet precationis illius series. *Quem coæquasti , sive assimilasti , Gr. primogenito tuo :* quem primogeniti honore donasti.

Miserere civitati sanctificationis tuæ , Jerusalem , civitati requiei tuæ .

Reple Sion ad extollenda eloquia tua , et à gloriâ tuâ populum tuum .

Da testimonium iis qui ab initio creaturæ tuæ sunt : et suscita prophetias , quæ in nomine tuo .

Da mercedem sustinentibus te : et prophetæ tui fideles inveniantur .

Exaudi , Domine , orationem supplicum tuorum , secundùm benedictionem Aaron de populo tuo . Et scient omnes qui super terram , quia tu Dominus es Deus sacerdotum sacerdorum .

<sup>15</sup> *Civitati sanctificationis tuæ* (in quâ est templum tuum) *Jerusalem*. Hæc indicant vexationem , quam hîc deprecatur , maximè incubuisse in Jerusalem et templum : quod reverâ factum sub Seleuco Philopatore et Antiocho Epiphane ejus filio , nec alias usquam . Vide Praefat .

<sup>17</sup> *Creaturæ tuæ sunt* : nominandi casu : Gr. creaturis tuis ab initio : priscis temporibus : jam inde ab Abrahamo , seu mavis , ex Sémo cui benedixit Dominus præ cæteris fratribus : Gen. ix. 26, 27. non sicut Chanaan , qui ab illo initio maledictus : ibid. 25. *Prædicaciones* : an prædiciones ? Gr. Suscita prophetias Danielis , Zachariae , Isaiæ quoque et aliorum de Machabaicis victoriis , deque Syriæ regibus conterendis .

<sup>19</sup> *Secundùm benedictionem Aaron*. Postulat ut permaneat apud Israelitas verum ac legitimum sacerdotium : non quale erat tunc sub Antiocho Epiphane , venale ; atque infandis sacerdotibus Jasoni , ac

Omnem

15. Miserere civitati sanctificationis tuæ , Jerusalem , civitati requiei tuæ .

16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis , et gloriâ tuâ populum tuum .

17. Da testimonium his , qui ab initio creaturæ tuæ sunt : et suscita prædicaciones , quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores .

18. Da mercedem sustentibus te , ut prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum ,

19. Secundùm benedictionem Aaron de populo tuo ; et dirige nos in viam justitiae : et sciant omnes qui habitant terram , quia tu es Deus conspectus sacerdotum .

**Omnem escam manduca-bit venter; est autem cibus cibo melior.**

Fauces gustant cibos ve-nationis : sic cor sensatum verba mendacia.

Cor pravum dabit tristi-

20. **Omnem escam man-duca-bit venter; et est cibus cibo melior.**

21. **Fauces contingunt ci-bum ferae; et cor sensitum verba mendacia.**

22. **Cor pravum dabit tris-**

Menelao pretio prostitutum, pulso Oniæ III. legitimo ac sanctissimo pontifice, ut habes II. Mach. iv. 8, 23. Et Jason quidem Oniæ frater ac de Aaronis genere : Menelaus verò cui etiam nomen Oniæ fuisse Josephus memorat, frater Simonis Benjaminitæ, II. Mach. iii. 4. iv. 23. non ergo ab Aaronis stirpe, nedum Oniæ III. frater, quidquid dicat Josephus : *Origin.* xii. 6. nam quod aiunt: ideo dictum Simonis illius Benjaminitæ fratrem, quòd ejus sororem duxerit, cæterū Oniæ III. et Jasonis germanum fuisse; gratis dicitur, nec historiæ sacrae congruit: si enim ejus Oniæ atque Jasonis frater fuisset, Machabaica historia non de eo sic scriberet: *Misit Jason Menelaum supradicti Simonis* (Benjaminitæ) *fratrem*: sed suum et Oniæ III. ac de Menelao, ut de Jasone diceret, quòd *proprium fratrem captivaverat*, II. Machab. iv. 23, 26. cumque iste Menelaus Oniam III. etiam occiderit, quantò magis memoraret eumdem par-ricidam, ac proprii fratris interfectorum fuisse? de quo tamen reticet: *ibid.* 34. neque quidquam aliud de Menelai stirpe memorat, nisi eum Simonis Benjaminitæ esse fratrem; quo satis ostendit à sacerdotali genere alienum, uti prædiximus. Cujus etiam loco Lysimachus ejus frater pontificatum accepit, Oniæ III. adhuc superstite: *ibid* 29. qua-rum corruptelarum occasione, cùm eas in hæc tempora incidisse de-monstratum à nobis sit, Ecclesiasticus hic et infrà xlvi. 31. Aar-onicæ familie dignitatem, et pontificiæ successionis ordinem com-mendat. De his autem, deque Josepho hic non semper audiendo, vide Praef. Atque hic precatio desinit: jam alia sententia.

20 *Omnem escam..... cibus cibo melior.* Dicturus de rebus subtili-judicio discernendis, hinc incipit; sicut cibos à cibis, ita cogitationes à cogitationibus quodam gustu secernendas, quod sequenti congruit.

21 *Fauces contingunt:* guttur gustat ferinam, gustandoque dissernit ab aliâ quâvis escâ; ita *et cor sensitum*.

tiam : et homo peritus re-  
tribuet ei.

Omnem masculum exci-  
piet mulier : est autem filia  
melior filiâ.

Species mulieris exhilarat  
faciem, et super omnem  
concupiscentiam hominis  
superducit.

Si est in lingua ejus mis-  
ericordia et mansuetudo; non  
est vir illius secundum filios  
hominum.

Qui possidet mulierem,  
inchoat possessionem, adju-  
tricem secundum se, et co-  
lumnam requietis.

titiam; et homo peritus re-  
sistet illi.

23. Omnem masculum ex-  
cipiet mulier : et est filia  
melior filiâ.

24. Species mulieris exhi-  
larat faciem viri sui, et su-  
per omnem concupiscentiam  
hominis superducit de-  
siderium.

25. Si est lingua curatio-  
nis, est et mitigationis et  
misericordiae : non est vir  
illius secundum filios homi-  
num.

26. Qui possidet mulie-  
rem bonam, inchoat pos-  
sessionem : adjutorium se-  
cundum illum est, et co-  
lumna ut requies.

*22 Homo peritus : multa expertus.*

*23. Omnem masculum : in mulieribus idem sexus, sed tamen de-  
lectus est virginum, quo magis necesse est discretione uti.*

*24. 25. Species mulieris.... si est lingua curationis : Gr. si linguae  
illius ( mulieris ) inest misericordia et mansuetudo, non est vir il-  
lius, etc. Sensus est : muliebris quidam formae cupiditas omnem  
aliam hominius cupiditatem supergreditur; sed si accedet linguae  
verborumque lenitas, vir ejus communi hominum conditioni exi-  
mendus. Quæ etsi intricatiora in interpretatione latinâ, huc tamen  
haud incommodè trahi possunt. Lingua curationis : quæ vitia emen-  
det verbis sapientibus, ac lenitate sanet animi ægritudinem.*

*26. Qui possidet.... inchoat possessionem. Initium omnis bonaे pos-  
sessionis est bonam mulierem possidere; inde ordiendum ei qui di-  
ves esse vult. Adjutorium secundum illum est : simile sibi. Gen. ii.  
18. congruum, suoque animo consentaneum. Columna ut requies :  
columna ( et firmamentum ) quietis, Gr.*

**Ubi non est sepes, diripietur possessio : et ubi non est mulier, ingemiscet errans.**

**Quis enim crebet succincto latroni erranti de civitate in civitatem? sic homini non habenti nidum, et deflectenti ubicumque obscuraverit.**

**27 Ingemiscit egens : erro, Gr. in tuto exceptus loco : ut patet ex seq.**

**28 Quis credit : clarius Gr. Quis credit succincto latroni exerranti de urbe in urbem? sic (neque creditur) homini non habenti nidum (hoc est familiam) ac solventi (equum vel currum) ubicumque advesperascat, ubicumque nox oppresserit : quod Vulgatus vertit, ubicumque obscuraverit : significat autem in vulgari vitâ ac veteris testamenti conditione, viro bono habendum esse lectulum, ac fidam lectuli consortem, neque quolibet divertendum.**

---

## CAPUT XXXVII.

*De veris falsisque amicis et consiliariis dignoscendis, ad 19. à quo petenda consilia, 12. Deus imprimis consulendus, 19. ratio antecedat actus, 20. veri falsisque sapientes, 22 et seqq. quisque se probet, 30, 31. ut à cibis, sic à voluptatibus temperandum, 32, 33, 34.*

### SIXTINA VERSIO.

**OMNIS amicus dicet, Et ego cum illo amicitiam copulavi: sed est amicus solo**

### VERSIO VULGATA.

**1. OMNIS amicus dicet: Et ego amicitiam copulavi: sed est amicus solo nomine ami-**

**1. Est amicus solo nomine: et hoc de dignoscendis amicis ad discernendi judicium pertinet, quâ de re agi diximus à superioris capit. x. 20.**

nomine amicus.

Nonne tristitia inest usque ad mortem, sodalis et amicus convertens se ad inimicitiam?

O præsumptio nequissima, unde devoluta es cooperire aridam in dolositate?

Sodalis amico conjocundatur in oblectatione: et in tempore tribulationis contrarius erit.

Sodalis amico condolet causâ ventris: contra bellum accipiet scutum.

Ne obliviscaris amici in animo tuo: et non immemor sis illius in opibus tuis.

Omnis consiliarius extol-

<sup>2</sup> Sodalis et amicus: Græc. sic necit: nonne tristitia intus, usque ad mortem, sodalis et amicus convertens se ad inimicitiam?

<sup>3</sup> O præsumptio: Gr. ὁ cogitatio prava, unde ( quo fonte ) devoluta es, ut operires aridam ( sive terram ) dolis? ( rupto amicitiae fœdere, ac subdolis invectis amicitiis.)

<sup>5</sup> Condolet, sive collaborat, Gr. *Contra hostem accipiet scutum*: specie ut amicum tueatur, reverâ ut ventri suo consulat.

<sup>7</sup> Noli consiliari: hunc γ. Gr. transtulit post 11. *A zelantibus te: ab æmulis tuis.*

<sup>8</sup> Omnis consiliarius ( talis ) prodit consilium: Gr. planior: omnis

cus. Nonne tristitia inest usque ad mortem?

2. Sodalis autem et amicus ad inimicitiam convertentur.

3. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitiâ et dolositate illius?

4. Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus: et in tempore tribulationis adversarius erit.

5. Sodalis amico condolet causâ ventris: et contra hostem accipiet scutum.

6. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in opibus tuis.

7. Noli consiliari cum eo, qui tibi insidiatur, et à zelantibus te absconde consilium.

8. Omnis consiliarius pro-

lit consilium : sed est, qui  
consulit sibi ipsi.

A consiliario serva ani-  
mam tuam : et scito prius  
quæ sit illius necessitas : ete-  
num ipse sibi consulet :

Ne fortè mittat super te  
sortem, et dicat tibi :

Bona est via tua : et sta-  
bit è contrario videre quid  
tibi eveniat.

Noli consiliari cum eo,  
qui te suspectum habet; et  
à zelantibus te absconde con-  
silium :

Cum muliere, de æmulâ  
ejus ; et cum timido, de  
bello ; cum negotiatore, de  
permutatione; et cum em-  
ptore, de venditione ; cum  
invido, de gratiis reddendis;

consiliarius effert (jactat) consilium; *sed est consiliarius in semet-  
ipsum* : quod Vulg. vertit *in semetipso* : est qui consulat sibi.

*9 A consiliario.... scito quæ necessitas*, sive utilitas. Ne petas con-  
silium, nec arcana tua prodas sine necessitate. *Ipse enim animo  
suo cogitabit* : Gr. sibi consulet.

*10 Ne fortè mittat sudem in terram*: offendiculum aliquod : quod  
sequentibus verbis congruit : Gr. sortem super te. Grotius conjicit  
pro ἀληφι sortem, reponeundum ὀχληφι, durum quid, in quod impin-  
gat : quod Vulgatus verterit, sudem.

*11 Cum viro irreligioso* : apertè excidit negatio quæ habetur in  
Græc. subdit enim v. 14. *Non attendas his in omni consilio*. Sic ergo  
habet Græcus: Ne tractaveris cum eo qui te suspectum habeat, et ab  
æmulis tuis absconde consilium ; cum uxore, de æmulâ ejus ; cum  
timido, de bello : quisque enim consulet secundum ingenium ac  
rationes suas. Jam ad singula. *Cum negotiatore de trajectione* : de  
convectendæ mercis pretio : Græc. de permutatione, seu rebus  
permutandis.

dit consilium : sed est consi-  
liarius in semetipso.

9. A consiliario serva ani-  
mam tuam : prius scito quæ  
sit illius necessitas : et ipse  
enim animo suo cogitabit :

10. Ne fortè mittat sudem  
in terram, et dicat tibi :

11. Bona est via tua : et  
stet è contrario videre quid  
tibi eveniat.

12. Cum viro irreligioso  
tracta de sanctitate ; et cum  
injusto de justitiâ ; et cum  
muliere, de eâ quæ æmu-  
tar; cum timido, de bello ;  
cum negotiatore, de trajec-  
tione ; cum emptore de ven-  
ditione ; cum viro livido, de  
gratiis agendis ;

Et cum immisericorde, de beneficentiâ ; cum pigro, de omni opere ;

Et cum mercenario domestico, de consummatione ; servo pigro, de multâ operatione : non attendas his de omni consilio.

Sed cum viro sancto assiduus esto, quem cognoveris observantem mandata :

Qui in animâ suâ est secundum animam tuam : et si cecideris, condolebit tibi.

Et consilium cordis statue : non est enim tibi fidelior ipso.

Anima enim viri annuntiare interdum consuevit magis, quam septem cir-

13. Cum impio, de pietate ; cum in honesto, de honestate ; cum operario agrario, de omni opere ;

14. Cum operario annuali, de consummatione anni ; cum servo pigro, de multâ operatione : non attendas his in omni consilio.

15. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei ;

16. Cujus anima est secundum animam tuam ; et qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.

17. Cor boni consilii statue tecum : non est enim tibi aliud pluris illo.

18. Anima viri sanctienuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores se-

<sup>13</sup> *Cum impio, de pietate : eujus loco, Gr. eum immisericorde de beneficentiâ. Cum operario agrario de omni opere in agris faciendo, de arando, de metendo : Gr. cum pigro de omni opere : abhorrebit enim ac dissuadet, aut labore pluris aestimabit.*

<sup>14</sup> *Cum operario annuali : cum mercenario conducto ad certum tempus de præstituto operi fine : Gr. cum mercenario domestico de consummatione ( sive fine operis : ) is enim in longum extrahet opus, ex quo sibi lucrum pariat, aut continuandum suadet.*

<sup>15</sup> *Timorem : Gr. mandatum : Dei.*

<sup>17</sup> *Cor boni consilii : sive ut habet Gr. consilium cordis statue tibi : quoad fieri potest, cape consilium ex te ipso. Pluris illo : fidelior, Gr. quod sequentia firmat.*

<sup>18</sup> *Anima viri : suus cuique animus enuntiat plus quam septem circumspectores : Vulgata meritò addit, sancti : optimus enim eris tibi consiliarius, si sanctus sis, et vigili adversus cupiditates animo.*

cumspectores sedentes in dentes in excelsō ad specu-  
excelsō super speculam.

**E**t in his omnibus depre-  
care Altissimum, ut dirigat  
in veritate viam tuam.

**P**rincipium omnis operis  
verbum : et ante omnem  
actum, consilium.

**V**estigium mutationis cor-  
dis. Quatuor partes oriuntur,  
bonum et malum, vita et  
mors: et dominatrix assiduè  
illorum est lingua.

**E**st vir astutus, et multo-  
rum eruditōr; et animæ  
propriæ inutilis est.

**19.** Et in his omnibus de-  
precare Altissimum, ut di-  
rigat in veritate viam tuam.

**20.** Ante omnia opera  
verbum verax præcedat te;  
et ante omnem actum con-  
silium stabile.

**21.** Verbum nequam im-  
mutabit cor : ex quo partes  
quatuor oriuntur, bonum et  
malum, vita et mors : et  
dominatrix illorum est assi-  
dūa lingua. Est vir astutus  
multorum eruditōr, et ani-  
mæ suæ inutilis est.

**22.** Vir peritus multos  
eruditivit, et animæ suæ suau-  
vis est.

<sup>19</sup> *Et in his omnibus : cùm omnia ex his præceptis prudenter in-  
stitueris, adhuc deprecare Altissimum.*

<sup>20</sup> *Ante omnia opera : planus sensus, ut antequam quidquam agas,  
vera monearis. At Gr. initium operis verbum, sen potius ratio ; eò  
quòd necesse sit tractare et cogitare antequam agas.*

<sup>21</sup> *Verbum nequam (ab aliis prolatum alicui) immutabit cor il-  
lius : hinc enim ingeneratur ejus animo suspicio : ex quā in partes  
quatuor sese dividit animus, atque incipit dubitare in quovis nego-  
tio, an sit bonum malumve, seu commodum an noxiū : pecca-  
tum, an rectē factum, sive usitatā phrasī, vita et mors : his enim  
quatuor vita humana vertiunt. At Gr. vestigium mutationis cordis :  
sive haec sunt quibus perspicere possis animū cujusque immuta-  
tum; si intellexeris ex aliquo negotio aliquid cuique noxiū aut  
commodum, rectē aut malē factum secuturum. Et dominatrix illo-  
rum : his rebus imperat sermo assiduus, ut facile conjectare possis  
quòd cujusque animus inclinaturus sit, si attenderis quibuscum assi-  
duè colloquatur : hinc enim yel maximē afficitur animus.*

Est qui sapientiam ostentat in sermonibus odibilis : hic omni alimento defraudabitur.

Non est enim data illi à Donino gratia ; omni enim sapientiâ defraudatus est.

Est sapiens animæ suæ : et fructus sensùs illius in ore fideles.

Vir sapiens plebem suam erudit : et fructus sensùs illius fideles sunt.

Vir sapiens implebitur benedictione : et beatificabunt illum omnes qui vident.

Vita viri in numero dierum : dies autem Israel innumerabiles sunt.

Sapiens in populo suo hæreditabit fidem : et nomen ejus vivet in æternum.

Fili, in vitâ tuâ tenta animam tuam : et vide quid

<sup>23</sup> *Qui sophisticè loquitur* : qui argutè, non candidè : melius ex Gr. qui sapientem se facit, sapientiam ostentat. *Omni re* : alimento : Gr. *defraudabitur* : carebit, privabitur ; cuius rei causa est id quod sequitur : nempe quòd invitus, et omnia callidè machinari visus, sibi relinquatur.

<sup>25</sup> *Est sapiens animæ suæ*, sibi ipsi utilis, non ut ille multa monens alios, *animæ suæ inutilis* : de quo agitur §. 21.

<sup>28</sup> *Vita viri* : ne te ipsum respexeris tam brevis ævi futurum, sed rempublicam, quæ est immortalis ; apud quam *nomen tuum in æternum vivet*, §. 29.

<sup>30</sup> *Tenta animam tuam* : quod est, nosce te ipsum : et si fuerit

<sup>23</sup> Qui sophisticè loquitur, odibilis est : in omni re defraudabitur.

<sup>24</sup> Non est illi data à Domino gratia ; omni enim sapientiâ defraudatus est.

<sup>25</sup> Est sapiens animæ suæ sapiens : et fructus sensùs illius laudabilis.

<sup>26</sup> Vir sapiens plebem suam erudit : et fructus sensùs illius fideles sunt.

<sup>27</sup> Vir sapiens implebitur benedictionibus ; et videntes illum laudabunt.

<sup>28</sup> Vita viri in numero dierum : dies autem Israel innumerabiles sunt.

<sup>29</sup> Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum.

<sup>30</sup> Fili, in vitâ tuâ tenta animam tuam : et si fuerit

malum ei, et non des ei : nequam, non des illi potestatem :

Non enim omnia omnibus  
expediunt : et non omni  
animæ omnia placent.

Noli esse insatiabilis in  
omnibus deliciis : et non te  
effundas super epulas.

In multis enim escis erit  
labor : et insatiabilitas ap-  
propinquabit usque ad cho-  
leram.

Propter edacitatem multi  
obierunt : qui autem atten-  
dit, adjicit vitam.

31. Non enim omnia om-  
nibus expediunt : et non  
omni animæ omne genus  
placet.

32. Noli avidus esse in  
omni epulatione : et non te  
effundas super omnem es-  
cam :

33. In multis enim escis  
erit infirmitas : et aviditas  
appropinquabit usque ad  
choleram.

34. Propter crapulam  
multi obierunt : qui au-  
tem abstinens est, adjicit  
vitam.

*rit nequam; si in malum propendere videris, ne permitte eam sibi.*

*33 Usque ad cholera m : torsiones ex bile et cholera ortas. Allegoricè; ut à nimiis epulis, ita à nimiis voluptatibus abstinen- dum.*

---

## CAPUT XXXVIII.

*De medicis ac medicind: eaque occasione de morbis et morte, ad 25. pro ægro oret medicus, 14. mortui ut lugendi, 16, et seqq. et quid in funeribus cogitandum, 23, 24. Sapientia postulat otium, 25. quæ occasione de artium occupationibus ac primùm de agriculturâ, et aliis, 26, ad finem: dum laborant, Deum legemque recogitent, 39.*

## SIXTINA VERSIO.

## VERSIO VULGATA.

HONORA medicum ad necessitates, honoribus illius: nam et illum creavit Dominus.

Ab Altissimo enim est medela; et à rege accipiet donationem.

Scientia medici exaltabit caput illius; et in conspectu magnatorum suspicietur.

Dominus creavit de terrâ medicamenta: et vir prudens non abhorrebit illa.

Nonne à ligno indulcata est aqua:

1. HONORA medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus.

2. A Deo est enim omnis medela, et à rege accipiet donationem.

3. Disciplina medici exaltabit caput illius: et in conspectu magnatorum collaudabitur.

4. Altissimus creavit de terrâ medicamenta: et vir prudens non abhorrebit illa.

5. Nonne à ligno indulcata est aqua amara?

<sup>1</sup> Honora medicum: quod etiam complectitur mercedem honorariam, ejus arti curæque debitam; quo sensu dicitur: *Honora Dominum de tuâ substantiâ*. Prov. iii. 9. atque etiam, *Honora patrem et matrem*. Matth. xv. 4, 5, 6.

<sup>5</sup> Nonne à ligno: quod est documento inditas virtutes arboribus, sive naturâ, sive supra naturam.

**U**t cognosceretur virtus illius? et ipse dedit hominibus scientiam, ut glorificaretur in mirabilibus suis.

**I**n his curavit, et abstulit dolorem ejus. Unguentarius in his faciet misturam: et non consummabit opera sua:

**E**t pax ab illo est super faciem terræ.

**F**ili, in infirmitate tuâ non despicias; sed ora Dominum, et ipse curabit te.

**A**move delictum, et dirige manus, et ab omni peccato munda cor.

**6.** Ad agnitionem hominum virtus illorum: et dedit hominibus scientiam Attissimus, honorari in mirabilibus suis.

**7.** In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis: et non consummabuntur opera ejus.

**8.** Pax enim Dei super faciem terræ.

**9.** Fili, in tuâ infirmitate ne despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te.

**10.** Averte à delicto, et dirige manus: et ab omni delicto munda cor tuum.

**6** *Virtus illorum*: medicamentorum de quibus ḡ. 4. Græc. illius: ligni, de quo ḡ. 5.

**7** *Pigmenta*: misturam, Gr. *et non consummabuntur*: nullum finem habebunt opera ejus: tot genera condimentorum pigmentorumque sunt: Gr. non consummabit; supple, unguentarius, non ad perfectum deducet, et tamen exinde

**8** *Pax Dei*, favor, benevolentia: ex quâ plantæ salubres: Gr. pax ab illo: scilicet unguentario, et grande adjumentum vitæ humanae. Quidam hos versus sic jungunt: *Non consummabit*: non cessabit unguentarius, donec ab illo pax, seu valetudo tibi sit.

**9** *Ora Dominum*: nec sis ut Amasias qui confisus est in arte medicorum, et non in Domiuo. Sic docet Ecclesiasticus declinare extrema; neque contemnere, neque pluris quam oporteat, facere artem medicam.

**10** *Dirige manus*: opera tua fac recta. Docet unde esse debeat initium procurandi morbi, nempe à procurando peccato: quò etiam pertinet sequens.

Da suavitatem odoris, et memoriale similaginis, et impingua oblationem: quasi non sis. Et da locum medico:

Nam et illum Dominus creavit: et non discedat à te; nam et ipso opus est.

Est tempus, cùm et in manibus eorum suavitas odoris.

Nam et ipsi Dominum deprecabuntur, ut dirigat ipsis requiem et sanitatem, propter restituendam valetudinem.

Qui peccat contra eum qui fecit eum, incidat in manus medici.

Fili, super mortuum deduc lacrymas: et quasi dira passus, incipe ploratum: et secundùm judicium ejus contege corpus illius; et non despicias sepulturam illius.

Amarum fac ploratum:

<sup>11</sup> *Da suavitatem: da sacrificium boni odoris: memoriam: memoriale: similaginis: in sacrificio adhiberi solitae: impingua oblationem: Gr. addit: quasi non sis; quasi in extremo vite, ac statim moriturus, nisi Deum placaveris.*

<sup>13</sup> *In manus illorum incurras: ideo non contemnendus à sanis, ut fit: Gr. hic et Latinus, &c. seq. docent medicum, ut ipse quoque pro ægris deprecetur, ac victimam boni odoris offerat; sic enim remedia melius successura.*

<sup>16</sup> *Secundum judicium ejus: Gr. secundum dignitatem, ut &c. 18. alii: pro more.*

<sup>17</sup> *Propter delaturam: cùm effertur corpus.*

<sup>11</sup>. Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem : et da locum medico :

<sup>12</sup>. Etenim illum Dominus creavit: et non discedat à te; quia opera ejus sunt necessaria.

<sup>13</sup>. Est enim tempus quandò in manus illorum incurras:

<sup>14</sup>. Ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum et sanitatem, propter conversationem illorum.

<sup>15</sup>. Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.

<sup>16</sup>. Fili, in mortuum produc lacrymas : et quasi dira passus, incipe plorare: et secundùm judicium contege corpus illius; et non despicias sepulturam illius.

<sup>17</sup>. Propter delaturam

et calefac planctum;

autem amarè fer luctum ilius uno die : et consolare propter tristitiam.

**Et fac luctum secundùm dignitatē ejus , uno die , vel duobus , propter detractionem : et admitte consolationem propter tristitiam.**

**Ex tristitiā enim provenit mors : et tristitia cordis flectet virtutem.**

**In abductione transit et tristitia : et vita pauperis secundūm corda.**

**Ne dederis in tristitiam cor tuum : repelle eam , memor novissimorum ,**

**Et noli oblivisci : non est enim redditus : et huic non**

**18. Et fac luctum secundūm meritū ejus , uno die , vel duobus , propter detractionem.**

**19. A tristitiā enim festinat mors : et cooperit virtutem , et tristitia cordis flectit cervicem.**

**20. In abductione permanet tristitia : et substantia inopis secundūm cor ejus.**

**21. Ne dederis in tristitiā cor tuum , sed repelle eam à te : et memento novissimorum.**

**22. Noli oblivisci : neque enim est conversio , et huic**

**18 Propter detractionem : ne quis tibi detrahatur , aut dicat parcè à te celebratum solemnem luctum : et tamen consolare : passivē : funde consolabiles lacrymas.**

**19 A tristitiā : subaudi , cave tamen nimis lugeas : eò quod à tristitiā , etc. cooperit virtutem : velut fluctu obruit , ac demergit omnem animi vim. Flectit cervicem : sub hoc velut pondere incurvata.**

**20 In abductione : abducto cadavere et sepulso permanet tristitia : hactenus permanet : παραμένει . Nunc Gr. habet : παραβάίνει , transit , clariore sensu : transit ( paulatim , tristitia : et substantia , Gr. vita inopis secundūm cor ejus : luctu levato , vita fit letior. Alii aliter legunt et vertunt , obscurissimo sensu.**

**21 Memento novissimorum : in aliorum funere mortem tuam cogita : hoc utile : non autem ut te luctu conficias : alii : memento mortis quam lugendo accersas : ex antecedentibus.**

**22 Noli oblivisci quae moneo de moderando luctu : neque enim est conversio : sive reversio mortuorum , quantumvis lugeas.**

proderis , et te ipsum pessi-  
mabis.

Memento judicii ejus ;  
quoniam sic , ut etiam tuum :  
michi heri , et tibi hodie.

In requie mortui quies-  
cere fac memoriam ejus ; et  
consolationem accipe in eo ,  
in exitu spiritus illius.

Sapientia scribæ in oppor-  
tunitate otii : et qui minor-  
ratur actu suo , sapientiam  
percipiet.

Quomodo sapientiæ reple-  
bitur qui tenet aratum , et  
gloriatur in hastâ stimuli ,  
boves agitat , et conversa-

nihil proderis , et te ipsum  
pessimabis.

23. Memor esto judicij  
mei : sic enim erit et tuum :  
michi heri , et tibi hodie.

24. In requie mortui re-  
quiescere fac memoriam  
ejus ; et consolare illum in  
exitu spiritus sui.

25. Sapientia scribæ in  
tempore vacuitatis : et qui  
minoratur actu , sapientiam  
percipiet : quâ sapientiæ re-  
plebitur

26. Qui tenet aratum , et  
qui gloriatur in jaculo , sti-  
mulo boves agitat , et con-  
versatur in operibus eo-

<sup>23</sup> *Memor esto : quasi nomine mortui : judicij mei : legis quam  
subii.*

<sup>24</sup> *In requie mortui requiescere , seu cessare , fac memoriam ejus :  
tolle luctum indefessum ex nimiâ recordatione : consolare illum :  
quasi diceret : adhuc solatia ægro quandiu vivit : mortuum ne plus  
æquo lugeas. At Gr. consolationem accipe in exitu spiritus ejus : ne  
te nimio luctu conficias.*

<sup>25</sup> *Sapientia scribæ (doctoris) in tempore (in opportunitate ,  
Gr.) vacuitatis : otii : otium ac secessus conquirendæ sapientiæ ne-  
cessaria : unde Marthæ sollicitudo inereparatur , Mariæ beatissima ad  
pedes Domini laudatur quies. Et qui minoratur actu ; qui ab actione  
turbulentâ ac negotiis cessat , sapientiam percipiet : quâ sapientiæ  
replebitur ? per interrogationem , aut , ut habet Gr. quomodo sa-  
pientiæ replebitur ?*

<sup>26</sup> *Qui tenet aratum : qui totus in bobus est , nihil aliud aut co-  
gitat , aut loquitur , vel aliis addictus est artibus quas enumerat à  
26 , ad 35. Qui gloriatur in jaculo : stimulo ad boves agitandos :  
conversatur , versatur , in operibus eorum ; is ergo quomodo sapien-  
tiæ attendat ?*

tur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum?

**Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in saginâ vaccarum.**

Sic omnis faber, et architectus, qui noctem tanquam diem transigit: qui sculpunt sculpturas signaculorum, et assiduitas ejus immutare varietatem? Cor suum dabit ad assimilandam picturam: et vigilia ejus, perficere opus.

Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et addiscens pigro ferro. Vapor ignis durabit carnes ejus, et in calore fornacis concertabit.

**Vox mallei innovabit aurem ejus: et contra similitudinem vasis oculi ejus.**

**28 Sic omnis faber.** Jam transit ad fabros, aliaque opera, in quibus omnis artifex noctem tanquam diem (laborando) transigit; atque adeo nullum colendæ sapientiae relinquit locum. Qui sculpit signacula sculptilia: sigillorum cælaturas. Assiduitas ejus variat; cor suum dabit ad similitudinem. Duo enumerat quibus maximè sculptorum pictorumque constat industria; alterum, varietas operis; alterum, exacta ad naturam rerum expressio: vide autem quâ hæc totum occupent animum: assiduitas ejus..... cor suum dabit.

**29 Considerans opus ferri:** artem exercens in rudi ferro: *ἄγνω*, nondum facto. Alii vertunt: pigro, duro, nec ductili aut sequace, emolliti difficulti. Concertatur: concertabit: Gr laborabit: vel igne adhibito, ferri rigorem tanquam certando vincet.

**30 Vox mallei innovat aurem ejus:** assiduo pulsu iterata, et innovata aurem percutit. **Contra similitudinem:** attentus exemplari

**27. Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in saginâ vaccarum.**

**28. Sic omnis faber et architectus,** qui noctem tanquam diem transigit: qui sculpsit signacula sculptilia, et assiduitas ejus variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, et vigiliâ suâ perficiet opus.

**29. Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri.** Vapor ignis uret carnes ejus, et in calore fornacis concertatur:

**30. Vox mallei innovat aurem ejus;** et contra similitudinem vasis oculus ejus:

Cor suum dabit in consummationem operum : et vigilia ejus , ornare in perfectionem.

Sic figulus sedens ad opus suum , et convertens pedibus suis rotam , qui in sollicitudine positus est semper in opus suum ; et in numero omnis operatio ejus .

33. In brachio suo formabit lutum : et ante pedes curvabit virtutem suam.

Cor suum dabit ut consummet linitionem ; et vigilia ejus , mundare fornacem.

Omnis in manibus suis speraverunt : et unusquisque in arte sua sapiens est.

Sine ipsis non ædificabitur civitas :

Nec inhabitabunt , nec

vasis quod fabricat. *Ornabit in perfectionem* : opus perpoliet , et ad summum artis adducet.

32 *In numero* : in quodam numeroso motu.

35. 36. *Omnis hi... unusquisque : sapiens est.. sine his* ; quasi dicere : Hæc quidem opera suam habent sapientiam , humanæ societati necessariam , infimi tamen ordinis , non rerum gubernaculis natam , ¶ 37. et seqq. neque comparandam veræ sapientiæ , de qua cap. seq.

37 *Et non inhabitabunt* : orationem sic construe : sine his artibus non ædificatur civitas , ut ¶ præcedenti : *et non inhabitabunt* , nec inambulabunt homines in cæ Civitate scilicet : urbes desertæ erunt , inambulabunt :

31. Cor suum dabit in consummationem operum , et vigilia sua ornabit in perfectionem.

32. Sic figulus sedens ad opus suum , convertens pedibus suis rotam , qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum ; et in numero est omnis operatio ejus .

33. In brachio suo formabit lutum : et ante pedes suos curvabit virtutem suam.

34. Cor suum dabit ut consummet linitionem ; et vigiliâ suâ mundabit fornacem.

35. Omnes hi in manibus suis speraverunt : et unusquisque in arte sua sapiens est.

36. Sine his omnibus non ædificatur civitas.

37. Et non inhabitabunt ,

inambulabunt : et in ecclesiā non transilient ; nec inambulabunt ; et in ecclesiam non transilient.

Super sellam judicis non sedebunt , et testamentum judicii non intelligent : neque palam facient justitiam et judicium : et in parabolis non invenientur.

Sed creaturam ævi confirmabunt : et deprecatio eorum in operatione artis , tantummodo accommodantis animam suam , et conquirentis in lege Altissimi.

38. Super sellam judicis non sedebunt , et testamentum judicii non intelligent : neque palam facient disciplinam et judicium , et in parabolis non invenientur ;

39. Sed creaturam ævi confirmabunt:et deprecatio illorum in operatione artis , accommodantes animam suam , et conquirentes in lege Altissimi.

atque inhabitabiles : et tamen illi artifices quorum tanta præstania est , *in ecclesiam* , in legitimos cœtus *non transilient* : non ad eos vocabuntur , neque ulli parti reipublicæ præerunt , ut exprimit seq.

38 *Testamentum judicii* : leges judiciorum : et *in parabolis* , arcannisque sententiis conquirendis *non invenientur* ; neque in his adhibebunt operam.

39 *Sed creaturam ævi* : res mortales , ac brevi tempore duraturas stabilient , *confirmabunt* : et *deprecatio* : neque altius eorum vota pertingent , quām ut suæ artis opera præclarè exequantur . Alii , interim tamen non sunt alieni à Deo , quem inter operandum invocant . *Accommodantes* : legi et ipsi auscultantes : at Gr. πλὴ τῶν ἐπιδότων , præter eum , longè ab eo qui se totum dedit intelligendæ legi ; quæ vera et homine digna sapientia est : de quā seq. cap. uti prædictum est.

## CAPUT XXXIX.

*Sapiens antiquorum gesta dictaque inquirit, 1, 2, 3. in publicis cœti-  
bus clarescat, 4. alienas gentes peragrat, discendi et experiendi  
gratid, 5. manè vigilat orationis causâ, 6, 7. hinc sapientia, 8.  
auctor instinctu divino actus, 16, 17. glorificandus Deus, 20. cui  
nihil mirabile, 25. opera ejus perfecta, 26. bona quoque malis  
malè vertunt, 32. ultores spiritus, 31. creature onus ultrices  
scelerum, 35, 36. omnia bona præstat Dominus, sed tempore  
suo, 39, 40. ideo laudandus, 41.*

## SIXTINA VERSIO

SAPIENTIAM omnium anti-  
quorum exquiret sapiens,  
et in prophetiis vacabit.

Narrationes virorum no-  
minatorum conservabit ; et  
in versutias parabolarum  
simul introbit.

Occulta proverbiorum ex-  
quiret ; et in ænigmatibus  
parabolarum conversabi-  
tur.

In medio magnatorum mi-  
nistrabit ; et in conspectu  
præsidis apparebit.

In terram alienigenarum  
gentium pertransiet : bona  
enim et mala in hominibus  
tentavit.

## VERSIO VULGATA.

1. SAPIENTIAM omnium anti-  
quorum exquiret sapiens,  
et in prophetis vacabit.

2. Narrationem virorum no-  
minatorum conservabit ; et  
in versutias parabolarum  
simul introbit.

3. Occulta proverbiorum ex-  
quiret, et in absconditis  
parabolarum conservabitur.

4. In medio magnatorum mi-  
nistrabit, et in conspectu  
præsidis apparebit.

5. In terram alienigenarum  
gentium pertransiet : bona  
enim et mala in hominibus  
tentabit.

<sup>2</sup> Narrationem..... versutias parabolarum : contrà ac de fabris  
dixerat: suprà, 38.

<sup>4</sup> In medio : judicibus assessor dabitur.

**C**or suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum , qui fecit illum ; et in conspectu Altissimi deprecabitur.

**E**t aperiet os suum in oratione : et pro delictis suis deprecabitur.

**S**i Dominus magnus voluerit , spiritu intelligentiae replebitur.

**I**pse tanquam imbres emitte verba sapientiae suae ; et in oratione confitebitur Domino.

**I**pse dirigit consilium ejus et scientiam , et in absconditis ejus meditabitur.

**I**pse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ , et in lege testamenti Domini gloriabitur.

**C**ollaudabunt multi intelligentiam ejus : usque in sæculum non delebitur.

**N**on recedet memoria ejus ; et nomen ejus vivet in generationes generationum.

**S**apientiam ejus enarrabunt gentes ; et laudem ejus enuntiabit ecclesia.

**C**or suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum , qui fecit illum : et in conspectu Altissimi deprecabitur.

**A**periet os suum in oratione : et pro delictis suis deprecabitur.

**S**i enim Dominus magnus voluerit , spiritu intelligentiae repletebit illum :

**E**t ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiae suae ; et in oratione confitebitur Domino :

**E**t ipse diriget consilium ejus et disciplinam , et in absconditis suis consiliabitur.

**I**pse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ , et in lege testamenti Domini gloriabitur.

**C**ollaudabunt multi sapientiam ejus ; et usque in sæculum non delebitur.

**N**on recedet memoria ejus , et nomen ejus requiretur à generatione in generationem.

**S**apientiam ejus enarrabunt gentes ; et laudem ejus enuntiabit ecclesia.

**10** *Consiliabitur* : inde rerum agendarum consilia sumet : secundum illud Psalmi cxviii. *Consilium meum justificationes tuæ.*

Si permanerit, nomen derelinquet plusquam mille : et si requieverit, acquirit sibi.

Adhuc meditatus enarrabo : et tanquam plenilunium repletus sum.

Exaudite me, filii sancti, et germinate, quasi rosa plantata super rivum agri.

Et quasi thus odorem suavitatis emittite :

Et florete florem, quasi lily : diffundite odorem, et collaudate canticum. Benedicite Dominum in omnibus operibus :

Date nomini ejus magnificentiam : et confitemini

<sup>15</sup> Si permanerit : si vita diutinâ perfruatur, nomen inclytum relinquet supra mille sapientes. Et si requieverit : si interierit : sibi ipsi laboraverit, et æterna præmia conquisiverit.

<sup>16</sup> Adhuc consiliabor : non hic hærebo : exaggerabo sermones, ad sapientum gloriam commendandam. Ut furore Domini, atque instinctu illo grandi ac propheticō repletus sum : Gr. quasi plenilunium repletus sum : plenâ luce fulgeo : *ἀρχαντά* : dimidiatus mensis, sive bifariam sectus, hoc est plenilunium.

<sup>17</sup> In voce dicit : arcana illâ voce quâ Dominus solet in cordibus loqui, passim apud prophetas : hâc ergo arcana voce Deus hæc inspiravit, quibus adhortarer pios. Obaudite me, divini fructus : divina germina à Deo pullulantia, sive ut Græc. filii sancti.

<sup>18</sup> Quasi Libanus : sive thus : Gr.

<sup>19</sup> Florete flores : fundite flores; efflorescite ut lily. Collaudate canticum : canticum laudis canite.

15. Si permanerit, nomen derelinquet plusquam mille : et si requieverit, proderit illi.

16. Adhuc consiliabor, ut enarrem : ut furore enim repletus sum.

17. In voce dicit : Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate.

18. Quasi Libanus odorem suavitatis habete.

19. Florete flores, quasi lily, et date odorem, et frondete in gratiam : et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis.

20. Date nomini ejus magnificentiam : et confitemi-

in laudatione ejus, in canticis labiorum, et in citharis.  
Et sic dicetis in confessione:

Opera Domini universa  
quia bona valde: et omne  
præceptum in tempore suo  
erit; omnia enim in tempo-  
re suo quæruntur.

In verbo ejus stetit aqua,  
sicut congeries; et in ser-  
mone oris illius, exceptoria  
aquarum.

In præcepto ipsius omne  
beneplacitum: et non est  
qui minuat salutare illius.

Opera omnis carnis cor-  
ram illo: et non est abs-  
condi ab oculis ejus.

A sæculo in sæculum re-

ni illi in voce labiorum ves-  
trorum, et in canticis labio-  
rum, et citharis. Et sic di-  
cetis in confessione:

21. Opera Domini uni-  
versa bona valde.

22. In verbo ejus stetit  
aqua sicut congeries; et in  
sermone oris illius, sicut  
exceptoria aquarum.

23. Quoniam in præcepto  
ipsius placor fit: et non est  
minoratio in salute ipsius.

24. Opera omnis carnis  
coram illo: et non est quid-  
quam absconditum ab ocu-  
lis ejus.

25. A sæculo usque in sæ-

<sup>20</sup> *In voce labiorum... in canticis labiorum: duplex versio seu lectio; ut videtur. Voce labiorum et citharis: voce cum instrumen- tis musicis junctâ. Notum illud: confitemini, laudate: confessio, laus.*

<sup>21</sup> *Bona valde: addit Gr. et omne præceptum in tempore suo erit; omnia enim in tempore suo quæruntur; quod ultimum Vulgata habet ḥ. 26. vide etiam ḥ. 39. hoc est, præcepta aptat personis, locis, temporibus, rebus, etiam elementis, ut sequens; quo fonte mana- runt veteris novæque legis discrimina.*

<sup>22</sup> *Exceptoria aquarum: stante mari rubro, ac si receptaculis teneretur.*

<sup>23</sup> *Placor: placentia: letum quid, ut suprà, iv. 13. Gr. omne beneplacitum, omnis causa lœtandi. Non est minoratio, diminutio in salute ipsius: quæ per ipsum; vim ejus salutarem nihil imminuit.*

spexit : et nihil est admirabile in conspectu illius.

Non est dicere : Quid est hoc ? ad quid hoc ? omnia enim ad usus ipsorum creatæ sunt.

Benedictio illius quasi fluvius inundavit :

Et quomodo cataclysmus aridam inebriavit : sic iram suam gentes hæreditare faciet,

Sicut convertit aquas in salsuginem. Viæ illius sanctis directæ : sic iniquis offendentes.

Bona bonis creatæ sunt ab

<sup>25</sup> *Nihil est mirabile.* Nota præclaram sententiam : quoniam et antecedentia et præsentia et futura mente complexus, nihil novi intuetur ; ad hæc nihil quod ejus majestate ac potestate non sit inferius.

<sup>26</sup> *Quid est hoc ? quid est istud ?* Gr. ad quid istud ? omnia enim tempore suo quærentur : requirentur : necessaria esse comperientur : Gr. omnia ad usus suos creatæ.

<sup>28</sup> *Cataclysmus* : inundatio : sic intelligi potest : sicut diluvium sub Noe terram inundavit : sic ira ejus hæreditabit : activè : hæreditare, sortiri faciet.

<sup>29</sup> *Aquas in siccitatem* : terra exsueca et arida ad immittendam famem : Gr. in salsuginem : ut habes, *Ps. cvi. 34. Terram fructiferam in salsuginem* : in sterilitatem, agris, velut sale conspersis ; sic impii, steriles, nullâ gratiâ, nullo fructu. *Viæ illius viis illorum* : Gr. planior : viæ illius (Dei scilicet) sanctis directæ : (planæ, faciles) sic iniquis offendentes.

<sup>30</sup> *Bona bonis* : bona et mala : bona pura bonis *creata* comparataque sunt ab initio in paradiso voluptatis : et nequissimis : Gr.

culum respicit : et nihil est mirabile in conspectu ejus.

<sup>26</sup> Non est dicere : Quid est hoc, aut quid est istud ? omnia enim in tempore suo quærentur.

<sup>27</sup> Benedictio illius quasi fluvius inundavit.

<sup>28</sup> Quomodo cataclysmus aridam inebriavit : sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit.

<sup>29</sup> Quomodo convertit aquas in siccitatem, et siccata est terra ; et viæ illius viis illorum directæ sunt : sic peccatoribus offendentes in irâ ejus.

<sup>30</sup> Bona bonis creatæ sunt

initio : sic peccatoribus mala.

Principium omnis rei necessariæ ad vitam hominii, aqua, ignis, et ferrum, et sal, et siligo tritici, et mel, et lac, sanguis uvæ, et oleum, et vestimentum.

Hæc omnia sanctis in bona : sic peccatoribus in mala convertentur.

Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt flagella sua :

Et in tempore consummationis effundunt virtutem : et furorem ejus, qui fecit illos, sedabunt.

peccatoribus, quanquam mala pura commeritis, tamen ex benignitate per hanc vitam præparavit Deus *mala et bona*, vitamque quæ malorum ac honorum temperamento constat. Vide 32. et Gr.

31. *Necessariæ rei* : vide frugalitatem et simplicitatem. *Ferrum* : ad aratra, ad malleos.

33. *Qui ad vindictam creati sunt* : ex eventu, posteaquam à Deo defecerunt, ad id ordinati, ut divinam vindictam et ipsi exciperent, et in alios exercearent. *In furore suo* : in irâ quâ adversus hominum genus exardescunt, nt patebit sequente ÿ. *Confirmaverunt tormenta, flagella sua*, à se incensa, gravem in ictibus firmabunt manū : hos ergo commemorat, ut doceat quorum ope, ex ꝑ. præcedente, omnia etiam per se bona, tamen malis malo vertant.

34. *In tempore consummationis* : interitñs, internacionis, sive in novissimis diebus ; *effundent virtutem* : vim illam pestiferam : et *furorem ejus, qui fecit illos, placabunt* : exsatibunt, digno supplicio : melius, tantas edent strages, ut Deum inflectant ad misericordiam et veniam. Cave autem intelligas immundos spiritus, ac

ab initio : sic nequissimis bona et mala.

31. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum.

32. Hæc omnia sanctis in bona : sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur.

33. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua :

34. In tempore consummationis effundent virtutem ; et furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.

Ignis et grando, et fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt :

Bestiarum dentes, et scorpii, et viperæ, et rhomphæa vindicans in exterminium impios.

In mandato lætabuntur; et super terram in necessitates præparabuntur : et in temporibus suis non præterierent verbum.

Propterea ab initio confirmatus sum, et meditatus sum, et in scripturâ reliqui.

Omnia opera Domini bona : et omnem usum in tempore ejus subministrabunt.

Et nou est dicere : Hoc illo nequius est : omnia enim

sempiterno suppicio destinatos, taidem placaturos Deum ; quod sensit Origenes, sed fermè unus, et ab universâ Ecclesiâ reprobatus.

<sup>35</sup> *Ignis, grando, fames.* Præter ea, quæ cùm bona sint malis malo vertunt, sunt quædam per se noxia in ultionem comparata.

<sup>36</sup> *Rhomphæa* : gladius anceps versatilis.

<sup>37</sup> *In mandatis ejus epulabuntur* : lætitiâ efferentur, Gr. creaturæ illæ ultrices : alludit ad Psal. cxlviii. 8. *Ignis, grando, nix, glacies...* quæ faciunt verbum ejus. Quo etiam sensu dictum est : *Vocavit Dominus famem.* IV. Reg. viii. 1. *In necessitatem præparabuntur* : in necessariam ultionem.

<sup>38</sup> *Confirmatus sum* : in timore Dei : et *consiliatus sum*, meditatus sum ; Gr. cogitavi tristes exitus impiorum : et ( hæc ) *scripta dimisi*, scripto mandavi : horum autem summa est, id quod sequitur :

<sup>39</sup> *Omne opus horæ suæ* : tempore suo.

<sup>40</sup> *Non est dicere* : *Hoc illo nequius est* : apta enim sunt omnia,

<sup>35</sup> Ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt :

36. Bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et rhomphæa vindicans in exterminium impios.

37. In mandatis ejus epulabuntur : et super terram in necessitatem præparabuntur : et in temporibus suis non præterierent verbum.

38. Propterea ab initio confirmatus sum, et consiliatus sum, et cogitavi, et scripta dimisi.

39. Omnia opera Domini bona : et omne opus horæ suæ subministrabit.

40. Non est dicere : Hoc illo nequius est : omnia enim

in tempore comprobabuntur. in tempore suo comprobabuntur.

Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini. 41. Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.

et suis constituta finibus, atque ex horum nexu par existit decor: unde vera ratio laudandi Deum.

---

## C A P U T X L.

*Jugum grave super filios Adam, à x. 1. ad 12. mors inevitabilis, 12. impiorum inanes divitiae, 13. liberalitas, 14, 17. vita sibi sufficiens, 18. quid cui anteponendum, 19, ad 27. timor Domini omnibus antecellit, 26 et seqq. ne mendices, 29. ad finem.*

### S I X T I N A V E R S I O .

OCCUPATIO magna creata est omni homini, et jugum grave super filios Adam, à die exitū de ventre matris eorum, usque in diem in sepulturā in matrem omnium.

### V E R S I O V U L G A T A .

1. OCCUPATIO magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, à die exitū de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

<sup>1</sup> *Occupatio magna*: afflictio. *Grave jugum*: de quo jugo, sive onere miseris mortalibus imposito, hæc ponit: primum, Quòd incubet per totam vitam à natali ad sepulturam, ¶ 1. secundum, Quòd sit repositum in curis, timoribus, vanis spebus, reliquis animi perturbationibus, ¶ 2, 4, 5 et seqq. atque innumeris calamitatibus, ¶ 9, 10. tertium, Quòd æquè omnes premat, sumnos, insomos, medios, cujuscumque statū homines, ¶ 3 et seqq. quà de re præclarè Aug. contra Jul. vi. 10. n. 31. in fine: Parvulos intuere quot et quanta mala patientur; in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescent; deinde jam grandes etiam Deo servientes tentat error, ut decipiat; tentat dolor aut labor, ut frangat; tentat mœror, ut sternat; tentat typhus (superbia) ut extollat: et

Cogitationes eorum , et timorem cordis , consideratio expectationis , dies finitionis .

A residente super thronum in gloriâ , et usque ad humiliatum in terrâ et cinere :

Ab eo qui portat hyacinthum , et coronam , et usque ad eum qui operitur lino crudo , furor , et zelus , et tumultus , et fluctuatio , et timor mortis , et iracundia perseverans , et contentio :

Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis , immutat cognitionem ejus .

Modicum tanquam nihil in requie ; et ab eo in somnis , quasi in die speculæ ,

2. Cogitationes eorum , et timores cordis , adinventio expectationis , et dies finitionis :

3. A residente super sedem gloriosam , usque ad humiliatum in terrâ et cinere :

4. Ab eo , qui utitur hyacintho , et portat coronam , usque ad eum , qui operitur lino crudo : furor , zelus , tumultus , fluctuatio , et timor mortis , iracundia perseverans , et contentio :

5. Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis , immutat scientiam ejus .

6. Modicum tanquam nihil in requie ; et ab eo in somnis , quasi in die respectus ,

quis explicet omnia festinanter , quibus gravatur jugum super filios Adam ? quod jugum non fuisse , nisi delicti originalis meritum præcessisset .

*2 Cogitationes.* Quatuor hæc commemorat , quæ hominum genus maximè exagitent , curæ , metus , fallaces spes , postque labores tantos , mors . *Adinventio expectationis :* cogitatio expectationis : Gr. spei ludibriæ , quæ vel maximè homines distendunt et excruciant , quibus addendum id quod sequitur ¶ 4.

*5 In cubili somnus* , qui nec curæ expers , tot turbida insomnia terrent et exigitant , immutat scientiam , cogitationes , ejus : nova visa , atque aliam cogitandi et imaginandi rationem inducit .

*6 Modicum tanquam nihil in requie :* somnus initio ad momentum quietus . *Et ab eo* , ex illo post illud minutum quietis tempus . *Quasi in die respectus :* speculæ , Gr. homo quasi in speculâ vigil collocatus , omnigena visa ac monstra perspicit .

**C**onturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evaserit à facie belli : in tempore salutis suæ exsurrexit , et admirans ad nullum timorem.

**C**um omni carne ab homine, usque ad pecus : et super peccatores septupla.

Ad hæc, mors et sanguis, et contentio et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagellum.

Super peccatores creata sunt hæc omnia : et propter illos factus est cataclysmus.

**O**mnia , quæ de terrâ sunt, in terram revertuntur, et ab aquis in mare reflectunt.

**O**mne munus et iniquitas delebitur : et fides in sæculum stabit.

7. Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exsurrexit , et admirans ad nullum timorem.

8. Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, et super peccatores septupla.

9. Ad hæc mors, sanguis, contentio, et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella.

10. Super iniquos creata sunt hæc omnia : et propter illos factus est cataclysmus.

11. Omnia quæ de terrâ sunt, in terram convertentur ; et omnes aquæ in mare revertentur.

12. Omne munus et iniquitas delebitur : et fides in sæculum stabit.

7 *Tanquam qui evaserit* : fugibundus, vix ab hoste securus : cùm omnia in tuto sint ; miraturque experrectus tantopere exagitatum se, nullà timendi causâ.

8 *Cum omni carne* : cum omni animante : supple , hæc sunt.

9 *Ad hæc mors* : etiam violenta fuso sanguine : *contentio*, bellum : *contritio et flagella*, morbi, ipsa pestis.

10 *Super iniquos* : ergo ab initio hæc non erant : *cataclysmus* : diluvium. Haec tenus de gravi jugo : nunc aliæ sententiae.

11 *Omnia* : ut omnes aquæ in mare, ita terrena omnia in terram.

12 *Omne munus* : omnis in judiciis corruptela. *Et iniquitas delebitur* : nullo fructu corruet : *fides* autem non ita , et in sæculum stabit.

Substantiæ injistorum sicut fluvius exsiccabuntur; et sicut tonitruum magnum in pluviâ personabit:

In aperiendo ipsam manus suas, lætabitur: sic prævaricatores in consummationem deficient.

Nepotes impiorum non multiplicant ramos; et radices immundæ super duram petram.

Achi super omnem aquam, et oram fluminis, ante omne fœnum evelletur.

13. Substantiæ injistorum sicut fluvius siccabuntur: et sicut tonitruum magnum in pluviâ personabunt.

14. In aperiendo manus suas, lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent.

15. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos: et radices immundæ super cacumen petræ sonant.

16. Super omnem aquam viriditas, et ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.

<sup>13</sup> *Substantiæ: res, pecuniae injistorum sicut fluvius, sicut torrens decurrent, siccabuntur: et sicut tonitruum magnum per pluviam inani ac nihil profuturo per nubes murmure personabunt: in divitum jactantiæ nihil nisi sonitus ac strepitus.*

<sup>14</sup> *Sicut in aperiendo inopi manus suas lætabitur, prosperè aget (vir bonus): ita è contrario, prævaricatores, etc.*

<sup>15</sup> *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, sicut nec radices immundæ, plantæ infrugiferæ, illætabiles, quæ sunt super caeumen petræ: seu, super duram petram, quâ voce terminatur Gr. Vulgatus addit, sonant, hoc est, illæ plantæ ventis agitatæ, inanem tantum sonitum edunt, nullâ stirpe, nullo fructu; sonant autem, ex ꝑ. seq. ἄχει, pro quod Vulgatus interpres legisse videtur, ἄχη, seu potius, ἄχοντι, sonant.*

<sup>16</sup> *Super aquam viriditas. Opponit siccitati plantæ super petram arescentis, virides herbas super aquam crescentes; iisque virum bonum latenter comparat. Herba autem illa viridis ad oram fluminis, ante omne fœnum maturescit, atque adeo prima omnium, evelletur, secabitur, demetetur: ἄχει, variè legunt et interpretantur; Grotio ægyptia vox, significans illa virentia quæ Nilo exundante oriri soleant.*

**Gratia**, sicut paradisus, in benedictionibus : et misericordia in sæculum permanet.

Vita sufficientis sibi operarii condulcabitur ; et super utraque, qui invenit thesaurum.

Fili et ædificatio civitatis confirmant nomen : et super utraque, mulier immaculata computatur.

**Vinum** et musica lætificant cor : et super utraque, dilectio sapientiae.

Tibia et psalterium jucun-

<sup>17</sup> *Gratia*, seu collatum beneficium, sicut paradisus, sicut hortus irriguus, amœnus ac pomifer.

<sup>18</sup> *Vita..... condulcabitur* : quam vitæ laborisque sibi sufficientis dulcedinem sentiebat Paulus , dicens : *Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi..... quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ : quo nihil beatius, dicente Domino : Beatus est magis dare, quam accipere.* Act. xx. 33, 35. *Et in ead invenies thesaurum : inexhaustam scilicet honorum copiam, ac beneficentiae fontem.* Gr. non ita commodè : super utraque est (super illam sufficientiam, et super illam dulcedinem) qui invenit thesaurum, nullo sensu, nisi verum illum thesaurum intelligas, de quo scribitur : *Thesaurus desiderabilis..... in habitaculo justi.* Prov. xxi. 20. et, sapientia infinitus thesaurus est hominibus. Sap. vii. 14.

<sup>19</sup> *Fili..... confirmabit nomen* ; immortale faciet. *Et super hæc, mulier immaculata* : plus illa honoris viro conciliat castitate ac prudentiâ ; sic Maræses Judithâ uxore habetur nobilis ; Jud:th. viii. 2. sic Ruth Moabitidis gloriâ commendatur Booz : Ruth, ii. iii. illustrat familias fortis illius mulieris virtus : *Surrexerunt enim filii ejus, et beatissimam prædicaverunt : vir ejus, et laudavit eam.* Prov. xxxi. 28. animadverte autem, lector, sequentes versus ad 27. ejusdem figuræ esse.

<sup>17</sup> Gratia sicut paradisus in benedictionibus : et misericordia in sæculum permanet.

<sup>18</sup> Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur : et in eâ invenies thesaurum.

<sup>19</sup> Filii, et ædificatio civitatis confirmabit nomen : et super hæc, mulier immaculata computabitur.

<sup>20</sup> Vinum et musica lætificant cor : et super utraque, dilectio sapientiae.

<sup>21</sup> Tibiæ, et psalterium

dam faciunt melodiam : et super utraque, lingua suavis.

Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus : et super utraque, veritatem sationis.

Amicus et sodalis in tempore occurrentes : et super utraque, mulier cum viro.

Fratres et adjutorium in tempore tribulationis : et super utraque, eleemosyna liberabit.

Aurum et argentum stant pedem : et super utraque, consilium beneplacet.

Facultates et fortitudo exaltabunt cor : et super utraque, timor Domini.

Non est timori Domini minoratio : et non est in eo inquirere adjutorium.

<sup>22</sup> Gratiam, venustatem et speciem ( pulchritudinem;) et super hæc , virides sationes : revirescunt enim quotannis arbores ; vultus gratia immedicabiliter deflorescit.

<sup>23</sup> Convenientes : occurrentes : Gr. supple, jucunda res est.

<sup>24</sup> Misericordia, sive eleemosyna.

<sup>25</sup> Aurum et argentum constitutio pedum : constabiliens pedem, Gr. faciunt ut firmo consistas gradu : super utrumque , consilium beneplacitum est : consilium placet : Græc.

<sup>26</sup> Et virtutes : Gr. robur.

<sup>27</sup> Minoratio : damnum : et non est in eo : quem si habueris, nullum aliud auxilium desideraveris.

süavem faciunt melodiam : et super utraque , lingua suavis.

22. Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus : et super hæc , virides sationes.

23. Amicus et sodalis in tempore convenientes : et super utrosque mulier cum viro.

24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis : et super eos misericordia liberabit.

25. Aurum et argentum est constitutio pedum : et super utrumque , consilium beneplacitum.

26. Facultates et virtutes exaltant cor : et super hæc timor Domini.

27. Non est in timore Domini minoratio : et non est in eo inquirere adjutorium.

**T**timor Domini sicut par-

disus benedictionis : et su-

per omnem gloriam ope-

ruerunt illum.

**F**ili, vitam mendicatio-

nis ne vivas : melius est mori,

quam mendicare.

**V**ir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in computatione vitae : con-

taminabit animam suam in cibis alienis.

**V**ir autem sciens et disciplinatus custodiet se.

**I**n ore impudentis con-

dulcabitur mendicatio : et in ventre ejus ignis ardebit.

**28** *Super omnem gloriam* : veste induerunt (homines) super om-

nen aliam vestem inclytā.

**29** *Fili..... ne indigeas*; vitam mendicitatis (seu mendici) ne vixe-

ris, Gr. quam indigere : mendicare, Gr. propter inertiam, et va-

gandi necessitatem, atque inde orta flagitia ac dedecora.

**30** *Vir respiciens..... non est vita ejus in cogitatione victus*: non est vita ejus in computatione vitae : Gr. ejusmodi vivendi ratio non est reputanda pro vita.

**31** *Custodiet se ab ejusmodi vita.*

**32** *In ore imprudentis*, impudentis, ~~aridus;~~ : *condulcabitur*, dulcis erit inopia : Gr. mendicatio; inverecunda licet ac turpis. *Et in ven-*

*tre ejus* : saepē laborabit fame.

**28.** Timor Domini sicut par-

disus benedictionis : et su-

per omnem gloriam ope-

ruerunt illum.

**29.** Fili, in tempore vitae

tuæ ne indigeas : melius est enim mori, quam indigere.

**30.** Vir respicieus in men-

sam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus.

Alit enim animam suam ci-

bis alienis.

**31.** Vir autem discipli-

natus et eruditus custodiet se.

**32.** In ore imprudentis

condulcabitur inopia : et in

ventre ejus ignis ardebit.

## CAPUT XLI.

*De morte, ad 8. cui amara aut optanda, 1. et seqq. Soboles et nomen quale, 8 ad 15. nomini consulendum, plusquam vitæ, 15. bona et mala verecundia, 19. ad finem: de quibus erubescendum, ibid.*

## SIXTINA VERSIO.

O MORS, quām amara est memoria tua, homini pacem habenti in subtantīs suis;

Quieto, et prosperè agenti in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum!

O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus,

Defecto ætate, et cui cura est de omnibus, et dissidenti, et qui perdidit patientiam!

Noli metuere judicium mortis. Memento priorum te, et novissimorum: hoc judicium à Domino omni carni.

<sup>3</sup> Bonum est judicium tuum: decretoria sententia de morte.

<sup>4</sup> Defecto ætate: extremā ætate, Gr. decrepito; cui de omnibus cura est: curis exercito, neque certi quidquam habeati. Incredibili: tantā virium dissidentiā, ut nec se ipse sustentet, et malis victus fatiscat: sive incredulo, nec in Deum fidenti.

Et

## VERSIO VULGATA.

1. O MORS, quām amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis,

2. Viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum!

3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus,

4. Defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili, qui perdit patientiam!

5. Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi: hoc judicium à Domino omni carni.

**E**t quid renues in beneplacito Altissimi ? sive decem , sive centum , sive mille anni :

**N**on est in inferno accusatio vitæ.

**F**ilii abominabiles sunt filii peccatorum , et qui conversantur parœciis impiorum .

**F**iliorum peccatorum periet hæreditas : et cum semine illorum erit assiduitas improperii .

**D**e patre impio querentur filii : quoniam propter illum in opprobrio erunt .

**V**æ vobis , viri impii , qui dereliquistis legem Dei altissimi .

**E**t si nati fueritis , ad maledictionem nascermini : et , si mortui fueritis , in maledictionem separabimini .

**O**mnia quæ de terrâ sunt , in terram revertentur : sic

**6 Quid superveniet :** quasi diceret : age , dic quæ tibi eventura sint ex decretis Dei , quantovis vivas tempore ? Gr. quid renues in beneplacito Altissimi ? quid est quòd eludere ac declinare possis .

**7 Non enim est in inferno accusatio ,** sive redargutio vitæ : hoc est , neque ante mortem evadere poteris quæ Deus decreverit , &c. præcedente ; neque post mortem anteacta mutare , reprehendere , aut emendare dabitur : omnino eventura sunt tibi quæcumque Deus dixerit .

**12 In maledictione nascermini . Bonum enim erat ei , si natus non fuisset homo ille . Matth. xxvi. 24. Pars vestra , sors vestra .**

impii à maledicto in perditionem.

Luctus hominum in corporibus ipsorum : nomen autem peccatorum non bonum delebitur.

Curam habe de nomine. Hoc enim magis permanet tibi, quam mille magni thesauri auri.

Bonæ vitæ numerus dierum : et bonum nomen permanet in ævum.

Disciplinam in pace conservate, filii : sapientia autem abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque ?

Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

Igitur reveremini in verbo meo.

Non est enim bonum omnem reverentiam observa-

<sup>13</sup> *A maledicto in perditionem* : propter peccata maledicti, ac denique addicti suppicio.

<sup>14</sup> *Luctus hominum* : lugetur in impiis non tantum perditum corpus, sed etiam nomen extinctum.

<sup>19</sup> *Verumtamen reveremini* : verecundamini in his quæ jam edissem. De rebus verendis dicturus, hæc præmonet.

<sup>20</sup> *Non est enim bonum* : sive, ut habet Gr. neque enim quæ vis ve-

tur : sic impii à maledicto in perditionem.

14. Luctus hominum in corpore ipsorum : nomen autem impiorum delebitur.

15. Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi, quam milie thesauri pretiosi et magni.

16. Bonæ vitæ numerus dierum : bonum autem nomen permanebit in ævum.

17. Disciplinam in pace conservate, filii : sapientia enim abscondita, et thesaurus inquisitus, quæ utilitas in utrisque ?

18. Melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

19. Verumtamen reveremini in his quæ procedunt de ore meo.

20. Non est enim bonum omnem reverentiam obser-

re : et non omnia omnibus  
in fide placent.

Erubescite à patre et ma-  
tre , de fornicatione : et à  
præsidente et potente, de  
mendacio :

A judice et principe , de  
delicto : à synagogâ et ple-  
be , de iniquitate :

A socio et amico , de in-  
justitiâ : et à loco , in quo  
habitatis,

De furto : et à veritate  
Dei et testamenti : à fixione

vare : et non omnia omni-  
bus bene placent in fide.

21. Erubescite à patre et  
à matre , de fornicatione :  
et à præsidente et à potente,  
de mendacio :

22. A principe et à judi-  
ce , de delicto : à synagogâ  
et plebe , de iniquitate :

23. A socio et amico , de  
injustitiâ : et de loco , in quo  
habitatis ,

24. De furto , de veritate  
Dei , et testamento : de dis-

ſecundia bona est. *Et non omnia omnibus bene placent in fide:* non  
omnia omnibus æquâ fide prohanda et excipienda sunt; discrimen  
enim est personarum et rerum. Hæc itaque sunt quæ ex utroque ca-  
pite meritò erubescatis.

*21 A patre.... de fornicatione:* quòd reverentia paterni maternique  
nominis, castæque institutionis domi susceptæ, lœdatur per intem-  
perantiam. *A præsidente, de mendacio:* quod est indicium pessimæ  
indolis, præsertim erga præsides ac magistratus, quibus nihil ma-  
gis debetur quâm veritas, quâ et scelerum ultiō, et ratio æquitatis,  
et universæ reipublicæ administratio nitiuitur.

*22 A principe et à judice, de delicto:* turpe est enim coram eo de-  
linquere, qui ultiō est scelerum. Jam à præsidibus sive gubernato-  
ribus et à judicibus, aliisque magistratibus transit ad populum : à  
eius synagogâ, sive cœtu publico, erubescendum est maximè de  
iniquitate sive injustitiâ et calumniâ, quæ adversus plebem sunt invi-  
diosissima.

*23 A socio et amico, de injustitiâ:* quâ vel maximè amicitia et so-  
cietas humana solvitur : *de loco in quo habitas, 24. de furto:* probro  
enim tibi vertit indisciplinatum familium, ac domus patens latro-  
ciniis. *De veritate Dei et testamento:* hoc est, si à domo tuâ Dei  
abest veritas ; lex exulat. *De discubitu in panibus:* Gr. de impinge-  
dis cubitis (mensæ) in panibus (inter cibos) qui corporis situs

cubiti in panibus, ab obfuscatione accepti et dati :

Et à salutantibus de silentio : ab aspectu mulieris fornicariæ : et ab aversione vultūs cognati :

Ab ablatione partis et dationis :

A consideratione mulieris conjugatæ ; à sollicitatione ancillæ ejus : et ne steteris super lectum ejus :

Ab amicis de sermonibus improperii : et postquam dederis, ne impropereres.

indecorus, et ventri deditum monstrat. *Et ab obfuscatione* : si in computo dati et accepti rationem involvas quo fraudi facias locum.

*25 A salutantibus de silentio* : fastuōsum enim, salutantes nec alloquentio dignari. *A respectu.... ab aversione vultūs cognati*. Nihil turpius quam, si vel in impudicam mulierem intendas oculos, vel à cognato quamvis inope avertas per superbiam aut immisericordiam.

*26 Ab auferendo, furando, subtrahendo partem*, sortem sive rem alicujus: Gr. ab auferendâ parte et dono; atque universim re proximi, sive hæreditate sive donatione acceperit.

*27 Ne scruteris*, sollicites, aut circumyenias *ancillam ejus* : super *lectum ejus* : fœminino casu : ancillæ.

cubitu in panibus, et ab obfuscatione dati et accepti :

25. A salutantibus de silentio : à respectu mulieris fornicariæ : et ab aversione vultūs cognati.

26. Ne avertas faciem à proximo tuo : et ab auferendo partem, et non restituendo.

27. Ne respicias mulierem alieni viri; et ne scruteris ancillam ejus : neque steteris ad lectum ejus.

28. Ab amicis de sermonibus improperii : et cùm dereris, ne impropereres.

## CAPUT XLII.

*Pergit de verecundiā, sive erubescentiā, ejusque causis, 1. ad 12. diligentia ad rem tuendam, 6, 7. curande filiae, 9 et seqq. mulieres, 12 et seqq. Incipit collaudare Deum, 15. ad finem. Omnia plena ejus gloriā, 16. omnia novit, etiam corda hominum et res futurās, 18 et seqq. opera ejus inenarrabilia: immutabilis, omnipotens, cui omnia obediunt, 24.*

### SIXTINA VERSIO.

Ab iteratione, et sermone auditūs, et à revelationibus sermonum absconditorum: et eris verecundus verè, et inveniens gratiam coram omni homine: ne pro his confundaris, et ne accipias personam, ut delinquas.

De legc Altissimi, et testamento, et de judicio, justificando impium:

De verbo socii, et viatorum, et de datione hæreditatis amicorum:

<sup>1</sup> *Et eris verè sine confusione.* Gr. et eris verecundus verè: non falsà illà quam dixi verecundiā. *Ne pro his omnibus,* quæ sequuntur, *confundaris:* primum in accipiendo personam; est enim in cā re falsus pudor. Item

<sup>2</sup> *De lege observandā: testamento, fœdere: judicio: rei judicatæ auctoritate justificare:* ut justifices prævaricatores. Cave etiam de sequentibus erubescas.

<sup>3</sup> *De verbo sociorum et viatorum:* de tuendis sociis ac peregrinis sive de servandis pactis circa societatem, ac peregrinationes mercaturæ gratiā. *De datione:* de partiundā hæreditate inter amicos, qui fidei tuæ se commiserint.

### VERSIO VULGATA.

1. Non duplices sermonem auditūs de revelatione sermonis absconditi: et eris verè sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum: ne pro his omnibus confundaris, et ne accipias personam, ut delinquas.

2. De lege Altissimi, et testamento, et de judicio justificare impium,

3. De verbo sociorum et viatorum, et de datione hæreditatis amicorum;

De exactâ ratione stateræ et ponderum : de acquisitione multorum et paucorum :

De indifferenti venditione et mercatorum , et de multâ disciplinâ filiorum , et servo pessimo latus sanguinare.

Super mulierem nequam bonum est sigillum.

Et ubi manus multæ sunt, claude. Quodcumque tradideris , in numero et pondere : et datio et acceptio , omnibus in scripturâ.

De disciplinâ insensati et stulti , et decrepiti litigantis cum adolescentibus. Et eris eruditus verè , et probatus in conspectu omnis viventis.

4. De æqualitate stateræ et ponderum : de acquisitione multorum et paucorum :

5. De corruptione emptiōnis et negotiatorum , et de multâ disciplinâ filiorum ; et servo pessimo latus sanguinare.

6. Saper mulierem nequam bonum est signum.

7. Ubi manus multæ sunt, claude ; et quodcumque trades, numera et appende : datum verò et acceptum omne describe.

8. De disciplinâ insensati et fatui , et de senioribus qui judicantur ab adolescentibus : et eris eruditus in omnibus , et probabilis in conspectu omnium vivo-ruim.

4 *De æqualitate, de acquisitione, sive possessione multorum et paucorum : de rerum pretio ex mercium quantitate.* Jam ad qualitatem.

5 *De corruptione : sive alteratione specierum, vini puta, frumenti : Vulgatus legit διερρόφων, quod corruptum sonat: Gr. ἀδιερρόφων, de indifferenti venditione : melius διερρόφων, ut alii codiees, hoc est, de diversâ venditione, sive de naturâ mercium, rerumque pretiis. Sanguinare : cruentare flagris : supple, ne confundaris, ex ḥ. 1.*

6 *Super.... bonum est signum : adversū uxorem malam ac rapacem , opus est sigillo ad res obsignandas et claudendas.*

8 *De disciplinâ : de eruditione; turpe est enim docere indociles et stultos; continuatio est dictorum ḥ. 5. sive ordo perturbatus à scriptoribus : seu ḥ. 6 et 7. per parenthesis interserti. De tuendis senioribus, qui judicantur ab adolescentibus : quod rebus turpissimis meritò annumerandum.*

Filia patri abscondita, vigilia; et sollicitudo ejus auferit somnum: in juventute suâ, ne fortè fiat superadulta: et cum viro commorata, ne fortè odio habetur:

In virginitate, ne fortè polluatur, et in paternis suis gravida inveniatur: cum viro manens ne fortè transgrediat, et cùm cohabitaverit, ne fortè sit sterilis.

Super filiâ non avertente se confirma custodiam: ne quando faciat te gaudium inimicis, fabulam in civitate, et vocatum populi; et confundat te in multitudine plurimorum.

Omní homini noli intendere in speciem: et in medio mulierum noli considerare.

<sup>9</sup> *Filia patris abscondita*, sive virgo: alma, hebraicè: est vigilia: causa vigilandi. Has causas quinque commemorat: 1. Ne florem aetatis innupta prætereat, quod turpe habetur, *I. Cor. vii. 36*. Altera, ne viro tradita, ei odio sit: 3. Ne virgo delinquat, familiæque probro sit: 4. Ne nupta adulteretur: 5. Ne sterilis fiat. *Ne adulta efficiatur*, superadulta, *I. Cor. vii. 36*.

<sup>11</sup> *Super filiam luxuriosam..... ne quando faciat..... à detractione*: propter detractionem: et objectione, accusatione plebis, quæ tibi turpissima quæque objiciat et imputet. Hæc quidem in Latinis. Gr. autem: ne quando te faciat gaudium, etc. nominatum, seu potius accusatum à populo, eumque quem adducat in exemplum male rei.

<sup>12</sup> *Omní homini*: cave inter homines id optimum ducas, quod est pulcherrimum: alioqui muliebris species te facillimè caperet.

9. *Filia patris abscondita*, est vigilia, et sollicitudo ejus auferit somnum: ne fortè in adolescentiâ suâ adulta efficiatur; et cum viro commorata, odibilis fiat:

10. *Ne quando polluatur in virginitate suâ*, et in paternis suis gravida inveniatur: ne fortè cum viro commorata transgrediat, aut certè sterilis efficiatur.

11. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam*: ne quando faciat te in probrium venire inimicis, à detractione in civitate et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi.

12. *Omní homini noli intendere in specie*: et in medio mulierum noli commorari :

De vestimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas inulieris.

Melior est iniquitas viri, quām mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium.

Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi, enarrabo : in sermonibus Domini opera ejus.

Sol illuminans per omnia respexit : et gloriâ ejus plenum est opus ejus.

Nonne indidit sanctis Dominus enarrare omnia mirabilia ejus, quæ confirmavit Dominus omnipotens, ut firmaretur in gloriâ ipsius universum ?

Abyssuni et cor investigavit : et in astutiis eorum ineditatus est.

Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et in-

13. De vestimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.

14. Melior est enim iniquitas viri, quām mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium.

15. Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus.

16. Sol illuminans per omnia respexit : et gloriâ Domini plenum est opus ejus.

17. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloriâ suâ ?

18. Abyssum et cor hominum investigavit : et in astutiâ eorum excogitavit.

19. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et

<sup>13</sup> *Iniquitas viri.* Clarus sensus: at Gr. de vestimento, etc. et à muliere, nequitia mulieris: quām sponte innascitur vesti tinea, tam facile nequitia mulieri.

<sup>14</sup> *Mulier benefaciens:* sive prona et facilis ministra voluptatum, unde subdit: *confundens in opprobrium.*

<sup>15</sup> *Memor ero.* Libri conclusio quā Deum et magnos viros laudat, ut in Praefatione diximus. *In sermonibus Domini opera ejus:* in Scripturis sanctis, ut docent sequentia; Deus enim ipse suam nobis gloriam enarravit.

<sup>18</sup> *In astutia eorum excogitavit:* astutissima quæque et occultissima humanæ mentis inspexit.

spexit in signum ævi : annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt ; et revelans vestigia occulторum.

Non præterit illum omnis cogitatus : non abscondit se ab eo ullus sermo.

Magnalia sapientiæ suæ decoravit, et quatenus est ante sæculum, et in sæculo : neque adjectum est ei,

Neque imminutum, et non eguit aliquo consiliario.

Quàm desiderabilia omnia opera ejus, et tanquam scintillæ , est considerare !

Omnia hæc vivunt, et

<sup>19</sup> *In signum ævi* : infrà, xlvi. 6. Luna..... in tempore suo, ostensio temporis et signum ævi. Alludit ad illud Geneseos, 1. 14. Fiant luminaria..... et sint in signa et tempora, et dies, et annos. Vedit ergo Deus à se instituta signa temporum; atque omne inde decurrens ævum, simulque et quod fuit et quod futurum est: revelans non modò manifesta signa, verùm etiam minutissima quæque vestigia occultorum : imò nihil occultum : ex ¶. seq.

<sup>21</sup> *Qui est ante seculum* : eò quòd sit æternus, et omnia sive antecedentia sive futura simul mente complectatur, ideo : neque adjectum est, <sup>22.</sup> neque minuitur opus ejus ; ac statim opera sua ad perfectum perduxit sine monitore, sine consilio.

<sup>23</sup> *Et tanquani scintilla.* Operum Dei non magnitudinem totam, aut lucem, sed scintillam tantum mortales perspicere possumus; et tamen intelligimus res esse consideratu dignissimas. Job. xxvi. 14. Gr. et scintillæ iustar : alia lectio : sicut scintillas, est (licet) considerare : alia lectio : usque ad scintillam ; etiam minutissima digna sunt quæ consideres.

inspexit in signum ævi : annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.

20. Non præterit illum omnis cogitatus : et non abscondit se ab eo ullus sermo.

21. Magnalia sapientiæ suæ decoravit : qui est ante sæculum, et usque in sæculum, neque adjectum est,

22. Neque minuitur, et non egit alicujus consilio.

25. Quàm desiderabilia omnia opera ejus, et tanquam scintilla, quæ est considerare !

24. Omnia hæc vivunt,

mavent in sæculum in omnibus necessitatibus , et omnia obediunt.

Omnia duplia , unum contra unum : et non fecit quicquam deficiens.

Unum unius confirmavit bona : et quis satiabitur , videns gloriam ejus ?

et manent in sæculum , et in omni necessitate omnia obaudient ei.

25. Omnia duplia , unum contra unum : et non fecit quidquam deesse.

26. Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis satiabitur , videns gloriam ejus ?

<sup>24</sup> *Et in omni necessitate : quotiescumque opus est.*

25 *Omnia duplia , seu gemina sunt : neque tantum fecit diem , verum etiam noctem ; neque tantum solem qui diei præcesset , verum etiam lunam quæ nocti ; neque tantum æstum , verum etiam frigus ; neque tantum mare , verum etiam aridam : vide xxxiii. 15. Neque fecit quidquam deesse : hinc fit , ut rerum universitas perfecta sit , neque deficiat quidquam. Gr. Omnia enim suis instructa sunt commodis ; unde subdit :*

<sup>26</sup> *Uniuscujusque confirmavit bona : unicuique propria stabili ordine attribuit.*

---

## CAPUT XLIII.

*Continuatio laudum Dei : ab operibus : cœlo : sole : stellis : cæteris , toto capite : super opera sua magius : omni laude major , 29, 30, 33, et seqq.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIO VULGATA.

GLORIATIO altitudinis , firmamentum puritatis , species cœli in visione gloriæ.

1. ALTITUDINIS firmamentum pulchritudo ejus est , species cœli in visione gloriæ.

<sup>1</sup> *Altitudinis firmamentum : excelsum firmamentum sive cœlum pulchritudo ejus est : ea res est in quâ maximè elucescat pulchritudo operum Dei , vel templum ejus est , ac domicilium ; eâ phrasí quâ templum in Scripturis passim appellatur decor. Species cœli : forma*

**Sol** in aspectu annuntians  
in exitu, vas admirabile,  
opus Excelsi.

In meridiano suo exsiccat  
regionem : et in conspectu ar-  
doris ejus quis sus-  
tinebit ; fornacem sufflans  
in operibus ardoris :

Tripliciter sol exurens  
montes, vapores igneos in-  
sufflans, et resulgens radiis  
obfuscat oculos.

Magnus Dominus , qui  
fecit illum : et in sermoni-  
bus ejus festinavit iter.

Et luna in omnibus in  
tempore suo , ostensionem  
temporum , et signum ævi.

A lunâ signum diei festi:  
luminare quod minuitur  
super consummationem.

cœli visu præclara. Gr. Gloria altitudinis, firmamentum puritatis,  
species cœli; quibus commendatur cœli pulchritudo, quod sit excel-  
sum , quod purum et incorruptum ac limpidae lucis fons , quod  
illustre ac splendidum.

<sup>2</sup> *Sol in aspectu annuntians* : sol oriens ut primum aspicitur , ac velut  
è carcere exit curriculum peracturus, annuntiat Dei gloriam ,  
sive lætitiam mortalibus. *In exitu* : post noctis tenebras. *Vas ad-  
mirabile* : instrumentum, *extus*, machina admirabilis : hic oriens, jam  
meridies.

<sup>3</sup> *Fornacem custodiens* : imò , sufflans, Gr. ac velut follem ac-  
cendens faber ferrarius, est *in operibus ardoris* : ingentem ardorem  
excitat : ita

<sup>4</sup> *Tripliciter* : triplò seu multò magis *sol*; quippe qui exurat mon-  
tes. *Radios igneos* : vide Gr.

<sup>5</sup> *In sermonibus ejus* : Dei, ipso jubente : *festinavit iter* : ad occa-  
sum præcipitat.

<sup>7</sup> *A lunâ signum diei festi* : neomeniæ. *Luminare* : cujus ea

2. Sol in aspectu annun-  
tians in exitu , vas admira-  
bile , opus Excelsi.

3. In meridiano exurit  
terram : et in conspectu ar-  
doris ejus quis poterit susti-  
nere? Fornacem custodiens  
in operibus ardoris :

4. Tripliciter sol exurens  
montes , radios igneos ex-  
sufflans , et resulgens radiis  
suis obcæcat oculos.

5. Magnus Dominus , qui  
fecit illum : et in sermoni-  
bus ejus festinavit iter.

6. Et luna in omnibus in  
tempore suo , ostensio tem-  
poris , et signum ævi.

7. A lunâ signum diei festi :  
luminare quod minui-  
tur in consummatione.

Mensis secundūm nomen ejus est : crescens mirabiliter mutatione.

Vas castrorum in celsitudine , in firmamento cœli resplendens.

Species cœli , gloria stellarum , ornatus illuminans , in excelsis Dominus.

In verbis Sancti stabunt ad judicium , et non deficient in vigiliis suis.

Vide arcum , et benedic eum qui fecit illum : valde speciosus est in fulgore suo.

Gyravit cœlum in circuitu gloriæ : manus Excelsi aperuerunt illum.

natura est , ut postquam ad perfectum venit , statim desiccere incipiat.

<sup>8</sup> Mensis secundūm nomen ejus est ; prout luna alia et alia nominatur crescens seu decrescens , ita processus mensis agnoscitur. In consummatione ; donec perfecta sit , plenoque orbe luceat. Gr. crescens mirabiliter ; mira incrementa capiens in mutatione : seu , crescens mirabiliter variatur.

<sup>9</sup> Vas (instrumentum , sive opus) castrorum in excelsis . Hinc stellarum exercitus passim apud Prophetas ; quæque suâ in speculâ ac statione collocatur , velut metatis , non in terrâ , sed in excelso , castris.

<sup>10</sup> Species cœli : pulchritudo cœli , stellarum gloria mundus illustris , testatur in excelsis esse Dominum omnia collustrantem.

<sup>11</sup> In verbis sancti (Dei) stabunt ad judicium : secundūm judicium , sive lege et ordine suo. In vigiliis suis : in speculâ et statione suâ : sicut Bar. m. 34,35. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis..... vocatæ sunt , et dixerunt : Adsumus.

<sup>13</sup> Gyravit cœlum : accusativo casu ; Deus velut ducto circino descripsit cœlum in orbem : aperuerunt : extenderunt , Gr.

<sup>8</sup>. Mensis secundūm nomen ejus est : crescens mirabiliter in consummatione.

<sup>9</sup>. Vas castrorum in excelsis , in firmamento cœli resplendens gloriose.

<sup>10</sup>. Species cœli , gloria stellarum , mundum illuminans , in excelsis Dominus.

<sup>11</sup>. In verbis Sancti stabunt ad judicium , et non deficient in vigiliis suis.

<sup>12</sup>. Vide arcum , et benedic eum qui fecit illum : valde speciosus est in splendorе suo.

<sup>13</sup>. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ : manus Excelsi aperuerunt illum.

Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes judicii sui.

Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nubes sicut aves.

In magnitudine suâ confortavit nubes : et confracti sunt lapides graudinis.

Et in aspectibus ejus commovebuntur montes : in voluntate spirabit Notus.

Vox tonitrui ejus parturire fecit terram : et tempestas aquilonis, et vortex spiritùs.

Sicut aves deorsum volantes, dispergit nivem : et sicut locusta divertens descensus ejus.

Pulchritudinem candoris

14. Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes emittere judicii sui.

15. Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves.

16. In magnitudine suâ posuit nubes : et confracti sunt lapides grandinis.

17. In conspectu ejus commovebuntur montes : et in voluntate ejus aspirabit Notus.

18. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas aquilonis, et congregatio spiritùs :

19. Et sicut avis depoñens ad sedendum, aspergit nivem : et sicut locusta demergens descensus ejus.

20. Pulchritudinem can-

*14 Coruscationes judicii sui : testes.*

*15 Aperti sunt thesauri : venti velut ex thesauro Dei producti : Ps. cxxxiv. 7. quibus circumactæ nubes evolaverunt.*

*16 Confracti sunt lapides grandinis, velut excisâ rupe, hinc inde sparguntur.*

*18 Vox, sonitus, tonitrui ejus verberabit terram : Gr. parturire fecit, concussit, commovit, ut dolores parientem. Congregatio, Gr. vortex, spiritus : ventorum turbines.*

*19 Et sicut avis.... aspergit nivem, ita ut sit sicut avis deponens ad sedendum, declinans ad insidendum terræ. Gr. sicut aves deorsum volantes, spargit nivem. Et sicut locusta demergens : in terram devoluta. Gr. Sicut locusta divertens descensus ejus : nix tantâ copiâ cadit, quantâ locustarum ex alio loco in aliud divertentium nubes; ut sit in plagis mundi ferventioribus.*

ejus admirabitur oculus : et super imbre ejus expavescet cor.

Et pruinam sicut salem effundit super terram : et cum congelaverit, sit cacumina tribolorum.

Frigidus ventus aquilo flabit, et gelabit crystallus ab aquâ : super omnem congregationem aquæ requiescet, et tanquam loricam induet aqua.

Devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut ignis.

Medicina omnium in festinatione nebula ; ros obvians ab ardore exhilarabit.

doris ejus admirabitur oculus : et super imbre ejus expavescet cor.

21. Gelu sicut salem effundet super terram : et dum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli.

22. Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aquâ : super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut loricâ induet se aquis.

23. Et devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut igne.

24. Medicina omnium in festinatione nebulae : et ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.

<sup>20</sup> Super imbre ejus : Dei : expavescet cor : tanquam reddituro diluvio.

<sup>21</sup> Gelu : Græc. pruinam, sicut salem : (quæ pruina) concreta fiet (sicut) cacumina tribuli : in aculeorum formam. Hæc quidem de pruinâ : jam ad aquas congelatas.

<sup>22</sup> Gelavit, concrevit crystallus ab aquâ.... sicut loricâ induet se aquis : imò ut habet Gr. tanquam loricâ induetur aqua : aquarum mollities, glacie velut loricâ tecta, ab omni ictu tuta est.

<sup>23</sup> Et devorabit montes : posset intelligi de vento Boreâ, de quo, v. 22. qui immissâ glacie, exsiccatisque herbis : exuret desertum : notum illud :

— Boreæ penetrabile frigus adurit.

sed sequentia vetant: melius, à frigore ad aestum transit. Devorabit montes, Deus, per aestivos ardores.

<sup>24</sup> Medicina omnium : hujus aestus omnia exsiccatis et consumantis remedium, seu refrigerium est, nebula roscidæ instar nubis subito diffusa. Et ros obvians, humilem, quietum efficiet eum : aest-

Cogitatione suā pacavit abyssum : et plantavit eam Jesus.

Qui enavigant mare , enarrant pericula ejus : et audientes auribus nostris admiramur.

Et illic incredibilia et admirabilia opera : varietas omnis animalis , creatura cetorum.

Per ipsum prosper processus , finis ejus : et in verbo ejus composita sunt.

Multa dicemus , et non assequemur : et consummatio sermonum ipse est in omnibus.

tum, ardorem. Græc. planior, ab æstu exhilarabit, recreabit, refrigerabit; supple, terram.

<sup>25</sup> In sermone ejus siluit ventus. *Dixit, et stetit spiritus procellæ.... et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus.* Psalm. cvi. 25, 29. Plantavit, fixit in illâ, abyso, mari, Dominus insulas : circumfrentibus licet fluctibus, stabiles. Gr. plantavit eam Jesus : nullo sensu : Ἰησοῦς Jesus, πρὸν νησῶν insulas.

<sup>26</sup> Qui navigant mare : allusum ad illud Ps. cxi. 23, 24. Qui descendunt mare in navibus , facientes operationem in aquis multis , ipsi viderunt opera Domini.

<sup>27</sup> Creatura belluarum : cetorum , Græc.

<sup>28</sup> Propter ipsum : per ipsum Deum scilicet confirmatus est : prosperè processit itineris per mare finis : exitus, Gr. per ipsum (Deum) felix processus viæ finis est ejus ; hoc est, per ipsum, iter per mare prospero exitu desinit.

<sup>29</sup> Consummatio sermonum : Gr. summa sermonum ( atque ) universum ipse est, Deus scilicet : sic Eccl. xii. 13.

25. In sermone ejus siluit ventus , et cogitatione suā placavit abyssum, et plantavit in illâ Dominus insulas.

26. Qui navigant mare , enarrent pericula ejus : et audientes auribus nostris admirabimur.

27. Illic præclara opera et mirabilia : varia bestiarum genera et omnium peccorum , et creatura belluarum.

28. Propter ipsum confirmatus est itineris finis : et in sermone ejus composita sunt omnia.

29. Multa dicemus , et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum , ipse est in omnibus.

Glorificantes quò valebimus? ipse enim est magnus super omnia opera sua.

Terribilis Dominus, et magnus vehementer; et mirabilis potentia ipsius.

Glorificantes Dominum exaltate, quantumcumque potueritis: excedet enim et adhuc.

Etexaltantes illum, abundate in virtute: ne laboretis; non enim comprehendetis.

Quis vidit eum, et enarrabit? et quis magnificat eum, sicut est?

Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidi mus operum ejus.

Omnia enim fecit Dominus: et piis dedit sapientiam.

<sup>3o</sup> *Gloriantes ad quid valebinus? Quid proficiemus, quantumvis rectè dicendi gloriæ efforamur, cùm ipse non tantùm sermones nostros, sed etiam sua opera antecedat: quod congruit 32, 33, 34.*

<sup>33</sup> *Benedicentes: altera versio præcedentis.*

30. Gloriantes ad quid valebinus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua.

31. Terribilis Dominus, et magnus vehementer; et mirabilis potentia ipsius.

32. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis: supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus.

33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude.

34. Exaltantes eum, replemini virtute. Ne laboretis; non enim comprehendetis.

35. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum, sicut est ab initio?

36. Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidi mus operum ejus.

37. Omnia autem Dominus fecit: et piè agentibus dedit sapientiam.

## CAPUT XLIV.

*Incipit laus virorum illustrium, Enoch : Noe : Abraham : promis-  
siones : Isaac : Jacob.*

SIXTINA VERSIO.

VERSIO VULGATA.

*Patrum Hymnus.*

LAUDEMUS nunc viros glo-  
riosos, et parentes nostros  
generatione.

Multam gloriam creavit  
Dominus, magnificientiam  
suam à sæculo.

Dominantes in regnis suis,  
et viri nominati in potentia,  
consiliantes in intellectu  
suo, annuntiantes in pro-  
phetiis :

Rectores populi in consiliis,  
et intellectu litteraturæ  
populi :

1. LAUDEMUS viros glo-  
riosos, et parentes nostros  
in generatione suâ.

2. Multam gloriam fecit  
Dominus magnificientia suâ  
à sæculo.

3. Dominantes in potes-  
tatis suis, homines magni  
virtute, et prudentia suâ  
prædicti : nuntiantes in pro-  
phetis dignitatem prophe-  
tarum ,

4. Et imperantes in præ-  
senti populo; et virtute pru-  
dentiae populis sanctissima  
verba.

<sup>1</sup> *Laudemus viros gloriosos*: In his laudibus duo maximè adver-  
tenda sunt. Primum, ut quemque signet proprio charactere paucis.  
Alterum, ut per viros illustres quos laudandos suscepit, brevem to-  
tius populi contexat historiam. Quos autem imprimis laudandos seli-  
gat, exponet ¶. 6, 3 et 4. *In generatione suâ*: ætate, vita.

<sup>3</sup> *In potestatis suis*: Gr. in regnis suis : nuntiantes in prophetis : in  
prophetiis, Gr. annuntiantes autem, supple, futura. En ergo quos  
laudandos suscipiat ; prophetas, et populi duces ; atque hos inter  
Pontifices, qui principes populi vocabantur. Unde non modò Aaro-  
nem, verùm etiam Phineen, Jesum filium Josedec, postremò, Si-  
monem suâ ætate nobilem.

<sup>4</sup> *Imperantes in præsenti populo*: rectores populi in consiliis, Gr.  
et virtute prudentiae ; sensus obscurus et suspensus, neque Gr. cla-

Sapientes sermones in disciplinâ eorum: requirentes modos musicos, narrantes carmina in Scripturâ.

Homines divites subministrati in fortitudine, pacem habentes in habitacionibus suis.

Omnis isti in generationibus gloriam adepti sunt; et in diebus ipsorum gloriatio.

Sunt eorum qui reliquerunt nomen ad enarrandum laudes:

Et sunt quorum non est memoria, et perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt quasi non nati, et filii eorum post eos.

Sed hi, viri misericordiae, quorum justitiae non sunt traditae oblivioni.

Cum semine eorum permanebit bona hæreditas, nepotes eorum:

In testamentis stetit semen eorum,

Et filii eorum propter illos: usque in æternum ma-

rior. Summa ex utroque textu conflata, laudandos esse eos qui populo eruditio (lege Domini) prudentiam suâ præeant.

*5 Modos musicos: sacra cantica, in cœtu populi præcinenda, puta Psalmos, aliaque ejusmodi carmina, quod etiam ad prophetiam pertinet.*

*12 In testamentis, in fœdere cum Abramidis pacto.*

5. In peritiâ suâ requirentes modos musicos; et narrantes carmina Scripturarum.

6. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis.

7. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt; et in diebus suis habentur in laudibus.

8. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.

9. Et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint; et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

10. Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.

11. Cum semine eorum permanent bona;

12. Hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum:

13. Et filii eorum propter illos usque in æternum ma-

nebit semen eorum ; et gloria illorum non delebitur.

**Corpus ipsorum in pace sepultum est : et nomen eorum vivit in generationes.**

Sapientiam ipsorum narrabunt populi , et laudem annuntiat ecclesia.

Enoch placuit Domino , et translatus est , exemplum pœnitentiae generationibus.

Noe inventus est perfectus justus : in tempore iracundiae factus est reconciliatio.

Ideo fuerunt reliquiæ ipsi terræ : ideo factum est diluvium.

Testamenta sæculi posita sunt apud illum , ne dele-

ment : semen corum et gloria eorum non derelinquetur.

**14. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt : et nomen eorum vivit in generationem et generationem.**

**15. Sapientiam ipsorum narrant populi , et laudem eorum nuntiet ecclesia.**

**16. Henoch placuit Deo , et translatus est in paradisum , ut det gentibus pœnitentiam.**

**17. Noe inventus est perfectus , justus : et in tempore iracundiae factus est reconciliatio.**

**18. Ideo dimissum est reliquum terræ , cum factum est diluvium.**

**19. Testamenta sæculi posita sunt apud illum , ne de-**

**16 Henoch.** Primus omnium propter pietatem donatus à Deo , et ad cœlum translatus , qui etiam à Judâ Apostolo prophetasse memoretur : *Judæ* 14. reservatus denique ad finem sæculi , ut cum Eliâ propheticō fungatur officio : nempe *ut det gentibus pœnitentiam* : ex antiquâ hebraici et christiani populi traditione. Gr. exemplum pœnitentiae generationibus , ætatis securoris vix ullo sensu , cum nec peccatum ejus , nec pœnitentia memoretur. Ad hunc reddit : *XLIX. 16.*

**17 Reconciliatio :** commutatio , compensatio , Gr. sceleribus gentis humanæ hujus virtute pensatis.

**18 Ideo dimissum est reliquum terræ :** relictæ orbi terrarum reliquiae , unde genus humanum resurgeret : Gr. obscurior.

**19 Testamenta sæculi :** pactum sempiternum.

retur diluvio omnis caro.

Abraham magnus pater multitudinis gentium : et non est inventus similis in gloriâ : qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo :

Et in carne suâ stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis.

Ideo in jurejurando statuit illi benedicere gentes in semine ipsius, multiplicare illum quasi terræ cumulum,

Et sicut stellas exaltare semen illius, ethāreditatem dare illis à mari usque ad mare, et à flumine usque ad extremum terræ.

Et in Isaac statuit ita, propter Abraham patrem ejus,

Benedictionem omnium hominum, et testamentum, et requievit super caput Jacob.

Agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi in

leri possit diluvio omnis caro.

20. Abraham magnus pater multitudinis gentium : et non est inventus similis illi in gloriâ : qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo :

21. In carne ejus stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis.

22. Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente suâ, crescere illum quasi terræ cumulum,

23. Et ut stellas exaltare semen ejus, et hæreditare illos à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos terræ.

24. Et in Isaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem ejus.

25. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob.

26. Agnovit eum in benedictionibus suis; et dedit

<sup>21</sup> *In carne ejus.... testamentum.* Allusum ad illud, Gen. xvii. 13. *Eritque pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum;* circumcisionis sacramento.

<sup>22</sup> *Ideo jurejurando :* vide Gr. *terræ cumulum :* arenam innumerablem.

<sup>23</sup> *A mari usque ad mare :* ex Psal. lxxi. 8.

hæreditate: et divisit partes ejus: in tribus partitus est duodecim.

**E**t eduxit ex eo virum misericordiæ, invenientem gratiam in oculis omnis carnis.

<sup>27</sup> *Homines misericordiæ*: Gr. singulari numero: Moysen, de quo cap. seq.

illi hæreditatem : et divisit illi partem in tribubus duodecim.

27. Et conservavit illi homines misericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

## CAPUT XLV.

*Moyses, Aaron: sacerdotium, Aaroni et filiis: Dathan, Abiron, Core, Phinees.*

### SIXTINA VERSIO.

DILECTUM à Deo et hominibus Moysen, cuius memoria in benedictionibus est.

Similem illum fecit gloriæ sanctorum, et magnificavit eum in timoribus inimicorum: et in verbis ejus signa cessare fecit.

Glorificavit eum in conspectu regum: mandavit illi ad populum suum: et ostendit illi gloriam suam.

### VERSIO VULGATA.

1. DILECTUS Deo et hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est.

2. Similem illum fecit in gloriâ sanctorum; et magnificavit eum in timore inimicorum: et in verbis suis monstra placavit.

3. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam.

<sup>1</sup> *Dilectus*: Gr. dilectum Moysen, ex ultimâ voce præcedentis.

<sup>2</sup> *Monstra placavit*: signa cessare fecit: Gr. ea quæ à magis siebant, sive etiam, ea quæ faciebat Deus, postquam Ægyptii ad pœnitentiam verti videbantur. *Exod. viii. 8, 29.* Magis enim videbatur flagella Dei habere in potestate, qui non modò immittere, sed etiam coarctare poterat.

In fide et lenitate ipsius sanctum fecit, elegit eum ex omni carne.

Auditam fecit ei vocem suam : et induxit illum in caliginem.

Et dedit illi coram præcepta legem vitæ et scientiæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel.

Excelsum fecit Aaron sanctum similem illi fratrem ejus, de tribu Levi.

Statuit ei testamentum sæculi, et dedit illi sacerdotium populi : beatificavit illum in decore,

Et circumcinxit eum stolâ gloriæ. Induit eum consummatione gloriationis, et confirmavit eum vasis virtutis,

Femoralia, et poderem, et humerale : et circumdebet eum malis punicis aureis, tintinnabulis plurimis in gyro,

Ad sonandum vocem in gressibus suis, ad faciendum audiri sonitum in templo, in memoriam filiis populi sui :

<sup>9</sup> *Stolam gloriæ* : perfectionem gloriæ, Gr. *In vasis* : instrumentis : virtutis : roboris: pretiosis, locupletissimis.

<sup>10</sup> *Circumpedes et femoralia* : Gr. femoralia et poderem; vestem amplissimam, quam interpres circumpedes vertisse videtur, quòd ad pedes usque pertingeret.

4. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.

5. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem.

6. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel.

7. Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, et similem sibi de tribu Levi :

8. Statuit ei testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis : et beatificavit illum in gloriâ,

9. Et circumcinxit eum zonâ gloriæ, et induit eum stolam gloriæ, et coronavit eum in vasis virtutis.

10. Circumpedes, et femoralia, et humerale posuit ei : et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro,

11. Dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo, in memoriam filiis gentis suæ.

Stolâ sanctâ auro, et hyacintho, et purpurâ, opere variatoris, rationali judicij, manifestationibus veritatis,

Tortâ coco, opere artificis, lapidibus pretiosis sculpturæ sigilli, in ligaturâ auri opere lapidarii in memoriam in scripturâ sculptâ secundum numerum tribuum Israel :

Coronam auream super mitram, efformationem signaculi sanctitatis, gloriam honoris : opus virtutis, desideria oculorum ornata, pulchra.

Ante ipsum non fuerunt talia usque in sæculum :

Non est indutus alienigena, sed filii ejus soli, et

12. Stolam sanctam, auro, et hyacintho, et purpurâ, opus textile, viri sapientis, judicio et veritate prædicti :

13. Torto coco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligaturâ auri, et opere lapidarii sculptis in memoriam secundum numerum tribuum Israel.

14. Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, et gloriâ honoris : opus virtutis, et desideria oculorum ornata.

15. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem.

16. Non est indutus illâ alienigena aliquis, sed tau-

<sup>12</sup> *Opus.... sapientis* : variatoris : Gr. pictoris egregii. *Judicio et veritate prædicti*. Gr. Rationali judicij, manifestationibus sive signis veritatis, quippe qui insculptum doctrina et veritas : quâ de re, *Exod. xxviii. Levit. viii. 8.*

<sup>13</sup> *Torto coco opus artificis* : opus artificiose contextum : *gemmis* : *figuratis*, cælatis, *in ligaturâ auri*, vinctis auro, inclusis : de quibus lapidibus, *Exod. ibid.*

<sup>14</sup> *Corona aurea* : lamina illa aurea, de quâ *ibid. 36. Expressa*, sive impressa *signo sanctitatis* : quippe cui insculptum erat : Sanctum Domino : *ibid. Gloriâ*, seu gloriatione *honoris* : id est, honestissimâ ac magnificentissimâ : cùm nihil sit gloriosius quam præferre insculptum fronti nomen Dei sanctum; quod est *opus virtutis*, ac roboris, locupletissimum, ut supra, 9. sive etiam cælaturâ difficulti in præduro lapide. *Et desideria oculorum ornata*; res per se visu pulchræ, ac mirum in modum ornatae.

nepotes ejus per omne tempus.

Sacrificia ipsius fient holocarpomata quotidie assidue bis.

Implevit Moyses manus, et unxit illum oleo sancto.

Factum est illi in testamentum æternum, et in semine ejus in diebus cœli, ministrare ei simul, et sacerdotio fungi, et benedicare populum ejus in nomine ejus.

Ipsum elegit ex omni vivente, offerre oblationem Domino, incensum, et bonum odorem in memoriam, placare pro populo suo.

Dedit illum in mandatis suis, potestatem in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege suâ lucem dare Israel.

Contra eum steterunt alieni, et zelaverunt eum in deserto : homines qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in

tum filii ipsius soli, et nepotes ejus per omne tempus.

17. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie.

18. Complevit Moyses manus ejus, et unxit illum oleo sancto.

19. Factum est illi in testamentum æternum, et semini ejus sicut dies cœli, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine ejus.

20. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo :

21. Et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege suâ lucem dare Israel.

22. Quia contra illum steterunt alieni, et propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan et

<sup>17</sup> *Quotidie* : addit Græc. jugiter, bis, pro ritu jugis sacrificii mancæ et vespere imperati : *Num. xxviii. 34.*

<sup>18</sup> *Complevit Moyses manus* : sanguine victimæ, more solemni : *Levit. viii. 24.*

<sup>19</sup> *Glorificare populum suum* : Gr. benedicere ritu solemni.

<sup>21</sup> *Potestatem in testamentis* : id est, potestatem interpretandas legis.

furore et irâ.

Abiron, et congregatio Core  
in iracundiâ.

Vidit Dominus, et non  
placuit illi : et consumpti  
sunt in impetu iracundiæ.

23. Vidit Dominus Deus,  
et non placuit illi : et con-  
sumpti sunt in impetu ira-  
cundiæ.

Fecit illis monstra, ad  
consumendum in igne flam-  
mæ suæ.

24. Fecit illis monstra, et  
consumpsit illos in flammâ  
ignis.

Et addidit Aaron gloriam,  
et dedit illi hæreditatem.  
Primitias primitivorum di-  
visit illis.

25. Et addidit Aaron glo-  
riam, et dedit illi hæredi-  
tamem : et primitias frugum  
terræ divisit illi.

Panem in primis paravit  
satietatem : nam et sacrificia  
Domini edent, quæ dedit  
et ei, et semini ejus.

26. Panem ipsis in primis  
paravit in satietatem : nam  
et sacrificia Domini edent,  
quæ dedit illi, et semini  
ejus.

Cæterùm in terrâ po-  
puli non hæreditabit : et  
pars non est illi in populo.  
Ipse enim pars tua, hæredi-  
tas.

27. Cæterùm in terrâ  
gentes non hæreditabit, et  
pars non est illi in gente :  
ipse est enim pars ejus,  
et hæritas.

Et Phinees filius Eleazari  
tertius est in gloriâ, in ze-  
lando eum in timore Do-  
mini,

28. Phinees filius Eleazari  
tertius in gloriâ est, imitando  
eum in timore Domini ,

Et stando in versione po-  
puli, in bonitate alacritatis

29. Et stare in reverentiâ  
gentis : in bonitate et ala-

<sup>27</sup> In terrâ gentes : pro gentis : mendo manifesto : Gr. in terrâ po-  
puli : quod tribui Leviticæ in terrâ Chananeâ nulla sors attributa est.  
Ipse enim (Deus) est pars ejus : ex decreto legis : Num. xviii. Deu-  
ter. x. 8, 9.

<sup>28</sup> Phinees..... tertius in gloriâ : in honore pontificali, post patrem  
Eleazarum, et avum Aaronem.

<sup>29</sup> Stare in reverentiâ gentis : Gr. στήσονται, reverentiâ, pro στήσονται  
in versione, seu mutatione populi; cùm populus à timore Dei, ad

animæ suæ : et placavit pro crite animæ suæ placuit  
Isracl. Deo pro Israel.

Ideo statutum est illi testa-  
tuuentum pacis , præsidem  
sanctorum , et populo suo ,  
ut sit illi et semini ejus sa-  
cerdotii dignitas in sæcula.

Et testamentum Davidi  
filio ex tribu Juda : hære-  
ditas regis , filii ex filio solo :  
hæreditas Aaron et semini  
ejus. Det vobis sapientiam  
in corde vestro , judicare

30. Ideo statuit illi testa-  
mentum pacis , principem  
sanctorum et gentis suæ , ut  
sit illi et semini ejus sacer-  
dotii dignitas in æternum.

31. Et testamentum Da-  
vid regi filio Jessæ de tri-  
bu Juda : hæreditas ipsi et  
semini ejus : ut daret sa-  
pientiam in cor nostrum ,  
judicare gentem suam in

lificantiam et libidines verteretur. *Placuit Deo pro Israel* : Gr. pla-  
cavit pro Israel : nota Phinees historia.

30 *Principem sanctorum* : id est , sacrorum præsidem.

31 *Et testamentum David*. Cur hic mentio anticipata Davidis , cu-  
jus laus suo loco infrà describitur **XLVII**. Græca declarant : quæ sic  
habent ad verbum : *Et testamentum seu pactum Davidi (supple , sta-  
tuit , quod y. præcedenti ) filio ex tribu Juda : hæreditas regis filii  
ex filio solo : hæreditas Aaron et semini ipsius ; quæ omnia , satis licet  
perturbata , indicant ut regnum hæritarium Davidis familiæ , ita  
hæritarium sacerdotium Aaronis filiis attributum. Ut daret sa-  
pientiam*. Hæc et quæ sequuntur in Græco quoque confusa , ad verbum  
sic habent : Det vobis sapientiam in corde vestro , ad judicandum  
populum ejus in justitiâ , ut non aboleantur bona ipsorum , et glo-  
riam ejus in generationes eorum. Sic quæ de Aaronis familiâ præ-  
dicavit , conclusit voto facto , ut populi res sub sacerdotum Aaro-  
nitarum regimine faustè procederet ; quale votum rationi temporis  
accommodatissimum fuit , *cum sacerdotes non jam circa altaris offi-  
cia dediti essent , sed contempto templo , et sacrificiis neglectis , fes-  
tinarent participes fieri palæstræ , etc. ut scriptum est II: Mach.  
iv. 14. Quo siebat ut fœdato sacerdotio , sancta plebs non jam , ut  
solebat , sacerdotes pontificemque observaret , sed principes magis-  
tratusque gentium , magno religionis periculo : nec absimile verò  
jam tum inter initia tantæ corruptelæ insurrexisse Mathatiae zelum ,  
atque in eum ejusque liberos , sanctamque Asmonæorum gentem  
respici cœptum. Vide **XXXVI. 19**.*

populum suum in justitiâ : justitiâ : ne abolerentur bona ipsorum , et gloriam eorum : et gloria eorum in generationes eorum.

## CAPUT XLVI.

*Josue , Caleb , Samuel , Saül.*

## SIXTINA VERSIO.

FORTIS in bellis Jesus Nave, et successor Moysi in prophetiis, qui fuit secundum nomen suum

Magnus in salutem electorum ejus, expugnare insurgentes hostes , ut hæreditaret Israel.

Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et declinando rhomphæam contra civitates !

Quis ante illum sic stetit ? nam hostes ipse Dominus perduxit.

## VERSIO VULGATA.

1. FORTIS in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum,

2. Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes , ut con sequeretur hæreditatem Israel.

3. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et jactando contra civitates rhomphæas !

4. Quis ante illum sic restet ? nam hostes ipse Dominus perduxit.

<sup>1</sup> In prophetis : Gr. in prophetiis: in propheticō munere. *Magnus secundum nomen suum*, quod est, Jesus, salvator : quod sequens explicat.

<sup>2</sup> Ut consequeretur hæreditatem : Gr. ut hæreditaret Israel; activè, ut sæpe jam , id est, ut Israelitis in hæreditatem inductis , terram partiretur.

<sup>3</sup> Tollendo manus suas : ad feriendos hostes.

<sup>4</sup> Ipse Dominus perduxit ; in manus ejus tradidit.

An non in manu ejus retrocessit sol ? et una dies facta est quasi duæ ?

Invocavit Altissimum potentem, in oppugnando inimicos undique. Et audivit eos magnus Dominus, in saxis grandinis virtutis fortis :

Erupit contra gentem bellum, et in descensu perdidit contrarios ,

Ut cogoscant gentes integrum armaturam eorum, quia coram Domino bellum ejus. Etenim secutus est post potentem :

Et in diebus Moysi fecit misericordiam ipse et Caleb filius Jephone , stare contra inimicum , prohibere populum à peccato , et sedare murmur malitiæ.

Et ipsi , cùm duo essent , salvati sunt è sencentis milibus, inducere illos in hæreditatem , in terram quæ manat lac et mel.

Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, et usque

5. An non in iracundiâ ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo ?

6. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique : et audit illum magnus et sanctus Deus , in saxis grandinis virtutis valde fortis.

7. Impetum fecit contra gentem hostilem, et in descensu perdidit contrarios ,

8. Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est à tergo potentis :

9. Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse et Caleb filius Jephone , stare contra hostem, et prohibere gentem à peccatis , et perfringere murmur malitiæ.

10. Et ipsi duo constituti , à periculo liberati sunt à numero sexcentorum milium peditum , inducere illos in hæreditatem , in terram quæ manat lac et mel.

11. Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, et usque

<sup>6</sup> In saxis grandinis : Jos. x. 11.

<sup>8</sup> Secutus est à tergo potentis : Deum ducem secutus est.

<sup>9</sup> Misericordiam fecit : noto hebraismo , rectè , pièque egit : misericordes, pii : idem. Ipse et Caleb : auctores populo capessendæ terræ.

<sup>11</sup> Ipsi Caleb fortitudinem : Jos. xiv. 10, 11.

in senectutem permansit illi,  
ut ascenderet in excelsum  
terræ locum : et semen ejus  
obtinuit hæreditatem :

**Ut viderent omnes filii  
Israel, quia bonum est obse-  
qui Domino.**

**Et Judices singuli suo no-  
mine , quorumcumque cor  
non est fornicatum , et qui-  
cumque non sunt aversi à  
Domino ;**

**Sit memoria eorum in  
benedictionibus : ossa eorum  
pullulent de loco suo ,**

**Et nomen eorum restau-  
ratum, glorificatis ipsis in  
filiis.**

**Dilectus à Domino suo  
Samuel propheta Domini ,**

in senectutem permansit illi  
virtus , ut ascenderet in ex-  
celsum terræ locum ; et se-  
men ipsius obtinuit hæredi-  
tatem :

**12. Ut viderent omnes  
filii Israel , quia bonum est  
obsequi sancto Deo.**

**13. Et judices singuli suo  
nomine , quorum non est  
corruptum cor : qui non  
aversi suut à Domino ;**

**14. Ut sit memoria illo-  
rum in benedictione , et ossa  
eorum pullulent de loco  
suo ,**

**15. Et nomen eorum per-  
maneat in æternum , per-  
manens ad filios illorum ,  
sanctorum virorum gloria.**

**16. Dilectus à Domino  
Deo suo Samuel propheta**

<sup>13</sup> *Et judices singuli.* Intellige eos qui à Deo constituti, non Abimelecum Gedeonis filium, qui cæsis fratribus tyrannidem arripuit, nec modesto judicis contentus titulo, regium sibi nomen attribuit. *Jud. ix. 5, 6.* Cæteri ergo omnes hic ut Deo probati, et universæ genti honori habiti, memorantur.

<sup>14</sup> *Ossa eorum pullulent :* formula bene apprècandi mortuis, ut patet, *XLIX. 12.* quasi dicere: eorum memoria res florescat. Alludit autem ad consuetudinem collocandi sepultra in amœnis et virentibus locis, puta hortis, *IV. Reg. xxi. 18, 26.* Christi quoque monumento in horto quodam posito: *Joan. xix. 41.* credo ad commendandam piorum perennem et semper virentem memoriam, ac spem resurrectionis: qui horti cùm virescerent, ipsa ossa *de loco suo*, id est, de sepulcro veluti germinare, et suo quodam modo reviviscere videbantur.

constituit regnum, et unxit principes super gentem suam.

In lege Domini judicavit synagogam: et visitavit Dominus Jacob. In fide suâ probatus est propheta,

Et cognitus est in fide suâ fidelis visionis.

Et invocavit Dominum potentem, in oppugnando hostes suos undique in oblatione agni lactentis.

Et intonuit de cœlo Dominus; et in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

Et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philisthiim.

Et ante tempus dormi-

<sup>16</sup> *Renovavit imperium.* Gr. constituit regnum. I. Reg. viii. ix. x.  
*Unxit principes:* Saülem et Davidem: Ibid. ix. xvi.

<sup>17</sup> *Vidit, inspexit, Deus Jacob:* τὸν Ἰακὼβ, Jacobum, accusandi casu. Israelitis providit per tantum prophetam, tantumque judicem.

<sup>18</sup> *Et cognitus.....fidelis:* addit Gr. visionis, certus videndi: seu certa et vera videns; quippe cum omnia ejus vaticinia de Heli et Saûle impleta sint. I. Reg. iii. iv. xv. *Vidit Deum lucis:* tum, cum illi tam certa visa missa sunt. Variant editiones; legunt enim alii: *yidit Deus lucis:* de quo scriptum est: *Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est:* Dan. xi. 22.

<sup>19</sup> *In oppugnando:* I. Reg. viii. 9.

<sup>22</sup> *Ante tempus:* Ibid. xii.

Domini, renovavit imperium, et unxit principes in gente suâ.

<sup>17</sup>. In lege Domini congregationem judicavit: et vidi Deus Jacob, et in fide suâ probatus est propheta,

<sup>18</sup>. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidi Deum lucis.

<sup>19</sup>. Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati.

<sup>20</sup>. Et intonuit de cœlo Dominus; et in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

<sup>21</sup>. Et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philisthiim.

<sup>22</sup>. Et ante tempus finis

tionis sæculi contestatus est in conspectu Domini , et Christi : pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit : et non accusavit eum homo.

Et postquam dormivit , prophetavit , et ostendit regi finem ejus : et exaltavit vocem suam de terrâ in prophetiâ , delere iniquitatem populi.

vitæ suæ et sæculi , testimonium præbuit in conspectu Domini , et Christi : pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit : et non accusavit illum homo.

25. Et post hæc dormivit ; et notum fecit regi , et ostendit illi finem vitæ suæ : et exaltavit vocem suam de terrâ in prophetiâ delere impietatem gentis.

<sup>23</sup> *Et notum fecit regi : Saüli. De terrâ : apparitio Samuelis : I. Reg. xxviii. 13, etc. Impietatem gentis : Saülem ipsum impium , nec Deo obsequentem.*

---

## CAPUT XLVII.

*Nathan : David : Solomon : Roboam : Jeroboam.*

### SIXTINA VERSIO.

### VERSIO VULGATA.

Et post hoc surrexit Nathan prophetare in diebus David.

Quasi adeps separatus à salutari ; sic David à filiis Israel.

1. Post hæc surrexit Nathan propheta in diebus David.

2. Et quasi adeps separatus à carne , sic David à filiis Israel.

<sup>1</sup> *Post hæc... Nathan. Seriem prophetarum editurus , à Samuele pergit ad Nathan , quo prophetante , res Davidis. Is enim est , quo auctore , de templo et regi successione promissa suscepit , et pacnitentiam egit , et Salomonem unxit : II. Reg. vii. xii. III. Reg. 1.*

<sup>2</sup> *Et quasi adeps separatus à carne. Comparatio ducta à ritu sacrificiorum. Adeps pars optima sacrificii , ac Domino separata , ita David. Gr. separatus à salutari , à victimâ pro salute , Levit. iii. 3. eodem sensu. De reliquis vide I. et II. Reg.*

Cum leonibus lusit, quasi cum agnis, et in ursis, sicut in agnis ovium.

In juventute suâ, numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente?

In tollendo manum in saxo fundæ, et dejiciendo exultationem Goliæ.

Nam invocavit Dominum altissimum: et dedit in dexterâ ejus robur, tollere hominem fortem in bello, exaltare cornu gentis suæ.

Sic in decem millibus glorificavit eum, et laudavit eum in benedictionibus Domini, in afferendo illi coronam gloriæ.

Contrivit enim inimicos undique, et extirpavit Philistium contrarios: usque in hodiernum diem contrivit cornu ipsorum.

In omni opere suo dedit confessionem Sancto excelsso, verbo gloriæ:

In omni corde suo laudavit, et dilexit eum qui fecit ipsum.

Et stare fecit cantores

<sup>11</sup> Stare fecit cantores: ordinavit levitici ordinis officia. I. Par. xxiii. et seqq.

3. Cum leonibus lusit, quasi cum agnis; et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium in juventute suâ.

4. Numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente?

5. In tollendo manum, saxo fundæ dejicit exultationem Goliæ.

6. Nam invocavit Dominum omnipotentem: et dedit in dexterâ ejus tollere hominem fortem in bello, et exaltare cornu gentis suæ.

7. Sic in decem millibus glorificavit eum, et laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ.

8. Contrivit enim inimicos undique, et extirpavit Philistium contrarios, usque in hodiernum diem: contrivit cornu ipsorum usque in æternum.

9. In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelsio in verbo gloriæ.

10. De omni corde suo laudavit Dominum; et dilexit Deum, qui fecit illum; et dedit illi contra inimicos potentiam.

11. Et stare fecit cantores

contra

contra altare, et ex sono eorum dulces fecit modos.

Dedit in celebritatibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem; in laudando ipsos nomen sanctum ejus, et à mane personando sanctitatem.

Dominus abstulit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus: et dedit illi testamentum regum, et thronum gloriæ in Israel.

Cum hoc surrexit filius sciens, et propter illum habitavit in latitudine.

Salomon regnavit in diebus pacis, cui Deus requiem dedit in circuitu; ut conderet domum in nomine ejus, et pararet sanctitatem in sempiternum.

Quàm sapiens fuisti in juventute tuâ: et impletus es, quasi flumen, intellectu! Terram contexit anima tua:

contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos.

12. Et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ: ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent manè Dei sanctitatem.

13. Dominus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus: et dedit illi testamentum regni, et sedem gloriæ in Israel.

14. Post ipsum surrexit filius sensatus; et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum.

15. Salomon imperavit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes; ut conderet domum in nomine suo, et pararet sanctitatem in sempiternum. Quemadmodum eruditus es in juventute tuâ;

16. Et impletus es, quasi flumen, sapientiâ: et terram retexit anima tua.

<sup>13</sup> *Purgavit peccata*: II. Reg. XII. 13. *Testamentum regni*, legem de regno ejus domui dando in hæreditatem. I. Reg. VII. 12. et seqq.

<sup>15</sup> *Eruditus es in juventute tuâ*. Converso sermone ad Salomonem; qui à Deo doctus puer, et ab initio regni, III. Reg. III. et jam inde ab ortu vidit David parentem de templo assiduè cogitantem: II. Reg. VII. XXIV.

<sup>16</sup> *Terram retexit* (*contexit*, Gr.) *anima tua*; quod explicatur v.

Et replesti in parabolis ænigmatum. Ad insulas longè pervenit nomeu tuum; et dilectus fuisti in pace tuâ.

In cantilenis et proverbiis et parabolis et interpretationibus, te miratæ sunt terræ.

In nomine Domini Dei, cui cognomen est Deus Israel,

Collegisti quasi stannum, aurum; et ut plumbum multiplicasti argentum.

Inclinasti femora tua mulieribus, et subjugatus es in corpore tuo.

Dedisti maculam in gloriam tuâ, et profanasti semen tuum, inducere iram super filios tuos: et compunctus sum super sultitiam tuam.

17, 18. Replevit enim terram proverbiis, parabolis, sive comparationibus, id est, similitudinibus, ænigmatibus, canticis, cuius quippe parabolæ ad tria millia fuerint, carmina autem ad quinque millia: III. Reg. iv. 31, 32. x. 24. De Salomonis autem longè latèque, et usque ad insulas, hoc est, phrasi hebraicâ, ad extrema terrarum divulgato nomine, habes; III. Reg. iv. 31, 34. tum cap. x. 1. 11. 22.

<sup>20</sup> Collegisti..... aurum. De auri argenteique copiâ: ibid. 14. 20. II. Par. ix. 13, 27. etc.

<sup>21</sup> Potestatem habuisti in corpore tuo: quasi acceptâ licentia eo utendi pro libidine, vel ex Gr. perdomitus es, sub jugum missus es in corpore tuo, muliebribus illecebris victus.

<sup>22</sup> Inducere iracundiam: ita ut induceretur. Et incitari stultitiam tuam: stultum amorem mulierum. Gr. compunctus sum, attonitus sum, etc.

17. Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longè divulgatum est nomen tuum, et dilectus in pace tuâ.

18. In cantilenis, et proverbiis, et comparationibus, et interpretationibus miratæ sunt terræ,

19. Et in nomine Domini Dei, cui est cognomen Deus Israel.

20. Collegisti quasi auri-chalcum aurum; et ut plumbum complesti argentum.

21. Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo:

22. Dedisti maculam in gloriam tuâ, et profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam:

**Ut fieret imperium bipartitum , et ex Ephraim inciperet regnum inobediens.**

Dominus autem non derelinquet misericordiam suam , et non corrumpet opera sua , nec delebit electi nepotes ; et semen ejus , qui ipsum dilexit , non tollet .

Et dedit reliquias Jacob , et Davidi ex ipso radicem .

Etrequievit Salomon cum patribus :

Et reliquit post se , de semine suo , gentis stultitiam ,

Etimminutum prudentiâ Roboam , qui avertit gentem consilio suo :

Et Hieroboam filium Nabat , qui peccare fecit Israel , et dedit viam peccati ipsi Ephraim . Et redundaverunt peccata ipsorum valde ;

23. Ut faceres imperium bipartitum , et ex Ephraimi imperare imperium durum .

24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam , et non corrumpet , nec delebit opera sua , neque perdet à stirpe nepotes electi sui ; et semen ejus , qui diligit Dominum , non corrumpet .

25. Dedit autem reliquum Jacob , et David de ipsâ stirpe .

26. Et finem habuit Salomon cum patribus suis .

27. Et dereliquit post se , de semine suo , gentis stultitiam ,

28. Et imminutum à prudentiâ Roboam , qui avertit gentem consilio suo :

29. Et Jeroboam filium Nabat , qui peccare fecit Israel , et dedit viam peccandi Ephraim : et plurima redundaverunt peccata ipsorum .

<sup>23</sup> Ex Ephraim : ex Jeroboam Ephraimitico , atque ex decem tribubus , quæ sœpe Ephraim vocarentur : imperare imperium durum : Gr. incipere ( exurgere ) imperium inobediens , sive perduelle .

<sup>25</sup> Dedit reliquum : reliquias Jacob et David : τῷ Ἰακώβῳ , τῷ Δαυίδῳ : dativo casu : de ipsâ stirpe : Salomonis .

<sup>26</sup> Finem habuit : dormivit , requievit : Gr. III. Reg. xi. 43.

<sup>29</sup> Qui peccare fecit Israel . Quo elogio semper designatur in Scripturis , ut videre est passim libro Reg. III. et IV .

Ut averteret eos à terrâ.

Et quæsiverunt omnem nequitiam, donec vindicta venerit super eos.

30. Valde averterunt illos à terrâ suâ.

31. Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio : et ab omnibus peccatis liberavit eos.

<sup>30</sup> *A terrâ*: promissâ, ex quâ translati sunt in Assyriam propter peccata sua, quorum initium fuit illa secessio à Judâ, auctore Jero-boamo, IV. Reg. xvii. 4, 21, etc.

<sup>31</sup> *Quæsivit omnes nequitias*: vide Gr. in Latinis defensio pro ultione; ut in illo Pauli, Rom. xii. 19. *non vosmetipos defendentes*: Gr. uleiscentes. *Ab omnibus peccatis*: Gr. deest.

## CAPUT XLVIII.

*Elias, Elisæus, Ezechias, Isaïas propheta magnus, 25. eo duce liberati, 23. Vis precum, 22.*

### SIXTINA VERSIO.

Et surrexit Elias propheta quasi ignis: et verbum illius quasi facula ardebat.

Qui induxit in illos famem: et zelo suo paucos fecit eos.

In verbo Domini continuit cœlum: deduxit sicut ignem.

### VERSIO VULGATA.

1. Et surrexit Elias propheta quasi ignis: et verbum ipsius quasi facula ardebat.

2. Qui induxit in illos famem: et irritantes illum invidiâ suâ pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini.

3. Verbo Domini continuit cœlum: et dejicit de cœlo ignem ter.

<sup>1</sup> *Quasi ignis..... quasi facula*: propter ardenter zelum: unde igne raptus in cœlum. De rebus autem Eliæ, III. Reg. xvii. et seqq.

Quàm glorisfatus fuisti  
Elias in mirabilibus tuis ! et  
quis similis tibi, ut glorie-  
tur ?

Qui suscitatsti cadaver à  
morte et ab inferis, in ver-  
bo Altissimi.

Qui dejecisti reges in per-  
niciem, et gloriosos de lecto  
suo.

Qui audis in Sinâ corre-  
ptionem, et in Choreb judi-  
cia vindictæ.

Qui ungis reges in retribi-  
tionem, et prophetas suc-  
cessores post te ipsum.

Qui assumptus es in tur-  
bine ignis, in curru equorum  
igneorum.

Qui descriptus es in cor-  
reptionibus ad tempora le-  
nire iram ante furem, et

4. Sic amplificatus est E-  
lias in mirabilibus suis. Et  
quis potest similiter sie glo-  
riari tibi ?

5. Qui sustulisti mortu-  
um ab inferis de sorte mor-  
tis, in verbo Domini Dei.

6. Qui dejecisti reges ad  
perniciem, et confregisti fa-  
cile potentiam ipsorum, et  
gloriosos de lecto suo.

7. Qui audis in Sinâ ju-  
dicium, et in Horeb judicia  
defensionis.

8. Qui ungis reges ad pœ-  
nitentiam; et prophetas fa-  
cis successores post te.

9. Qui receptus es in tur-  
bine ignis, in curru equorum  
igneorum.

10. Qui scriptus es in ju-  
diciis temporum lenire ira-  
cundiam Domini; conciliare

<sup>7</sup> In Sind.... in Horeb : quod est jugum montis Sina ; III. Reg. xix. <sup>8</sup>. Defensionis : ultionis, vide xlviij. 31. Quæ autem judicia, quas ultiōnes, Elias, instar alterius Moysi, in Sinâ audierit, vide III. Reg. xix. 17.

<sup>8</sup> Qui ungis reges : ibid. 15, 16. Ad pœnitentiam : Gr. ad retribu-  
tionem, sive rependendas vices, peccatis scilicet, quo ad pœniten-  
tiam provocentur. Et prophetas... successores : ibid.

<sup>10</sup> Qui scriptus es. Vide etiam Gr. Hæc subdens post Eliæ raptum  
in cœlum, satis indicat Eliæ officium nondum esse completum, re-  
servarique eum ad leniendam destinato tempore Dei iracundiam;  
quod partim impletum in Joanne Baptista quem Elias figurabat,  
partim implendum Eliæ adventuro ante secundum Christi adven-  
tum, ex antiquissimâ Hebræorum Christianorumque doctrinâ, quâ  
de re, Præfatione in Apocalypsim, diximus. Conferendus autem hic

conciliare cor patris ad filium , et restituere tribus Jacob.

Beati , qui te viderunt , et qui in amicitia decorati sunt.

Nam et nos vitâ vivemus.

Elias , qui in turbine tectus est : et Elisaeus impletus est spiritu illius. Et in diebus suis non est commotus à principe : et non subjugavit eum quisquam.

Non superavit illum ali- quod verbum , et in dormi- tione prophetavit cor ejus.

Et in vitâ suâ fecit mons- tra , et in morte mirabilia opera ejus.

In omnibus his non pœnituit populus , et non re- cesserunt à peccatis , usque dum direpti sunt de terrâ suâ , et dispersi sunt in om- nem terram.

locus cum illo de Enoch , suprà , xliv. 16. *Cor patrum ad filios* : juxta Mal. iv. 6.

<sup>13</sup> In Eliseo spiritus ejus : quâ de re et aliis Elisei gestis , IV. Reg. ii. et seqq.

<sup>14</sup> Nec superavit : nec res ulla super illum fuit ; verbum pro re , sæpe notato hebraismo. *Mortuum prophetavit* : miraculo edito , ac suscitato mortuo : IV. Reg. xiii. 21.

<sup>15</sup> Non pœnituit : non sunt emendatæ decem tribus , tot miraculis et oraculis monitæ.

11. Beati sunt , qui te vi- derunt , et in amicitia tuâ decorati sunt.

12. Nam nos vitâ vivimus tantum : post mortem au- tem non erit tale nomen nostrum.

13. Elias quidem in tur- bine tectus est ; et in Eliseo compleatus est spiritus ejus. In diebus suis non pertinuit principem , et potentia ne- mo vicit illum.

14. Nec superavit illum verbum aliquod : et mor- tum prophetavit corpus ejus.

15. In vitâ suâ fecit mons- tra , et in morte mirabilia operatus est.

16. In omnibus istis non pœnituit populus , et non re- cesserunt à peccatis suis , usque dum ejecti sunt de terrâ suâ , et dispersi sunt in omnem terram :

**Et relicta est gens perpaupa, et princeps domui David.**

**Quidam sanè ipsorum fecerunt quod placeret : quidam autem multa commiserunt peccata.**

**Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medio ipsorum Gog: fudit ferro rupem, et ædificavit puteos ad aquas.**

**In diebus ipsius ascendit Nacherim, et misit Rabsacem, et promovit. Et promovit manus ejus in Sion : et jactavit se in superbiâ suâ.**

**Tunc commota sunt corda et manus ipsorum : et dolorerunt quasi parturientes.**

**Et invocaverunt Dominum misericordem, expandentes manus suas ad eum.**

**<sup>17</sup> Gens perpaupa.** Solebant in illis migrationibus paucissimos relinquere ad colendos agros, et opificia necessaria ; itaque paucissimi ex decem tribubus in terrâ suâ relictii. IV. Reg. xvii, xxiv.  
**Princeps in domo David.** Dejectis regibus, nullus jam, nisi in ea domo, principatus.

**<sup>18</sup> Quidam ipsorum :** principum è Davidis familiâ.

**<sup>19</sup> Munivit civitatem.... induxit.... aquam,** II. Par. xxxii. 5.

**<sup>21</sup> Quasi parturientes :** IV. Reg. xix. 3.

**<sup>22</sup> Invocaverunt Dominum :** Ezechias et Isaias, ibid. 15. II. Par. xxxii. 20.

**17. Et relicta est gens perpaupa, et princeps in domo David.**

**18. Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo : alii autem multa commiserunt peccata.**

**19. Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam ; et fudit ferro rupem, et ædificavit ad aquam puteum.**

**20. In diebus ipsius ascendit Seunacherib, et misit Rabsacen, et sustulit manum suam contra illos, et extulit manum suam in Sion ; et superbus factus est potentiam suâ.**

**21. Tunc mota sunt corda et manus ipsorum : et dolorerunt quasi parturientes mulieres.**

**22. Et invocaverunt Dominum misericordem, et expandentes manus suas,**

Et Sanctus de cœlo citò exaudivit eos,

Et redemit eos in manu Esaiæ.

Percussit castra Assyriorum : et contrivit eos angelus ejus.

Nam fecit Ezechias quod placuit Domino, et fortiter fuit in viis David patris sui, quas mandavit Esaias propheta magnus, et fidelis in visione ipsius.

In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam.

Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum

Ostendit futura et abscondita, antequam ipsa evenirent.

extulerunt ad cœlum : et sanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipsorum.

23. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ.

24. Dejecit castra Assyriorum : et contrivit illos angelus Domini.

25. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in viâ David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei.

26. In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam.

27. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum

28. Ostendit futura et abscondita, antequam evenirent.

<sup>23</sup> Purgavit eos : liberavit : Gr. in manu Isaiæ : eo duce, orante et prophetante : ibid.

<sup>25</sup> In conspectu Dei : in visis à Deo missis : Gr,

<sup>27. 28.</sup> Spiritu magno, forti, excelso : vidit ultima : extrema calamitatum et imminens excidium urbi, sive etiam ultima, à temporibus suis remotissima : quod sequenti congruit. Usque in sempiternum ostendit : quæ longo post tempore eventura erant, puta de Cyro et aliis; quæ etiam in æternum duratura, de Christo, ejusque Ecclesiâ. Quæ etsi aliis prophetis convenient, Isaiæ tamen speciatim tribuuntur, quo nemo plura, remotiora, clariora ac luculentiora vidiit.

## CAPUT XLIX.

*Josias, Jeremias, Ezechiel, duodecim Prophetæ, Zorobabel, Jesus filius Josedec, Nehemias, Enoch, Joseph, Seth et Sem.*

### SIXTINA VERSIO.

### VERSIO VULGATA.

MEMORIA Josiae in compositionem incensi , facta opere unguentarii.

In omni ore quasi mel indulcabitur, et ut musica in convivio vini.

Ipse directus est in conversione populi , et abstulit abominationes iniquitatis.

Direxit ad Dominum cor suum : in diebus iniquorum corroboravit pietatem.

Præter David et Eze-

1. MEMORIA Josiae in compositionem odoris facta opus pigmentarii.

2. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria , et ut musica in convivio vini.

3. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis.

4. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius : et in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

5. Præter David, et Eze-

1. 2. *In compositionem.... in omni ore : et hujus præ cæteris, suavis memoria, propter admirabilem pietatem atque innocentiam, quod octo annos natus, Deum colere coepit, neque unquam destiterit : IV. Reg. xxii. xxiii. neque quisquam similis illi fuisse memoratur, aut pari luctu defletus, ab ipso Jeremiâ editis lamentationibus. II Par. xxxv. 24, 25.*

3 *Directus divinitus : Gr. ipse prosperè egit, etc. Tulit abominationes, etiam excelsa quæ ædificaverat Salomon, prætermissa Ezechiaæ aliisque piis regibus. IV. Reg. xxiii. 13.*

4 *Cor ipsius : suum ; in diebus peccatorum : cum iniquitas per tot prava exempla usque adeo invalesceret, ut Deus jam plebi non esset placatus, nec propter tantam Josiae pietatem. IV. Reg. xxiii. 26.*

5 *Præter David, et Ezechiam : atqui nec Ezechias prorsus irre-*

chiam, et Josiam, omnes delictum deliquerunt.

Nam reliquerunt legem Altissimi: reges Juda defecerunt.

Dederunt enim cornu suum aliis, et gloriam suam alienæ genti.

Incenderunt electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Hieremiæ.

Nam malè tractaverunt illum: et ipse in utero consecratus est propheta, eradicare, et affligere, et perdere, similiter ædificare et plantare.

Ezechiel, qui vidit con-

chiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt.

6. Nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, et contempserunt timorem Dei.

7. Dederunt enim regnum suum aliis, et gloriam suam alienigenæ genti.

8. Incenderunt electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ.

9. Nam malè tractaverunt illum, qui à ventre matris consecratus est propheta, evertere, et eruere, et perdere, et iterum ædificare, et renovare.

10. Ezechiel qui vidit

prehensus; sicut scriptum est: *Attamen in legatione principum Babylonis,.... dereliquit eum Deus, etc.* II. Par. xxxii. 31. imò acriter increpatus ab Isaiā. IV. Reg. xx. 16. Ergo intelligendum videtur hos tres reges tantum fuisse qui nihil commiserint contra cultum Dei, cùm de ipso Asà et ejusdem filio Josaphat tam piis memoretur, *excelsa non abstulit.* III. Reg. xv. 14. xxii. 44. Addamus tres illos reges non peccasse ullum grande peccatum directè contra legem: nam peccata Davidis tot eluta lacrymis, coram Deo pro infectis ac nullis habentur, ad commendandam vim pœnitentiae.

6 *Reges Juda:* horum pars maxima.

7 *Dederunt regnum suum:* Deum per sua peccata perpulerunt ut daret.

8 *Incenderunt:* alieni: de quibus ꝑ. præcedenti. IV. Reg. xxv. 9. *In manu Jeremiæ:* id vaticinante Jeremiā.

9 *A ventre matris:* Jerem. 1, 5. *Evertere:* ibid. 10. *ut evellas et destruas,* etc.

10 *Ezechiel qui vidit conspectum gloriae:* ejusdem Ezech. 1. ex quo viso omnis ejus prophetia pendet: ibid. viii. 2. x. 1, 2, etc.

**spectum gloriæ , quam ostendit illi in curru Cherubim.**

**Nam commemoratus est iuniorum in imbre , et benefacere illis qui dirigunt vias.**

**Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo. Consolatus est autem Jacob , et redemit eos in fide spei.**

**Quomodo amplificemus Zorobabel ? nam et ipse**

**conspectum gloriæ , quam ostendit illi in curru Cherubim.**

**11. Nam commemoratus est iuniorum in imbre , benefacere illis , qui ostenderunt rectas vias.**

**12. Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo : nam corroboraverunt Jacob , et redemrerunt se in fide virtutis.**

**13. Quomodo amplificemus Zorobabel ? nam et ipse**

<sup>11</sup> *In imbre* : comminatus procellam , et imbrem inundantem , et lapides grandes ad dissipandos falsorum prophetarum conatus. Ezech. xiii. 11, 13. *Benefacere illis qui* : nec tantum impius minas ; sed bene agentibus ac pœnitentibus fausta promissa protulit : xviii, xxvii, xxxiv. 23. præsertim vero xl. et seqq.

<sup>12</sup> *Et duodecim Prophetarum.* Ex his patet , jam tum , ut Isaiam , Jeremiam , Ezechielem seorsum , xlviij. 23. lix. 9, 10. ita duodecim Prophetas simul , singularem librum fecisse ; quod recte notavit noster Daniel Huetius vir eruditissimus , nunc Abrincensis episcopus. De Daniele autem hic tacitum , quod Hebraei non solerent recensere eum inter Prophetas ; quippe qui non propheticam , sed satrapicam , ut aiunt , vitam egerit , sed inter hagiographos , referente Hieronymo , et ita Scripturam ordinante in suo canone quem docti Benedictini adornant : quo loco iidem Hebraei post Joh , Davidis , Salomonis , et alios haud minus divinitus inspiratos libros reponunt. Sanè Daniel apud Ezechielem non semel : xiv, xxviii. 3. ejus autem liber inter Scripturas menoratur ante Christum , I. Mach. ii. 59, 60. temporibus Ecclesiastico proximis , ut diximus. *Ossa pullulent* : de hac formulâ vide xlvi. 14. *Corroboraverunt Jacob* : redemerunt se : eos. Gr. *Deo tribuit* : per Prophetas scilicet , eodem sensu : *In fide virtutis* : Dei virtute fretâ. Gr. *in fide spei* : spe certâ fide nixâ.

<sup>13</sup> *Quomodo amplificemus* ; magnificemus : Gr. *Zorobabel* : 14.

quasi signaculum in dextrâ manu.

Sic Jesus filius Josedec. Qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt populum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam.

Et Nehemiac memoria in multum tempus, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, et erexit sola domorum nostrarum.

Nemo creatus est, qualis Enoch, talis in terra : nam et ipse assumptus est à terrâ.

Neque sicut Joseph natus est vir princeps fratrum, stabilimentum populi.

quasi signum in dexterâ manu :

14. Sic et Jesum filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.

15. Et Nehemias in memoriâ multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.

16. Nemo natus est in terrâ qualis Henoch : nam et ipse receptus est à terrâ.

17. Neque ut Joseph, qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi :

*Jesum filium Josedec, 15. et Nehemias.* Nulla hîc Esdræ mentio: quod tantum commemoret prophetas et populi duces; quo etiam nomine veniunt sacrorum præsides, ut diximus: ad xliv. 3, 4. sanè Esdras scribæ, sive doctoris, non prophetæ nomine insignitus. Zorobabel autem dux gentis. *Quasi signum in dexterâ manu,* res conjunctissima, lectissima, diligentissimè custodita: ab Aggæo repetitum: ii. 24. ubi de Zorobabele dicitur: *Ponam te, quasi signaculum, quia te elegi.* Quo sensu in Canticis, viii. 6. *Pone me ut signaculum super brachium tuum.* De Jesu filio Josedec summo sacerdote et de Nehemiac notum, ex Aggæo, Zachariâ, vi. 11. primo et secundo Esdræ.

<sup>16</sup> *Qualis Henoch.* Redit ad eum, à quo exorsus est; xliv. 16. tantum virum, ut ortum licet à terrâ, terra tamen non caperet; eique conjungit velut extra ordinem Josephum, Seth et Sem.

<sup>17</sup> *Qui natus est homo princeps:* à nativitate destinatus: sed Gr. aliter ac simplicius.

**Et ossa ipsius visitata sunt.**

**Sem et Seth apud homines gloriam adepti sunt. Et super omne animal in creatione Adam.**

**18. Et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.**

**19. Seth et Sem apud homines gloriam adepti sunt: et super omnem animam in origine Adam.**

**\*8 Ossa ipsius visitata sunt:** translata sunt ab Ægypto, quemadmodum ipse præceperat. Gen. l. 23, 24. Exod. xiii. 19. **Post mortem prophetaverunt:** impleta sunt de ejus ossibus vaticinia, quæ ipse vivus ediderat. Ibid.

**\*9 Seth et Sem:** Seth à quo ortus Noe et piorum progenies, ii scilicet qui ante diluvium filii Dei vocabantur: Gen. vi. 2, 4. Ideo conjunctus cum Sem, qui et ipse à diluvio origo piæ gentis, Abrahami et Abramidarum parens, à Deo præ cæteris fratribus benedictus. Gen. ix. 26, 27. **Super omnem animam:** ideo præ cæteris Adami filiis elati et excelsi habentur. Adam autem non nisi in filiis memoratur, neque alia ullà laude donatur: quippe peccati, ut generis humani, auctor.

## CAPUT L.

*Simon Oniæ filius, ejus oratio : adhortatio ad orandum : duas gentes invisæ ; tertia nec dicenda gens : libri auctor.*

## SIXTINA VERSIO.

## VERSIO VULGATA.

**Simon Oniæ filius, sacer-**

**1. Simon Oniæ filius, sa-**

**\* Simon.** Duos pontifices hujus nominis fuisse in Præfatione diximus; Simon I. justus, Séleuco Nicanore Syriæ, Ptolemæo Lagi filio Ægypti regibus, in ipsis imperii Macedonie initiis, floruit: cuius nepos Simon II. post Eleazarum ac Manassen patruos et Oniam II. parentem octoginta ferè annis, postquam avus cœperat, Antiocho Magno ac Ptolemæo Philopatore Syriæ et Ægypti regibus, viginti annos præfuit. Hunc miris extollit laudibus, recente viri memoriâ; ad conciliandam quoque gratiam Oniæ III. ejus filio viro maximo, ex paternarum virtutum ac beneficiorum commemoratione, adver-

dos magnus, qui in vitâ suâ suffulxit domum, et in diebus suis corroboravit templum.

Et ab ipso fundata est altitudo duplicitis, reparatio exælsa ambitûs templi.

In diebus ipsius imminutum est receptaculum, æs quasi maris perimetrum.

Curam gerens populi sui à casu, et fortificans civitatem ad obsidendum.

cerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulxit domum, et in diebus suis corroboravit templum.

2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, et excelsi parietes templi.

3. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpti sunt supra modum.

4. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam à perditione.

suis intrusos nefarios sacerdotes Jasonem, Menelaum, Lysimachum, à quibus ille sacerdotio exutus, ut in eâdem Præfatione dictum. *In vitâ suâ: in diebus suis.* Sic de mortuis loqui solent. Idem, §. 3. vide Præfat. *Suffulxit,* Gr. sarcivit: *domum: templum.*

\* \* *Fundata est:* fulta est; suprà, xxii. 19. *Duplex ædificatio.* Duplex murus in ambitu templi ad muniendum locum. Gr. ab ipso fundata est altitudo duplicitis, *ἀπλῆς*, supple, *ἰστριεχόσεως*, substrictionis, muri, (quod est) munimentum excelsum ambitûs templi. Horum autem et aliorum operum, §. 3, 5. nulla, præterquam hic, memoria. Templum sub hæc tempora, munimenti instar fuisse, viideas in Machabaicis passim.

*3 Putei aquarum:* Gr. imminutum est aquarum receptaculum: (sive plurali numero, imminuta receptacula) æs quasi maris ambitus, id est, aquarum receptacula, (putei, aquæductus, cætera ejusmodi ad lavandi et potandi usum) cùm antea imminuta essent, hujus pontificis tempore facta sunt ut mare illud æneum amplissimum, in templo collocatum, III. Reg. vii. 23. II. Paral. iv. 2. Alia lectio indicat mare illud æneum factum esse tripliciter majus.

*4 Liberavit eam à perditione.* Qui Ptolemæum Philopatorem Ægypti regem, negato à Judæis sanctuarii aditu, extrema intentan-tem, ac propè jam sævientem, precibus ad Deum fusis sacro loco prohibuit, quo initio regis victoriâ tumidi fracta superbia, mutataque

Quàm gloriificatus est in  
conversatione populi , in  
egressu domùs velamenti?

5. Qui prævaluit amplifi-  
care civitatem ; qui adeptus  
est gloriam in conversatione  
gentis : et ingressum domùs  
et atrii amplificavit.

Quasi stella matutina in

6. Quasi stella matutina

mens in melius , non modò salvis Judæis et ab omni vi tutis , verùm  
etiam oppressis , qui eos ad vineula cædemque poscerent . Scriptum  
III. Mach. antiquo sanè libro , licet non canonico , cap. i, ii, vi, vii.  
Gr. breviūs : qui curam gessit populi sui à casu , sive ab excidio  
( liberandi . )

*5 Qui prævaluit :* Gr. qui munivit civitatem ad obsidendum : ( si  
obsideri contingeret : ) quò etiam quidam referunt antecedentia ,  
nempe Simonem populo cavisse ab excidio ; eò quòd munitis  
additis , urbem difficultorem oppuguatu fecerit . Sed aliud postulant  
ipsæ Simonis res , ipsaque verborum vis ; quibus gens non à futuro  
ac remoto , sed ab imminente exitio liberata fuisse videatur ; ex si-  
milibus locis l. 3. et aliis : præsertim si attenderis ad antiquam  
lectionem quam Vulgata secuta sit , cuius vel maximam haberi  
oportere rationem , in aliis quoque locis haud paucis vidimus . *In  
conversatione gentis :* conversionem intellexit , pro quo proclive  
librariis conversationem reponere , ut suprà xviii. 24. Quid autem  
est Simoni obtigisse gloriam : *in conversatione gentis?* nisi eum cla-  
ruisse cùm res populi è tranquillo statu in trepidum ac turbidum  
verterentur , quà in conversatione Simonem illustrem habitum etiam  
sequentia demonstrabunt . Alioquin certum est Simoni obvenisse  
gloriam *ex conversatione gentis* , quam dicto audientem , et legi ob-  
sequenter semper habuerit . Gr. ἐν περιπολῇ λαοῦ , qnod etiam verti  
potest : in circumstantiā populi ; quà interpretatione ista pars ver-  
sūs in Gr. sic habebit : Quàm gloriificatus est in multitudine populi  
circumstantis , in egressu domùs velamenti , id est , cùm stato die  
ex Levit. xvi. 15. sanctuarium ingressus , ex velamento domùs tem-  
pli , id est , ex ipso adyto , rursus exiret ad multitudinem ! cui se-  
quentia congruant .

*6 Quasi stella matutina.* Pontificem ex adyti velo , ac templo  
prodeuntem convenientissimè comparat lucifero inter nebulas exo-  
rienti , ac velut noctis vela rumpenti ; cæterisque rebus splendidis  
postea referendis : ¶ 7. et seqq. Conjicere autem datur , Simonem  
unum , præ cæteris quorum meminissent pontificibus , insigni de-

medio nubis : quasi luna plena in diebus.

Quasi sol resfulgens super templum Altissimi : et

Quasi arcus resfulgeus inter nubes gloriæ : quasi flos rosarum in diebus vernis , quasi lilia super transitus aquæ : quasi germen Libani in diebus aestatis :

Quasi ignis et thus super focum :

Quasi vas auri solidum , ornatum omni lapide pretioso :

Quasi oliva pullulans fructus , et quasi cypressus exal-

in medio nebulæ : et quasi luna plena in diebus suis lucet.

7. Et quasi sol resfulgens sic ille effulgit in templo Dei.

8. Quasi arcus resfulgeus inter nebulas gloriæ , et quasi flos rosarum in diebus vernis , et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ , et quasi thus redolens in diebus aestatis.

9. Quasi ignis effulgens , et thus ardens in igne.

10. Quasi vas auri solidum , ornatum omni lapide pretioso.

11. Quasi oliva pullulans , et cypressus in altitudinem

core sacris operatum , specie sacerdotio dignâ. Sanè commemorat præ cæteris ceremoniis ingressum in adytum , quod solus pontifex co honore polleret. Nec absurdum Simonem in eâ cæremoniâ clariorem visum cæteris , quòd is sacri adyti religionem , ac pontificiam prærogativam magnificè defenderit à Ptolemæi conatibus , ut vidimus. Quæ quidem , recentissimâ memoriâ , enarrata iis qui viderant , afficere solent animos tanti splendoris dignitatisque memores.

7 *Quasi sol* : Gr. *quasi sol resfulgens supra templum Altissimi : supra cœlum quæ est Dei sedes , ipso templo repræsentata.*

8 *Quasi arcus resfulgens.* Hæc et sequentia pertinent ad commendandas pontificias vestes , colorum varietate , ac splendore gemmarum. *Quasi thus redolens.* 9. *Quasi thus ardens.* Pontifices , quòd Deo thymama adulorent , arcamque et tabernaculum et altare , aliaque templi utensilia oleo perlinirent , prodibant et ipsi odoratissimo vapore ac liquore perfusi : Exod. xxx.

11 *Quasi oliva pullulans , et cypressus in altitudinem.* Quòd pontifex erecto corpore , sacrâ ctiam tiarâ venerandus , propter habitus tata

tata in nubibus. In accipiendo ipsum stolam gloriæ, et induendo consummationem gloriationis :

In ascensu altaris sancti gloriam dedit amictui sanctitatis :

se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum in consummationem virtutis.

12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.

in adestatem, cæteris quoque mortalibus major ac procerior habetur. *Stolam gloriæ* : splendidam, illustrem. *In consummatione*, sive perfectione *virtutis* : Gr. gloriationis, decoris, magnificentiae.

12. *In ascensu*. Mirum videri possit Ecclesiasticum Simonis pontificis gesta prædicantem, totis undecim versibus, ab hoc scilicet usque ad 24. nihil aliud agere, quam ut sacrificii, nec omnis, sed pacifici, sive eucharistici ac salutaris, quorum idem usus, studiose describat cæremonias à quovis pontifice, imò etiam à quovis sacerdote per pontificis absentiam sacris præsidente, peragi solitas. Aliò ergo spectat : nempe ad illud insigne miraculum de quoad §. 4. quo sanè miraculo vel maximè constat Simonis hujus laus. Sanè quâ die illud evenit, Ptolemaeus Philopator in ipsis Jerosolymis, in ipso templi loco, pro ingente reportatâ de Syris victoriâ, eucharisticum sacrificium offerebat, Simone pontifice sacra peragente. Quibus expletis omnibusque ordine gestis, rex ad ipsum templum accessit, sacrisque ritibus, ac loci majestate, ministeriorumque ordine stupefactus, non modò sanctum locum, quò solis sacerdotibus, verùm etiam sancta sanctorum, quò soli pontifici, idque seniel in anno penetrare fas erat, ingredi voluit : III. Mach. cap. 1. Cumque nullis precibus aut adhortationibus flecteretur, Simon pontifex, sacris ut erat indutus vestibus, conversus ad templum, fudit orationem eam, quæ habetur ibid. cap. 2. cuius vim mirabilem ex eodem capite statim memoravimus, ad §. scilicet 4. Tantæ ergo celebritatis, rerumque in èa gestarum memor Ecclesiasticus, solemnissimi sacrificii ordinem exequitur ad §. 23. quo loco post sacra iteratam sancti pontificis precationem, ejusque vim celebrat; eo denique exemplo populum hortatur, ut piis precibus Deum inflectat ad misericordiam, §. 24. et seqq. Summa haec : jam ad singula. *In ascensu altaris sancti* : cùm sublimis pontifex clivum altaris inscenderet, totum ambitum illustravit ex circumfulgentiâ sacrae vestis; quo ab initio describere incipit sacrificii ritum, non tamen alterius quam pacifici, ut suprà memoravimus, ac diligentissimè observari volumus.

In accipiendo autem membra de manibus sacerdotum, et ipse stans juxta focum aræ, circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in Libano :

Et circumdederunt illum quasi rami palmarum, et omnes filii Aaron in gloriâ suâ.

Et oblatio Domini in manibus ipsorum coram omni ecclesia Israel. Et consummatione fungens super aras ad ornandum oblationem Excelsi omnipotentis,

Porrexit manum suam

<sup>13</sup> *In accipiendo partes : μέρη, Gr. μέλα : membra, eodem sensu. In pacificis enim sacrificiis non tota victima, sed ejus pars aliqua, membrum aliquod, renes, pectus, jecur, adeps, cætera in Levitico designata, vel cedebant in partem Aaronis, hoc est, pontificis, seu cuicunque sacro præerat, vel ab eo igni tradebantur : quarum rerum gratiâ à singulis sacerdotibus sacerorum præsidi deferebantur in manus. Levit. vii. 29. et seq. ix. 18. et seq. Circa illum corona fratrum : sacerdotum : ex eâdem Aaronis stirpe, ut y. seqq.*

<sup>14</sup> *Quasi rami palmæ, seu quasi palmæ ramosæ, in gloriâ sud : in ornato suo, in sacris vestibus.*

<sup>15</sup> *Et consummatione fungens : Græc. et ministerium perfectè implens (pontifex) in ard : Gr. super aras : ἐπὶ βωμῷ : aræ enim nomine veniebant non modò altare illud insigne, in quo holocausta, adeps, et cætera hujusmodi eremabantur, verùm etiam mensæ ad quas victimæ offerri, et immolari, seu cædi solebant : ad has igitur aras pontifex ministrabat, cùm ab unâ ad aliam, victimæ, adeps, et cætera, sanguis etiam in pateris deferretur, in Exodo et Levitico passim. Amplificare oblationem, ad amplificandam, Gr. ad ornandam, id est, castè ac decorè celebrandam oblationem :*

<sup>16</sup> *Porrexit manum suam : quo loco ad libationes, versu deinde 17.*

13. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano :

14. Sic circa illum steterunt quasi rami palmae, et omnes filii Aaron in gloriâ suâ.

15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagogâ Israel : et consummatione fungens in arâ, amplificare oblationem excelsi regis,

16. Porrexit manum suam

super libatorium, et libavit de sanguine uvæ :

17. Effudit ad fundamenta altaris odorem suavitatis excelso omnium regi.

Tunc exclamaverunt filii Aaron : in tubis ductilibus sonuerunt : auditam fecerunt vocem magnam iu memoriam coram Altissimo.

Tunc omnis populus simul properavit ; et ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum suum omnipotentem Deum excelsum.

Et laudaverunt psallentes in vocibus suis : in magnâ domo dulce factum est melos.

Et rogavit populus Dominum excelsum in prece ante misericordem, usque dum perfectus est honor Domini , et ministerium ejus perfecerunt.

Tunc descendens manus suas extulit in omnem ec-

in libatione , et libavit de sanguine uvæ.

17. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

18. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, et auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo.

19. Tunc omnis populus simul properaverunt , et ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum , et dare preces omnipotenti Deo excelso.

20. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis ; et in magnâ domo auctus est sonus suavitatis plenus.

21. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini , et munus suum perfecerunt.

22. Tunc descendens manus suas extulit in omnem

ad suffitum venit, quæ est pars vel pulcherrima sacræ actionis. *Excelso principi* : excelso omnium regi : παμβασιλεῖ.

<sup>18</sup> In tubis productilibus : ex ductili materia factis. Sacerdotum autem erat clangere tubis, super pacificis quoque victimis : Num. x.

<sup>20</sup> Amplificaverunt : magnificarunt, laudarunt. Gr.

<sup>22</sup> Tunc, peractis omnibus, perfectoque honore Dei ac munere, sive ministerio, Gr. ψ. præcedente : pontifex descendens ab altari,

manus suas extulit, extendit ad benedicendum populum. Levit. ix.

<sup>22</sup> Num. vi. 27. quo fine dimittebatur cœtus : ibid.

clesiam filiorum Israel dare benedictionem Domino in labiis suis , et in nomine ipsius gloriari.

Et iteravit in adoratione, ad ostendeendum benedictionem ab Altissimo.

Et nunc benedicite Deum omnes, qui magna facit ubiquique, qui exaltat dies nostros

congregationem filiorum Israel dare gloriam Deo à labiis suis, et in nomine ipsius gloriari.

23. Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.

24. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terrâ, qui auxit dies

*23 Et iteravit orationem suam.* Manifestè spectat ad orationem eam, quam, Philopatore jam in templum irruente, Simon effuderat ; signanter enim dictum III. Mach. 1. 9, 10, 11: *absoluto sacrificio id factum : cùm rex ab ipso loco in quo sacra spectabat, jam accederet ad templum, ejusque optimam dispositionem admiratus, vi pararet ingressum.* Igitur *iteravit Simon orationem suam :* novis rebus coortis de integro orare cœpit, idque flexis genibus, et manus decenter extendens, ibid. 11. 1. *Volens ostendere virtutem Dei :* sive ut habet Gr. benedictionem à Deo territorio impium regem, ne infanda cœpta perageret. Jam ergo totius hujus loci à ψ. 12. sibi constat sensus, et absque his quidem nulla causa suberat, cur Ecclesiasticus pacifici sacrificii ritus omnes et singula officia sacerdotalia, tanquam eximias ac proprias Simonis res, tantà diligentia et copiâ referret ; quæ sanè laudatio perquā frigida et inanis esset. Nunc res tota claruit, certaque præsto est ratio, cur omissis aliis sacrificiis, pro peccato scilicet atque holocaustis, eucharistica tantum describenda suscepit; quippe cùm Simoni nostro talia sacra, in hac temporum necessitudine, peragenda contigerint : quæ adhuc recentia et vulgo notissima clarius ac distinctius designari nihil attinebat : nec aliter res notæ in aliis Scripturæ locis, præsertim in Psalmis referuntur. In Gr. pro, *iteravit orationem,* legimus, iteravit in adoratione. Orare, adorare, ac venerari et græcè et latine passim pro ipsâ oratione habentur.

*24 Et nunc orate.* In Simonis oratione tanta vis fuit, ut rex confessim flagellatus à Deo, atque instar arundinis agitatus, et prosternatus in terram, re infectâ reportaretur domum, III. Mach. 1. 16, 17, 18, et quidem nullius fuso sanguine; quo nihil mirabilius, cùm plebs in necem rueret potius quam violari sineret sacri loci religionem, ipse rex fureret, et ausurus extrema videretur. Neque minus efficax fuit

**ab utero , et facit nobiscum secundum misericordiam suam.**

**Det nobis jocunditatem cordis , et fieri pacem in diebus nostris in Israel secundum dies saeculi ,**

**Fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam ; et in diebus ejus liberet nos.**

**Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens :**

**Qui sedent in monte Samariæ , Philisthiim , et stultus populus qui habitat in Sichimis.**

**nostros à ventre matris nostræ , et fecit nobiscum secundum suam misericordiam :**

**25. Det nobis jucunditatem cordis , et fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos;**

**26. Credere Israel nobiscum esse Dei misericordiam , ut liberet nos in diebus suis.**

**27. Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens , quam oderim :**

**28. Qui sedent in monte Seir , et Philisthiim , et stultus populus , qui habitat in Sichimis.**

deprecation , cùm idem rex nondum remissâ irâ , Judæos Alexandrinos elephantis prædæ datus , iisdem Judæis ad exemplum Jerosolymitarum ac Simonis orantibus , percusus amentiâ à proposito destitit , multaque ac magna beneficia in piam gentem contulit : ibid . 5, 6, 7. Merito ergo Ecclesiasticus his commemoratis addit : et nunc , tanto exemplo docti , quanta sit virtus Dei : v. præced. et quid precatio possit , orate Deum omnium pro pace et incolumitate populi : hic et seqq.

**25 Fieri pacem : vexationibus quæ nunc instant , ex cap. xxxvi. in melius versis.**

**26 Credere Israel : ita ut credat Israel.**

**27. 28. Duas gentes .... tertia non gens .... qui sedent in monte Seir : Idumæi , Esaü sive Edom posteri , perpetui jam inde ab initio Israelitarum hostes , et tunc quoque infensissimi : I. Mach. v. 3. etc. Pro monte Seir in Scripturis noto , atque Esaü posteris attributo , Gr. in monte Samariæ ; quæ pessima ac prorsus reji cienda lectio , cùm de Samaritanis mox agatur. Philisthiim : qui hostili semper animo , certissimumque fugatis hostibus perfugium. I. Mach. iii. 24. Stultus populus in Sichimis : Samaritanus cuius ca-**

Doctrinam intellectus et scientiae scripsi in codice isto, Jesus filius Sirach Hierosolymita, qui diffudit sapientiam de corde suo.

Beatus qui in istis versabitur: et qui posuerit illa in corde suo, sapiens erit.

Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Domini vestigium ejus.

29. Doctrinam sapientiae et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Hierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo.

30. Beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper.

31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei vestigium ejus est.

put Sichem: stultus reverâ populus, imperitus, qui licet legis gnarus, tamen à præscriptis legis veroque cultu ac populo Dei secesserit: ideo invisa gens, nec gentis nomine appellanda, quippe quæ nec suis ipsa stet legibus. Quantum autem per hæc tempora Judæis nocuerit, testantur omnes historiæ.

<sup>29</sup> *Doctrinam*: Hæc et quæ sunt in seq. capite, Hugo Grotius à nepote addita putat avi auctoris scriptis; quo argumento, quâve conjecturâ, non dixerim, cùm nullam afferat. Cæterum hæc immitiò rejici in nepotem facilè evicero, cùm nihil sit quod non avo conveniat. *Jesus filius Sirach Hierosolymita*. Sic antiqui nomen, parentem, patriam inserebant libris; nec refert, an in capite, an in clausulâ. Quin etiam Ecclesiastes posteaquam in ipso initio nomen posuit, in extremo sic scribit: *Cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, etc.* Ecc. xii. 9. quod iste videtur imitatus.

<sup>30</sup> *Beatus*, qui in his versatur bonis: Gr. simpliciter: beatus qui in his versatur. Sic scriptores divinitus inspirati solent commendare doctrinam suam, imò non suam, sed Dei, uti in Præfatione cap. ult. memoravimus: sic ipse Salomon passim, sic iste, suprà, cap. xxxiii. 17, 18, 19. xxxix. 16. et seqq. sic sequente capite, 19, 22, 23, 30, 31. etc.

<sup>31</sup> *Lux Dei vestigium ejus est*: qui scilicet hæc fecerit: divino lumine signata sunt vestigia quæ sectetur.

## CAPUT LI.

*A morte liberatus, Deo agit gratias : populum adhortatur ad sectandam exemplo et ductu suo sapientiam : danti sapientiam dat gloriam, 23. modicum laboranti magna obvenit requies, 35. operanti ante tempus merces datur in tempore , 38.*

### SIXTINA VERSIO.

### VERSIO VULGATA.

#### *Oratio Jesu filii Sirach.*

**CONFITEBOR** tibi, Domine rex , et collaudabo te Deum salvatorem meum.

Confitebor nomini tuo : quoniam protector et adjutor factus es mihi.

Et liberasti corpus meum à perditione , et à laqueo calumniæ linguæ , à labiis operantium mendacium : et

**I. ORATIO** Jesu filii Sirach : Confitebor tibi, Domine rex , et collaudabo te Deum salvatorem meum.

**2.** Confitebor nomini tuo : quoniam adjutor et protector factus es mihi;

**3.** Et liberasti cor meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ , et à labiis operantium mendacium; et in con-

**1** *Oratio seu precatio Jesu filii Sirach : ejus procul dubio cuius est liber totus, ut ipsa testatur inscriptio. Hoc caput quidam codices non habent, additumque omnino est libri clausulæ illi quam vidimus: suprà, l. 29. Cæterum ejusmodi addi solere ab ipsis aucto-ribus, neque ulla ratio vetat, et è contrà probat vel Joan. cap. xxii. additum post clausulam cap. xx. §. 30, 31. neque quidquam est quod non ipsi auctori congruat, ut mox videbimus. Confitebor tibi : collaudabo, concelebrabo te.*

**3** *Liberasti à perditione, à certissimâ nece, quod ipsi auctori non semel contigisse ipse testatur, xxxiv. 13. Congruunt tempora, cùm sub Onia III. quo pontifice Siraciden scripsisse ostendimus, homicidia fierent, II. Mach. iv. 3. sub Seleuco quidem Philopatore : quantò magis autem sub Antiocho Epiphane ejus filio, quo rege ipse Onias per proditionem à Menelao cæsus est : ibid. 34. A laqueo linguæ iniquæ : Gr. à laqueo calumniæ. A labiis operantium mendacium. Qualis fuerit Simon ille Benjaminites, qui sanctum ponti-*

in conspectu adstantium factus es mihi adjutor.

Et liberasti me secundum multitudinem misericordiae et nominis tui, à rugientibus præparatorum ad escam,

De manu quærentium animam meam : de multis tribulationibus, quas habui :

A suffocatione flammæ in circuitu, et de medio ignis, ubi non sum æstuat us :

Ab altitudine ventris inferni, et à linguâ coinquiatâ, et à verbo mendacii

spectu adstantium factus es mihi adjutor.

4. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam,

5. De manibus quærenti um animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me;

6. A pressurâ flammæ, quæ circumdedit me; et in medio ignis non sum æstuat us :

7. De altitudine ventris inferni, et à linguâ coinquiatâ, et à verbo menda-

ficem adortus calumniis, provisorem gentis audebat insidiatorem regni dicere : ibid. 1, 2. quibus calumniis et hic et similes in Ecclesiasticum quoque sævire potuerint. Hic autem observandum Siraciden nusquam hic commemorare causam religionis, aut odium gentis, cò quòd in hujus vexationis initii, Judæorum hostes nondum apertas inimicitias professi adversus Judæos, Simonis, hujus Benjaminitæ, Jasonis, Menelai, Lysimachi et aliorum Judæorum operâ uterentur; atque odio gentis ac religionis, læsæ majestatis crimen obtenderent; quale persecutionis genus sub Juliano Apostata Christiani quoque experti sunt. Sic ergo ipse Siracides ad extremum vitæ deductus est periculum. *In conspectu adstantium : accusantium, adversantium : ἀντικρίτας*, quod habent quidam codices.

4. 6. *A rugientibus.... à pressurâ flammæ.... in medio ignis : si militidines, quibus designatur calumniae vis, et extremum vitæ discrimen.*

7 *De altitudine ventris inferni : sive inferni, de profundissimo sepulcro, sive etiam carcere : quo sensu Jeremias : Lapsa est in lacum vita mea : et posuerunt lapidem super me : Lam. iii. 53. et Ps. lxxxvii. 7. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in*

regi , calumniā linguae in-  
justæ.

Appropinquavit usque ad  
mortem anima mea :

Et vita mea erat appro-  
pinquans inferno deorsum.

Circumdederunt me un-  
dique , et non erat qui ad-  
juvaret : respiciens ad adjutorium hominum , et non  
erat.

Et memoratus sum mi-  
sericordiae tuæ , Domine , et  
operationis tuæ , quæ à se-  
culo.

Quoniam eruis sustinen-  
tes te , et salvaseos de manu  
gentium.

Et exaltavi super terram  
supplicationem meam , et  
pro mortis liberatione de-  
precatus sum.

Invocavi Dominum patrem  
Domini mei , ut non dere-

*umbrā mortis.* A rege iniquo : Antiocho Epiphane , ut videtur , jam  
in sanctos sævire aggresso. A verbo mendacii : Gr. regi ( dicto , ad  
regem clam seu palam allato : et à ) calumniā , etc.

9 Et vita mea appropinquans : vide præcedentem.

12 De manibus gentium : sive etiam superhorum , de quibus ¶. 14.  
indicit autem vexationem jam à gentilibus cœptam.

14 Invocavi Dominum patrem Domini mei . Nil mirum invocari  
Dominum patrem Domini , cùm ad id susciat legisse vel illud Da-  
vidicum : Dixit Dominus Domino meo : et in eodem Psalmo illud :  
Ante luciferum genui te : quod per eadem tempora à lxx. quoque

cii , à rege iniquo , et à lu-  
guā injustā.

8. Laudabit usque ad mor-  
tem anima mea Dominum;

9. Et vita mea appropiu-  
quans erat in inferno deor-  
sum.

10. Circumdederunt me  
undique , et non erat qui ad-  
juvaret : respiciens eram ad  
adjutorium hominum , et  
non erat.

11. Memoratus sum mi-  
sericordiae tuæ , Domine , et  
operationis tuæ , quæ à sæ-  
culo sunt.

12. Quoniam eruis susti-  
nentes te , Domine , et libe-  
ras eos de manibus gen-  
tium.

13. Exaltasti super ter-  
ram habitationem meam .  
et pro morte defluente de-  
precatus sum.

14. Invocavi Dominum  
patrem Domini mei , ut nou-

linquat me in diebus tribulationis, in tempore superborum destitutionis.

derelinquat me in die tribulationis mee, et in tempore superborum sine adjutorio.

Laudabo nomen tuum assiduè, et collaudabo in

15. Laudabo nomen tuum assiduè, et collaudabo illud

proditum; ut cætera omittamus, tot ac tanta testimonia de filio Dei, ex quibus Ecclesiasticus tantus vir, tam in Scripturis versatus, ne quid dicam amplius, Domini sui Dominum eundemque patrem, et agnoscere et invocare potuit. Ita interpretes passim: ita catholici; ita alii, Drusius, cæteri. At Grotius decretoriè: Christiani illud *xvpi* hic addidere: Jesum seripsisse, crede: Invocavi Dominum patrem meum. En dictata magistri, et oracula tanquam de tripode. Quid igitur? adeone absurdum est et à Scripturarum sensu alienum, de filio Dei dicere, ut sicubi scriptum in antiquis scriptis videoas, statim incenses flagitium adulteræ manūs, quoque judicio piam vocem eradas? atqui tam vulgare apud Judæos Christum futurum Dei filium, ut non alio magis nomine appellarent; quin ipse pontifex ita adjuraret: *Tu es Christus filius Dei*: Matth. xxvi. 63. et ille apud Joannem 1. 49. *Tu es filius Dei, tu es rex Israel*: ut eas voces, *Christus, Dei filius, rex Israel*, aliasque similes pro unā èademque sumerent, passim in Evangelii: neque unquam objecrunt Christo, quòd Christum Dei filium, sed quòd se Christum, adeoque Dei filium faceret; queis liquet tam tritam, tam pervulgatam fuisse eam appellationem, quam ipsius Christi: unde autem pervulgatam, nisi ab ipsis patribus ad universam gentem permanasset? Et mirum videbitur si Ecclesiasticus propheticis oraculis eruditus, pias voces noverit? quid quòd ipse prædicat primogenitam Dei sapientiam: xxiv. 5. hoc est, post Salomonem, ipsum Dei filium? quid quòd in Sapientiâ legerat: *Si est verus filius Dei,.... liberabit eum*, II. 18. nisi hæc quoque à Christianis obtrusa fuerint; tanquam non licuerit ante Christum christianè dicere, falsumque sit Paulinum illud, fide, utique venturi ac passuri Christi, omnia gesta esse ab antiquis sanctis. Heb. xi, etc. Quid quòd illud Grotianum, Invocavi Dominum patrem meum, vix ac ne vix quidem, quantum equidem commemmini, in Scripturis reperias? Sanè de Davide dictum à Deo est: *Ipse invocabit me: Pater meus es tu: Psal. lxxxviii. 27.* sed speciali causâ, sed in personâ Christi, sed è vocatione quâ sequente verso additum, *Et ego primogenitum ponam illum*: nec

confessione. Et exaudita est in confessione; et exaudita  
oratio mea.

Salvasti enim me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo.

Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomen Domini.

16. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo.

17. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

ideo permissum passim: nec ab ipso Davide usquam usurpatum in toto Psalmorum opere: doctique omnino sumus, Deum patrem nostrum, communis adoptionis titulo, non propriè ac singulatim quosque patrem suum dicere, quo ritu apud Prophetam: *Tu pater noster, et Abraham nescivit nos*, etc. Is. lxii. 16. ac signanter Christus: *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum*: Joan. xx. 17. ut si exquisitè loqui volumus, solus ille Deum Κυρίος patrem suum; solus ille singulariter se dicat Dei filius qui talis natus est. Neque tamen patrem meum dici, absolutè ac præcisè refugimus; tantum indicamus non videri consuetudinis Scripturarum: quod hic satis est. Cave ergo admittas illud censorium: tu crede à Christiano intersertam vocem; cùm ego potiori jure dixerim: uia ne moveas patrum terminos, neque animum induxeris sacros libros à Christianis violatos, nullo ejus interpolationis exemplo; neque ipse palato tuo tantum tribuas, ut ejus arbitriis antiquas lectiones præsertim in tantâ re sollices; neque absurdum credito, si Ecclesiasticus pro justitiâ tot ac tanta perpessus æquè ac cæteri sancti, jam tum respexerit in auctorem fidei nostræ et consummatorem Jesum, ejusque patrem, ac Mosis exemplo improperium Christi, potiores duxerit divitias regum potestate atque opibus: Heb. xi. 26. xii. 2. Haec quidem à nobis dicta sint, non studio lacessendi doctissimi viri Hugonis Grotii, quem ipsi laudemus in grammaticis, in historicis, sæpe etiam in moralibus; multa quoque putemus emendaturum fuisse, si, quod animo propositum habuissé credimus, totum se catholicis partibus addixisset; neque ejus labores excussum imus ex eruditorum manibus; denique id tantum volumus, ut eum adjutorem, non ducem, non magistrum habeant. *In tempore superborum*: quod est sæpe impiorum; vel ut ꝑ. 16. *de tempore iniquo*: hoc est, iniquo piis sanctisque; quod idem est, ac suprà *de manibus gentium*: ꝑ. 12.

Cùm adhuc junior essem,  
priusquam oberrarem, quæ-  
sivi sapientiam palam in  
oratione meâ.

Ante templum postula-  
bam pro illâ : et usque in  
novissima inquiram eam. Ex  
flore tanquam maturescen-  
tis uvæ,

Lætatum est cor meum  
in eâ : ascendit pes meus  
in rectitudine ; à juventute  
meâ investigavi eam.

Inclinavi modicè aurem  
meam , et excepî :

Et multam inveni mihi  
doctrinam : profectus est  
mihi factus in eâ.

Danti mihi sapientiam  
dabo gloriam.

Consiliatus sum enim ,  
ut facerem illam : et zelatus  
sum bonum , et non con-  
fundar.

Collectata est anima mea

18. Cùm adhuc junior es-  
sem, priusquam oberrarem,  
quæsivi sapientiam palam in  
oratione meâ :

19. Ante templum pos-  
tulabam pro illâ , et usque  
in novissimis inquiram eam.  
Et effloruit tanquam præ-  
cox uva ,

20. Lætatum est cor meum  
in eâ. Ambulavit pes meus  
iter rectum ; à juventute  
meâ investigabam eam.

21. Inclinavi modicè au-  
rem meam , et excepî illam.

22. Multam inveni in me-  
ipso sapientiam , et multum  
profeci in eâ.

23. Danti mihi sapientiam,  
dabo gloriam.

24. Consiliatus sum enim  
ut facerem illam : zelatus  
sum bonum , et non confun-  
dar.

25. Collectata est anima

<sup>18</sup> Cùm adhuc junior. Hic Ecclesiasticus exemplo suo docet qui-  
bus artibus sapientiam pares : nempe si ab ineunte ætate, si docili  
animo , si multo labore , adhibitâ quoque precatione quæsiceris ,  
tum acceptam Deo retuleris. Priusquam oberrarem : peregrinarer,  
quod fecisse se refert conquirendæ sapientiæ gratiâ : xxxiv. 9, 10,  
11, 12.

<sup>21</sup> Inclinavi modicè : parumper, quòd ipsa sapientia ultro se in-  
ferat, ubi primùm intendere coperis. Vide 35.

<sup>24</sup> Consiliatus sum , cogitavi, consilium cepi, ut xxxix. 16. face-  
rem ( excrēcerem ) illam : facere sapientiam, ex ejus præceptis vi-  
tam instituere, facere sapienter.

in illâ , et in factione famis  
diligenter egi. mea in illâ , et in faciendo  
cam confirmatus sum.

Manus meas extendi in al-  
tum , et ignorantias ejus luxi.

Animam meam direxi ad  
illam :

Cor acquisivi cum eis ab  
initio , et in purificatione  
inveni eam. Propter hoc  
non derelinquar.

Et venter meus contur-  
batus est quærendo eam.  
Propterea bonam possedi  
possessionem.

Dedit Dominus linguam  
michi mercedem meam : et  
in eâ laudabo eum.

Appropiate ad me , in-  
docti , et commoramini in  
domo disciplinæ.

Quid tardatis in his , et  
animæ vestræ sitiunt vehe-  
menter ?

Aperui os meum , et lo-  
cutes sum : comparete vo-  
bis sine argento.

Collum vestrum subjicite  
jugo : et suscipiat anima

26. Manus meas extendi  
in altum : et insipientiam  
ejus luxi.

27. Animam meam di-  
rexvi ad illam : et in agnitio-  
ne inveni eam.

28. Possedi cum ipsâ cor  
ab initio : propter hoc non  
derelinquar.

29. Venter meus contur-  
batus est quærendo illam :  
propterea bonam possidebo  
possessionem.

30. Dedit mihi Dominus  
linguam mercedem meam :  
et in ipsâ laudabo eum.

31. Appropiate ad me ,  
indocti , et congregate vos  
in domum disciplinæ.

32. Quid adhuc retarda-  
tis ? et quid dicitis in his ?  
animæ vestræ sitiunt vehe-  
menter .

33. Aperui os meum , et  
locutes sum : comparete  
vobis sine argento ;

34. Et collum vestrum  
subjicite jugo , et suscipiat

<sup>25</sup> In faciendo eam : Gr. in Sixtino codice vix ullum habet sen-  
sum : alias codex perspicuè : in actione mèa diligens fui.

<sup>26</sup> Insipientiam ( Gr. ignorantias ) illius luxi : deplorando duxi  
qui eam ignorarent.

<sup>30</sup> Dedit mihi Dominus : eleganter Grotius : Deus mihi eloquen-  
tiam dedit , præmium studiorum meorum ( ac laborum fructum ).

vestra disciplinam : in proximo est invenire eam.

Videte oculis vestris , quia modicum laboravi , et inveni mihi multam requiem.

Acquirite disciplinam in multo numero argenti , et copiosum aurum possidete in eâ.

Lætetur anima vestra in misericordia ejus : et non confundamini in laude ipsius.

Operamini opus vestrum ante tempus : et dabit mercedem vestram in tempore suo.

*36 In ( seu cum ) multo numero . . . et copiosum aurum : disciplina , industria , sapientia cùm sit provida , sedula , moderata , unà cùm cæteris bonis etiam divitias parat.*

*38 Operamini ante tempus : Paulas , Gal. vi. 9. Bonum facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. Quo præceptorum fine discimus sapientiam de quâ toto libro agitur , non sermonibus , non sententiis , sed operibus contineri , eoque collimare totam.*

anima vestra disciplinam : in proximo est enim invenire eam.

35. Videte oculis vestris , quia modicum laboravi , et inveni mihi multam requiem.

36. Assumite disciplinam in multo numero argenti , et copiosum aurum possidete in eâ.

37. Lætetur anima vestra in misericordiâ ejus , et non confundemini in laude ipsius.

38. Operamini opus vestrum ante tempus : et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

# INDEX TOMI SECUNDI.

## LIBRI SALOMONIS.


|  |        |
|--|--------|
| PRÆFATIO IN PROVERBIA SALOMONIS.   | 1.     |
| Proverbiorum sive sententiarum origo, ratio, institutum: cur dicantur Parabolæ, sive similitudines.                        | Pag. 3 |
| ii. Proverbiorum sive sententiarum tradendarum methodus, juvandæ memoriæ apta.   | Ibid.  |
| iii. Sententiae urgent sicut stimuli, atque ideo versibus comprehensæ.   | 4      |
| iv. Proverbiorum ac Parabolarum, sive sententiarum auctores, earumque collectiones variæ.                                  | 5      |
| v. Universa morum disciplina his tradita Proverbiis: œconomica, politica, monastica, sive quæ ad privatam vitam pertinent. | 6      |
| vi. Docendi ratio per similitudines, per opposita; sententiarum brevitas, elegantia, vis.                                  | 8      |
| vii. Quo Salomon cæteris sententiarum auctoribus præstet.  | 10     |
| viii. De promissis ac minis temporalia spectantibus.   | 11     |
| ix. De versione quæ LXX. interpretum dicitur; deque vetere Vulgatâ latinâ; ac novâ per S. Hieronymum.                      | 12     |
| x. Notarum nostrarum excusatur in plerisque brevitas; in quibusdam prolixitas.   | 14     |
| xi. Vulgatae nostræ glossemata: hebraismi in libris Salomonis atque aliis: nota necessaria de comparationibus.             | 16     |
| S Hieronymi presbyteri Præfatio in libros Salomonis, ad Chromatium et Heliodorum episcopos.                                | 19     |


|  |         |
|--|---------|
| S. Isidori Pelusiotæ Lib. iv. Ep. xl. de tribus Salomonis libris.                      | Pag. 21 |
| <b>LIBER PROVERBIORUM.</b>   |         |
| PRÆFATIO IN ECCLESIASTEN. i. Summa Ecclesiastæ.  | 141     |
| ii. De ultimo capite ac traditione Hebræorum obser-                                    | 141     |
| vandus sancti Hieronymi locus.   | 142     |
| iii. Libri tempus; Hebræorum traditio; Hieronymi loci.                                 | 143     |
| iv. Responsio ad objecta.  | 144     |
| v. De auctore libri: Grotii singularis opinio.   | 145     |
| vi. De versionibus, ac primū de Septuaginta, atque antiquā latinā ipsis inhærente.     | 146     |
| vii. Certis argumentis probatur Vulgatam nostram ab antiquā latinā plurimū discrepare. | Ibid.   |
| viii. Tres S. Hieronymi versiones; prima deducta ex Commentario ad Paulam.             | 147     |
| ix. Altera versio ejusdem Hieronymi, seu potius anti-                                  | 147     |
| quæ latinæ emendatio ex Græco lxx.   | Ibid.   |
| x. Tertia interpretatio sancti Hieronymi ex Hebræo,                                    | 147     |
| quæ est Vulgata nostra.  | Ibid.   |
| xi. Cur Vulgata nostra non semper Hebræo consentiat;                                   | 148     |
| ratio interpretandi Hieronymiana ex ipso sancto Hie-                                   | 148     |
| ronymo statuitur.  | 148     |
| xii. De Commentariis sancti Hieronymi in Ecclesia-                                     | 148     |
| sten.  | 149     |
| S. Hieronymi presbyteri, in Ecclesiasten, ad Paulam et Eustochium, Proœmium.           | 150     |
| <b>LIBER ECCLESIASTES.</b>   |         |
| PRÆFATIO IN CANTICUM CANTICORUM. i. Christi cum Ec-                                    | 151     |
| clesiā, sanctisque animabus conjunctio, conjugalis                                     | 151     |
| amoris figurā ac sacramento, adumbrata.  | 215     |
| ii. Salomonis, ac filiæ Pharaonis casti amores, ad hujus                               | 215     |
| mysterii figuram assumpti, ex Psalmo xliv. cum utri-                                   | 215     |
| usque carminis discrimine.   | 218     |
| iii. Nuptialis festivitas per septem dies: hinc hujus dra-                             | 218     |
| matis  |         |


|  |              |
|--|--------------|
| matis sive eclogæ pastoralis constitutio; quæque personæ inducantur.   | Pag. 219     |
| iv. A quibus et quo spiritu hoc Canticum legendum; qualesve interpretes habuerit.  | 222          |
| <b>CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS.</b>  | 225          |
| PRÆFATIO IN LIBRUM SAPIENTIÆ. i. Quatenus liber iste Salomonis habeatur.   | 281          |
| ii. De auctore et ætate libri incompertum.   | 282          |
| iii. Libri divisio in duas partes; primæ partis documenta.   | <i>Ibid.</i> |
| iv. Documenta secundæ partis.  | 284          |
| v. Divina libri auctoritas.  | <i>Ibid.</i> |
| <b>LIBER SAPIENTIÆ.</b>  | 287          |
| PRÆFATIO IN ECCLESIASTICUM. i. De inscriptione libri inter Græcos et Latinos.  | 363          |
| ii. De auctore libri: Grotii sententia de fine capitū 2. et de capite 21. deque aliis locis huic et libro Sapientiæ additis. | 364          |
| iii. De ætate libri: duæ ejus notæ ex ipso libro repetendæ.  | 365          |
| iv. Quis fuerit ille Simon Oniæ filius ab Ecclesiastico celebratus?  | <i>Ibid.</i> |
| v. Simonis primi ac successorum pacatissima tempora.   | <i>Ibid.</i> |
| vi. Gravis persecutio tempore Ecclesiastici.   | 366          |
| vii. Liber Ecclesiasticus circa Simonis II. tempora.   | 367          |
| viii. Nec tamen eo vivo. Primum; quod Ecclesiasticus mortuos tantum laudaverit.  | <i>Ibid.</i> |
| ix. Alterum; quod ejus quoque tempore pacatissimæ res fuerint.   | <i>Ibid.</i> |
| x. Oniâ III. Simonis II. filio pontifice, pax primùm; deinde vexatio à Seleuco; tum vel maximè ab Antiocho Epiphane.         | 368          |
| xi. Sub Antiocho scriptus liber, in ipsis persecutionis initiis, Oniâ adhuc superstite.                                      | 369          |
| <b>BOSSUET. II.</b>  | 42           |

- xii. De Oniâ III. objectio ex Josepho; ex libris Machabæis atque ipso Josepho soluta. *Pag.* 370
- xiii. De tempore interpretationis græcæ. *Ibid.*
- xiv. De auctore et interprete S. Epiphani et S. Joannis Damasceni loci. 371
- xv. De latinâ interpretatione. *Ibid.*
- xvi. Vulgatæ h̄ic additur versio ex Græco hodierno, Sixti V. jussu edita. 372
- xvii. De libri instituto; et ut à Salomonis Parabolis differat, et à libro Sapientiæ. *Ibid.*
- xviii. Distributio operis. 373
- xix. De canonicâ et antiquâ libri auctoritate ad discep-  
tandas fidei quæstiones. *Ibid.*
- xx. Cur Salomonis sit dictus : Isidori Hispalensis lo-  
cus. 375
- xxi. Ipse auctor propheticæ instinctus sibi conscius. *Ibid.*
- LIBER ECCLESIASTICI.** 377

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.











a 39003



010525094b

